entending to their businesse and speech took counsaile, and aunswered y^t y^e clergie is of such auctority and so free y^t y^e lay people ought not to iudge them neither to medle with them, and y^t therfore they would not be at their appointment, but would if they list neither promise nor giue any thing, doe what they would. Afterward y^e commons took counsaile whether it might be most profitable for y^e realme either to giue tenthes and fiueteenes, or to giue a marck of y^e custume of wooles aboue y^e somme of 50 *s.* afore granted, or of euery 20 *s.* of marchandize vj *d.*, or to grant socage[1] of 4 *d.*, or of euery head 4 *d.* And of theas matters they treated a long tyme, for some would give the tenthes and subsidies, some a marck vpon y^e custumes of woolles, some socage, some 4 *d.* of euery head. But in y^e end they agreed to giue of euery head aboue y^e adge of fortene yeares iiij *d.* At y^e same tyme y^e archbishop of Cantorbury and y^e bishops of his prouince gathered togither into y^e chapter house of St. Paule, otherwise called y^e conuocation, and ther had communication of sundry matters; among y^e which they spake of y^e bishop of Winchester, how by y^e duke and his counsailors he was taken from his bishoprick and could rest or remaine in no part of his bishopricke, as is aforesaid, and was forbidden coming to y^e parliament; and therfore they toke counsaile y^t y^e said bishop was one of them, and y^t so they might one after an other be vndoone. Wherfore they would grant nothing before they had y^e said bishop in their counsell, and thus gaue they their aunswer to y^e duke and other y^e lordes of y^e parliament. Of which answer y^e duke was euell appayed, yet suffered them to send for him; and then y^e archbishop of Cantorbury sent a messenger for him, willing him to come to their convocation to heer and giue counsell what were to be done for y^e profit of y^e realme; and

[1] "or fiar harthe," added in Stow's writing.

CROYDON PUBLIC LIBRARIES CENTRAL

y^e^ said bishop to their commandement was obedient, and within 3 dayes after came to London and entred into
f. 172 b. their conuocation; and all y^e^ bishops and clergye of y^e^ prouince toke their counsell what maner of graunt they would graunt to y^e^ kinge in his necessity, to comfort him in his grieuous sicknesse; and in y^e^ end they agreed to give vnto him of euery archbishop, bishop, abbot and prior xij. *d.*, and of euery moncke and chanon, priest and chapleyn viij. *d.*; and after they spake of y^e^ great grieuance y^t^ y^e^ said bishop of Winchester suffered in y^e^ expulsion out of his bishopricke, but they could find no fauour with y^e^ duke to restore him to his temporaltyes.

At y^e^ same tyme y^e^ commons of London made great sporte and solemnity to y^e^ yong prince. For vpon y^e^ Monday next before y^e^ Purification of our Lady at night, and in y^e^ night, were 130 men disguizedly aparailed and well mounted on horsebacke to goe on mumming to y^e^ said prince, riding from Newgate through Cheape, whear many people see them, with great noyse of minstrelsye, trumpets, [1], cornets, and shaumes, and great plenty of waxe torches lighted. And in y^e^ beginning they rid 48, after y^e^ maner of esquiers, two and two togither, clothed in cotes and clokes of red say or sendall, and their faces couered with vizerds well and handsomly made; after thes esquiers came 48 like knightes, well arayed after y^e^ same maner; after y^e^ knightes came one exellently arrayed and well mounted as he had bene an emperor; after him some 100 paces came one nobly arayed as a pope; and after him came 24 arayed like cardinals; and after y^e^ cardinals came 8 or 10 arayed and with black vizerdes like deuils nothing amiable, seeming like legates; riding through London and ouer London bridge toward Kenyton wher y^e^ yong prince made his aboad with his mother. And y^e^ duke of Lancaster, and

[1] Blank in MS.

y^e^ earles of Cambridge, Hertford, Warwick, and Suffolck, and many other lordes were there with him to behould the solemnity. And when they were come before y^e^ manour, they alighted on foot and entered into y^e^ haule; and sone after y^e^ prince with his mother and y^e^ other lordes came out of y^e^ chambers into y^e^ haule, and y^e^ said mummers saluted them, shewing a peyr of dice vpon a table to play with y^e^ prince, which dice were subtilly made, so that when y^e^ prince shold cast he shold winne. And y^e^ said players and mummers set before y^e^ prince three jewels each after other, y^e^ first a balle of gould, then a cupp of gould, then a gould ring, y^e^ which y^e^ said prince wonne at thre castes, as before it was appointed; and after y^t^ they set before the princes mother, y^e^ duke of Lancaster, and y^e^ other earles, euery one a gould ringe, and y^e^ mother and the lordes wonne them; and then y^e^ prince caused to bring y^e^ wyne, and they dronck with great ioye, commanding y^e^ minstrels to play; and y^e^ trompets began to sound and other instruments to pipe, etc., and y^e^ prince and y^e^ lordes danced on y^e^ one syde and y^e^ mummers on y^e^ other a great while. And then they dronck and tooke their leaue, and so departed toward London.[1]

[1] See Stow, Survey of London, 1754, vol. i. p. 303.

CORRIGENDA.

Page 20, line 8 to line 23, " Hoc anno—prædicator," should be in large type.

„ 104, line 3 from end, *for* " denonstrabitur " *read* " demonstrabitur."

„ 193, side note, *for* " ravagest " *read* " ravages."

„ 205, line 13, place a comma instead of a semicolon after " conditione."

„ 208, line 5 from end, place a comma instead of a semicolon after " ministerio."

„ 284, line 4 from end, *dele* " comes."

„ 426, Index, *insert* Hungerford, Sir Thomas, elected speaker of the " commons, 112."

CHRONICON ANGLIÆ,

1328—1388.

CHRONICON ANGLIÆ,

AUCTORE

MONACHO SANCTI ALBANI,

AB ANNO 1328 USQUE AD ANNUM 1388.

Ad. Murim., ed. Hog. p. 58.

Rex Edwardus fecit tres comites, scilicet dominum Johannem Eltham, fratrem suum, comitem Cornubiæ; dominum Rogerum de Mortuo Mari, comitem Marchiæ Walliæ; et Pincernam Hiberniæ, comitem de Ormunde. A.D. 1328. Creation of three earls.

Ibid. p. 59.

Eodem anno Cantuariensis archiepiscopus tenuit concilium provinciale Londoniis, in quo ordinavit quod in die Parasceves et in Commemoratione Animarum ab omni [servili][1] opere cessaretur; ubi ipse et omnes præsentes episcopi excommunicaverunt et excommunicatos denunciaverunt omnes, qui Walterum de Stapiltone Exoniensem[2] episcopum interfecerunt, seu manus violentas injecerunt, et omnes qui eis opem, assensum, vel consilium præbuerunt. Item archiepiscopus statuit, de consensu concilii, quod festum Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis solempniter celebretur. Provincial council at London. Excommunication of slayers of W. Stapleton, bishop of Exeter.

Wals. Hist. Hemingb.

David, filius Roberti de Bruse, Johannam, sororem regis Edwardi tertii, duxit in uxorem. Marriage of David Bruce and the princess Joan.

Ad. Murim., p. 63.

Hoc anno obiit Rogerus Mortivaus, episcopus Sarisburiensis; cui successit Robertus Wyvile per provisionem, vir utique competenter illiteratus et minime personatus, quem si papa cognovisset, nunquam, ut creditur, ad tantum apicem promovisset. Per idem tempus obiit Johannes episcopus Bathoniensis, et licet Radulphus de Salopia fuisset concorditer electus, confirmatus, et consecratus per Cantuariensem archiepiscopum, postea tamen de curia Romana A.D. 1330. Death of the bishop of Salisbury; and of the bishop of Bath and Wells (A.D. 1329).

[1] *servili*] Supplied from B.

[2] *Exoniensem*] Oxoniensem, H. B.

se redemit, ut rata essent facta de ipso, non sine magna pecuniæ quantitate.

A.D. 1330. Quarrel between the pope and duke of Bavaria.

Hoc tempore papa reservavit fructus beneficiorum vacantium per quadriennium, pro warra sustentanda contra ducem Bavariæ.

Birth of the Black Prince.

Hoc anno natus est novo regi Edwardo primogenitus suus Edwardus ex regina sua, septimo-decimo kalendas Junii. Higd. Polych.

A.D. 1329. Death of Robert Bruce.

Eodem anno Robertus le Bruse lepra percussus obiit septimo idus Junii, ut quidam volunt. Wals. Hist. Hemingb.

A.D. 1330. Execution of Roger Mortimer.

Ipso quoque anno, in crastino Sancti Lucæ, captus est apud Nothingham[1] Rogerus de Mortuo Mari, qui se comitem Marchiæ fecerat appellari; indeque missus Londonias, judicio parliamenti distractus et suspensus est in vigilia Sancti Andreæ. Higd. Polych.

Mors Rogeri de Mortuo Mari.

Reasons for his execution.

Non [tamen][2] venerat in judicium ad respondendum; nec mirum, quoniam, a morte comitis Lancastriæ usque ad mortem hujus comitis, omnes nobiles ad mortem traditi sine responsione et convictione legitima perierunt, sola judicantium voluntate. Causæ vero mortis ejus istæ fuere: Ad. Murim. p. 65. Ibid. p. 66.

Prima, quia dicebatur [quod ipse][3] fuit consentiens quod pater regis in castello de Berkeley[4] fuerat suffocatus. Ex qua causa dominus Johannes Mautrevers et dominus Thomas de Gyney senior, qui fuerunt deputati custodiæ ejus ibidem, et quidam alii se retraxerunt ad partes transmarinas. Et propter ea dominus Simon de Berford fuit suspensus.

Secunda causa fuit, quia ipse impedivit honorem regis et regni apud Stanepark, ubi Scoti fugerunt, qui capi faciliter et interfici potuerunt, si ipse qui fuit major [de][2] concilio regis [tunc][2] fecisset congredi Anglos cum Scotis.

Tertia causa fuit, quia ipse, receptis viginti millibus librarum a Scotis, et illis tunc permisit evadere; et turpem pacem postmodum inter Scotos et regem juvenem fieri procuravit, et super hoc chartam regis eisdem fecit fieri. Et etiam illud vile matrimonium, contractum inter sororem regis Angliæ et David, filium Roberti de Bruse, fieri consuluit[5] et procuravit.

Quarta causa fuit, quia male consumpsit totam pecuniam inventam in thesauris regis et domini Hugonis le Spenser,[6] et

---

[1] Notingham, B.
[2] Supplied from B.
[3] Om. H. B.
[4] Berkle, B.
[5] *consuluit*] consiluit, H.
[6] Spensar, B.

omnia bona regni, postquam regina intravit Angliam; ita quod pse et regina abundabant, et dominus rex remansit egenus. A.D. 1330.

Quinta causa fuit, quia appropriavit sibi custodias et maritagia pinguia per totum regnum Angliæ; et quia fuit malus consiliarius regi et regno, ac cum matre ejus nimis secretus, ut de aliis taceamus.

Ad. Murim. p. 65. Hoc anno concessit papa regi Angliæ decimas bonorum ecclesiarum per quadriennium, medietate sibi retenta. Papal concession of tithes.

Wals. Hist. i. 193. Hemingb. Rex Edwardus fecit homagium Philippo regi Franciæ pro terra Vasconiæ; et die Lunæ post festum Sancti Matthei apostoli, Londoniis, inter Crucem et Soperslane,[1] tresdecim milites tenuerunt hastiludia, per tres dies, contra quoscumque venire volentes. A.D. 1331. Edward does homage to Philip of France.

Ad. Murim. p. 66. Hoc anno Edwardus rex mare transivit, sicut mercator, cum episcopo Wyntoniensi[2] et Willelmo de Monte Acuto et paucis aliis; et fecit proclamari Londoniis, quod ivit in peregrinationem, et fecit custodem regni dominum Johannem de Eltham, fratrem [suum],[3] et cito postea rediit et fecit torneamentum[4] apud Derteford. Edward makes a private journey abroad.

Isto anno habuit rex quintam-decimam a populo, etiam decimam a burgis. An aid granted.

Edwardus le Bailolle, filius Johannis le Baillolle, cum Henrico de Bello Monte, et Gilberto de Umfrevyl, et David comite de Athels, aliisque quibusdam nobilibus, sed parva admodum manu Anglicorum, id est duobus millibus, intravit Scotiam, ut regnum recuperaret, circa festum ad Vincula Sancti Petri; et bello commisso cum Scotis in loco qui vocatur Gledesmore, devicit quinque comites et multos barones et nobiles de Scotorum gente, cum maxima plebis multitudine ad numerum sexaginta [millium][3] plebanorum. A.D. 1332. Edward Baliol invades Scotland, and gains a victory at Gledesmore (Dupplin Moor).

Eodem [autem][3] anno idem Edwardus, apud Scone, rex Scotiæ coronatur, quinto kalendas Octobris. He is crowned at Scone.

Hoc anno concessa est regi quinta-decima de communi plebe. An aid granted.

Higd. Polych. Venit rex Angliæ in auxilium præfati regis Scotiæ, et obsedit Berwicum, quarto idus Julii, per terram et per mare; et quarto-decimo kalendas Augusti, interfecta maxima A.D. 1333. Edward advances and besieges Berwick.

---

[1] Soparslane, B.
[2] Winton, B.
[3] Supplied from B.
[4] *torneamentum*]B.; tormentum, H.

A.D. 1333. Scotorum multitudine juxta Berwicum, Scoti versi sunt in fugam, et reddita est villa regi Angliæ.

Nempe quidam miles Scoticus, Willelmus de Keth, promisit, quod adduceret ad certum diem Scotorum exercitum, ad pugnandum cum regibus et obsidionem dissolvendam; quod nisi faceret, urbs Berwici [regi][1] redderetur. Interea subdole Scoti combusserunt, in partibus Northumbranis, et obsederunt castrum de Bamburgh, ubi tunc temporis regina Angliæ morabatur, ut[2] sic fortassis possent solvere obsidionem. Higd. Polych.

The Scots lay waste Northumberland.

Scoti vincuntur.

Battle of Halidon Hill. f. 125 b.

Tandem, die præfixa hora nona, pelago pleno advenerunt Scoti contra Anglos, in tribus aciebus omnes pedites distincti, quarto-decimo kalendas Augusti, prope Berwicum, in loco qui dicitur Boothull juxta Halidone. Qui oppressi sunt a sagittariis Anglorum et insecuti ab equitibus Angliæ usque ad noctem; ita quod ceciderunt [ex Scotis][1] octo comites, mille et trecenti equites, et de plebeiis triginta quinque millia. Quo viso, oppidani,[3] ut præmittitur, Berwycum regi Angliæ reddiderunt; et, quod mirabile dictu est, non ceciderunt ex parte Anglorum, nisi unus miles, unus armiger, et duodecim pedites.

Prælati vero totius Scotiæ fugerunt in Franciam, et quidam ad summum pontificem, et remedium petierunt. Ad. Murim. p. 71.

A.D. 1334. Birth of the princess Isabella.

Hoc anno nata est regi filia Isabella.

Rex Scotiæ fecit homagium regi Angliæ.[4]

Edward Baliol does homage to Edward.

In festo Sanctorum Gervasii et Prothasii, Edwardus de Bailliolo, verus rex Scotiæ, fecit homagium Edwardo regi Angliæ, pro regno Scotiæ, apud Novum Castrum super Tynam, in præsentia trium episcoporum, comitum, baronum, et copiosæ plebis. Et cito postea Scoti rebellarunt. Quamobrem rex Angliæ, sub hieme gelida, Golwodiam intrans, totam patriam usque ad mare Scoticum devastavit; castrumque de Rokesburgh reparavit, ubi ipse cum suis per totam hiemem moram traxit. Higd. Polych.

The Scots rebel. Edward lays waste Scotland.

---

[1] Supplied from B.

[2] *ut*] si, B.

[3] *oppidani*] B.; oppidum, H.

[4] This title is placed before the preceding sentence in H. and B.

Hoc ante, in parliamento tento Londoniis concessa est regi a laicis quintadecima, et decima de clero. A.D. 1334. An aid granted.

Higd. Polych. Hoc anno obiit papa Johannes vicesimus-secundus, in Adventu Domini; et cito post in eadem hebdomada successit Benedictus duodecimus, monachus prius et abbas Cisterciensis ordinis, deinde in propria diœcesi episcopus, tandem cardinalis, et demum apostolicus est effectus. Qui mox ad professores diversorum ordinum constitutiones edidit eorum regulas concernentes. Pope John XXII. succeeded by Benedict XII., Dec. 1334.

Novus dux Cornubiæ.

Hoc anno circa festum Beati Gregorii, in Quadragesima, rex Edwardus, in pleno parliamento apud Londonias, de comitatu Cornubiæ fecit ducatum; quem contulit primogenito suo Edwardo, una cum comitatu Cestriæ. Ordinavit etiam ibidem sex comites, videlicet Henricum de Lancastria juniorem, comitem de Derby; Willelmum de Monte Acuto, comitem Sarisburiæ; Hugonem de Audele, comitem Gloverniæ; Willelmum de Clyntone, comitem Huntingdoniæ; Willelmum de Boun, comitem Northamptoniæ; Robertum de Ufforde, comitem de Southfolchia. A.D. 1337. Prince Edward created duke of Cornwall. New earls.

Eodem anno rex Edwardus cum Lodowico de Bavaria, regnum Alemanniæ occupante et se imperatorem appellante, fœdus [iniit][1] infructuosum. Treaty with Louis of Bavaria.

Hoc anno, decimo kalendas Junii, obiit Ricardus de Walinforde, abbas Sancti Albani; cui successit dominus Michael de Mentmor in officium pastorale. A.D. 1335. Succession to the abbacy of St. Alban's.

Eodem anno, apud villam [Sancti][1] Johannis in Scotia, obiit dominus Johannes de Eltham, frater regis Edwardi, quondam comes Cornubiæ. A.D. 1336. Death of John of Eltham.

Hoc anno regina Angliæ peperit filium apud Hathfeld,[2] qui vocatus est Willelmus; sed statim postea diem clausit extremum, et sepultus est apud Eboracum. Birth of William of Hatfield.

Discordia inter reges.

Wals. Hist. i. 221. Higd. Polych. Hoc anno villa de Southamptone per galeas regis Franciæ fere totaliter est combusta. Quo anno orta est grandis dis- A.D. 1337. The French burn Southampton.

[1] Supplied from B. | [2] Hatfeld, B.

A.D. 1337. cordia inter reges Angliæ et Franciæ, eo quod rex Franciæ multas terras et oppida in Wasconia improbe usurpaverat. Qua de causa, rex Angliæ plures oblationes humiles regi Franciæ fecerat, [si][1] saltem sic posset recuperare terras suas; sed cum nil proficeret, collectis undecumque pecuniis, mare transire disposuit. Nempe in parliamento apud Notyngham exegit quintum-decimum denarium de communi plebe et decimum de burgis. Higd. Polych.

An aid.

Admission of foreign artisans. In hoc parliamento ordinatum est, ut omnes lanifici Flandriæ et aliarum terrarum, volentes inhabitare [Angliam],[1] pacifice advenirent. Revera, per tres annos elapsos, interdictum fuerat passagium de lanis, ut citius Flandrensium superbiam rex devinceret, qui plus saccos quam Anglicos venerabantur.

Confiscation of Lombards' and others' goods. Eodem anno, propter instantem werram inter regna, rex Angliæ confiscari [fecit bona Longobardorum, et Cluniacensium monachorum et Cisterciensium,][2] per totum regnum.

Comet. Hoc anno, circa kalendas Augusti, id est, per quindenam præcedentem et quindenam sequentem, cometa apparuit, præsignans fortassis dirum bellum futurum inter regna; quæ partim radios emittebat versus orientem, et partim versus austrum.

An aid. Concessa fuit hoc anno regi decima ecclesiæ Anglicanæ per tres annos sequentes.

Ordinance against the use of foreign cloth, &c. Statutum fuit in parliamento hoc anno, ut nullus uteretur panno extra Angliam operato, præter regem, reginam, et eorum liberos; nec pellura transmarina, nisi qui possent expendere centum libras per annum.

Adventus cardinalium.

A.D. 1338. Papal mediators for peace between England and France. Cardinales venerunt in Angliam, pro pace reformanda inter Angliam et Franciam. Sed cum compertum fuisset cardinales plus favere regi Franciæ quam regi Angliæ, ut patebat in sermone unius cardinalis ad clerum habito, archiepiscopus Cantuariensis surrexit[3] et prædicavit publice assertiones cardinalis fore vanas. Et post modicum temporis manifeste dicebatur in Anglia, quod rex habuit jus in regnum Franciæ, quod prosequi intendebat. Wals. Hist. i. 222.

---

[1] Supplied from B. and W.

[2] Supplied by a second hand, H. B.

[3] *surrexit*] surrexxit, H.

Probitas Walteri Manni.

Wals. Hist. i. 222.

Eodem anno dominus Walterus Manny, ductor navigii regis Angliæ versus terram Anagniæ,[1] cum applicuisset ad quandam insulam, vocatam Ageneys, pro aqua recenti haurienda, et sui fuissent[2] dispersi per insulam, mox insulani dederunt in eos[3] insultum, cum fratre comitis Flandriæ, qui fuit dux eorum; ubi, post multa discrimina hostium, virtute sagittariorum superati sunt, ita quod dictus frater comitis Flandriæ reddidit se Waltero, et populus universus. Qui quidem frater comitis ductus est in Angliam, et regiæ[4] traditus voluntati. Quidam vero de insulanis, cum ad quandam ecclesiam confugissent, a Wallicis, qui cum nostris [profecti][5] fuerunt, circa tria millia, cum ecclesia conflagrati sunt, A.D. 1338. Sir Walter Manny's exploit at sea.

Post festum Pentecostes habuit [rex][5] concilium apud Bury de transitu faciendo ultra mare, et subsidio sibi conferendo; et in illis partibus usque ad suum transitum morabatur. Ubi Wallici multa dampna fecerunt per illam moram, qui noxii sunt ubique. Council at Bury.

Ordinavit proinde rex primogenitum suum, ducem Cornubiæ, principalem custodem regni, una cum comite Warennæ, ex consilio magnatum suorum. f. 126. Prince Edward appointed regent.

Transfretatio regis.

Dominus rex, dispositis suæ profectioni necessariis, cum Philippa regina et duabus [filiabus][5] eorum, et exercitu copioso, circa festum Translationis Sancti Thomæ martyris, intravit mare, [et][5] prospere venit ad portum de le Swyne; ubi unanimiter Flandrenses occurrerunt eis, offerentes se paci ejus et fidelitati. Indeque transiens pervenit ad terram Brabanciæ; cui occurrit dux Brabanciæ, cognatus ejus, et ipsum suscepit cum gaudio et honore. Edward sails for Flanders.

Ibid., i. 223.

Interea, cum nunciatum fuisset duci Bavariæ, quod rex Angliæ advenisset, accersiri eum jussit, et circa kalendas Augusti occurrit sibi juxta Coloniam, ubi cum maximo apparatu Meeting of Edward and Louis of Bavaria.

---

[1] Hanoniæ, W.
[2] *fuissent*] B.; fuerunt, H.
[3] *in eos*] super eos, B.
[4] *regiæ*] B.; regi, H.
[5] Supplied from B.

A.D. 1338. et gloria se invicem salutarunt. Quidam autem ferebant, quod Bavarus indigne ferebat, quod rex Angliæ non se submisit ad osculum pedis ejus. Cui responsum fuit, quod rex Angliæ fuit rex unctus, et habet vitam et membrum in potestate sua, et iccirco non debet se submittere [tantum] [1] sicut alius rex non unctus. Wals. Hist. i. 223.

Fœdus infructuosum.

Post mutuam collocutionem et pristinæ confœderationis renovationem, dictus Bavarus, qui se dicit imperatorem, constituit regem Angliæ vicarium suum, et rediit ad loca sua. Rex vero Brabanciam est regressus, ubi per annum jugiter moram traxit; maximamque partem exercitus et propriæ suæ familiæ remisit in Angliam, una cum Walensibus, qui fuerunt multis noxii. Rex [autem] [1] Angliæ per hanc moram in Brabantia, consilio Brabantinorum et Flandrensium, arma Franciæ suis armis immiscuit, et boreales partes Franciæ, usque ad Tornacum, incendit et vastavit.

Edward quarters the arms of France.

Birth of prince Lionel. Quo tempore natus est regi Edwardo filius apud Andwerp, et vocatus est Leonellus.

Remarkable frost, &c. Eodem anno, a quinto kalendas Decembris usque quarto idus Februarii, gelu maximum duravit in Anglia, et nives nullæ.

Prodigium.

Ipso anno prodigium apparuit in hac terra; salices nempe in mense Januario flores protulerunt, rosis in quantitate et colore persimiles, quamquam eo tempore fuisset hiems tanta, quanta non fuerat per transactos retro viginti annos. Interpretetur qui poterit signi prodigium, cujus relator esse delegi potius quam expositor.

Edward takes the title of king of France. Hoc etiam anno rex Edwardus se regem Franciæ et Angliæ appellari constituit.

Rex rediit [in] [2] Angliam; et parliamentum Londoniis; et de duce Austriæ, et probitate domini Oliveri de Ingham et Burdegalensium.

A.D. 1339. Edward returns to England. Hoc anno, circa festum Purificationis, rex Edwardus redivit in Angliam; uxorem tamen suam apud Andwerp in Seland Higd. Polych.

[1] Supplied from B. and W. | [2] Supplied from B.

dimisit cum liberis, quasi in sui redditus assecurationem. A.D. 1339.
Celebratoque Londoniis parliamento, aliisque negotiis rite dis- Parliament.
positis, induxit Anglicis tributum quintæ partis bonorum suo- Taxes.
rum, et lanas omnium occupavit; nonam[que garbam][1] de
omni gleba Angliæ suis expeditionibus deputavit. De quorum
proventu dominos villarum vicinarum respondere fecit.

Quo tempore dux Austriæ requisivit a rege ejus filiam suo Proposed royal marriage.
filio desponsandam, mittens sibi literam, cujus stili principium
tale fuit:—

Wals. Hist. i. 225.

"Excellenti et magnifico domino Edwardo, regi Angliæ
"illustri, sincero[2] et amico suo carissimo, Otto, Dei gratia
"dux Austriæ, Styriæ, et Karinthiæ, dominus Carniolæ, Mar-
"chiæ, ac Portusuaonis, comes in Hapesburgh et in Chiburgh,
"necnon landagravius Alsaciæ,[3] cum sinceræ dilectionis affectu,
"votivorum successuum continuum incrementum, etc."

Eodem anno, die Translationis Sancti Thomæ, archi- Eclipse of the sun.
episcopi Cantuariensis, fuit eclipsis solis immediate
post meridiem, et duravit per duas horas. Ecliptica-
batur enim usque ad quartam partem.

Ibid.

Per idem tempus civitas Burdegaliæ est obsessa per mili- French siege of Bordeaux.
tiam regis Franciæ. Cives vero, tamquam invalidi ad resis-
tendum, cautelose finxerunt se velle reddere dictis Francis, et
apertis januis intromiserunt multos de Gallicis, et arma regis
Franciæ in turribus erexerunt. Quod videntes, tam qui intus
[erant][4] quam de foris, deposuerunt arma sua, civitatem
[captam][4] et [eis][4] redditam æstimantes. Dominus Oliverus
de Ingham, miles nobilis, et custos dictæ civitatis et terræ,
subito cum magna manu irruit super eos inermes, et cum ci-
vium adjutorio [magnam][4] eorum multitudinem interemit; unde
rex Angliæ promisit eis auxilium affuturum in proximo, tam
per terram quam per mare, inter cetera ista[5] scribens:—

"Gaudere debetis, qui per magnitudinem vestram et
"constantiam comparastis vobis nomen per sæcula gloriosum,
"quod semper excellere laboretis; et sic vos remunerare
"curabimus, quod exemplo retributionis vestræ reddentur alii
"promptiores ad exponendum pro nobis [liberaliter][1] se et
"sua, etc."

Hoc anno obiit Ricardus de Bentworthe, episcopus Succession in the see of London.
Londoniarum, regni cancellarius; cui successit[6] magister

---

[1] Supplied from B.
[2] *sincero*] socero, H.
[3] Absaciæ, H. B.
[4] Supplied from B. and W.
[5] *ista*] ita, B. W.
[6] *successit*] sui, H.

A.D. 1340. Radulphus de Stratforde, nepos archiepiscopi Cantuariensis.

Captio comitum Sarisburiæ et de Soutfolk.[1]

A.D. 1339. The earls of Salisbury and Suffolk taken at Lille.

Per idem tempus comes [Sarisburiæ,][2] Willelmus Montagu,[3] et comes Southfolchiæ, Robertus de Ufforde, post regis [Angliæ][2] recessum in transmarinis moram continuantes, inconsulte convolarunt ad arma, ut cum Flandrensium adjutorio inimicos regis sui contererent,[4] et post multas [peractas][2] victorias nimis de semet ipsis præsumentes, ad urbem, Lile vocatam, accesserunt, ut [eam][2] ab oppressione Gallicorum liberarent; ubi multitudine Francorum occurrente, dum neuter vellet[5] cedere, captus est uterque, et ad regem Franciæ in Ramis Palmarum Parisius destinatus. Qui quamvis lætus effectus esset de ipsorum præsentia, eos tamen arte carcerali custodiæ commendavit. Wals. Hist. i. 226.

Edward's sudden visit to the Tower. f. 126 b.

Cum rex, ut præmittitur, pervenit[6] in Angliam, subito nocte media pervenit ad turrim Londoniarum, et non invenit in eadem nisi pueros suos et tres servientes. Cujus constabularius erat tunc Matheus de la Beche. Ibid., i. 224.

Imprisonatio quorundam.

Imprisonment of certain officers.

Rex igitur offensus, accersivit majorem Londoniarum; quem mox direxit pro cancellario et thesaurario, domino le Wake, Johanne de Sancto Paulo, Michaele le Wate,[7] Philippo de Thorpe, Henrico de Stratforde, Johanne de Stonore justiciario de Banco; et hos omnes, præter cancellarium et thesaurarium, arestavit et imprisonavit. Expost in diversis partibus regni fecit arestari Johannem de Pultneye, Willelmum de la Poole, Willelmum de Scharschulle, Willelmum[8] de Wilughby, Johannem de Schardelow, et Thomam de Ferariis, qui omnes diversis custodiis missi sunt; sed cito post dominus de Wake honorifice deliberatus est.

Year of plenty.

Isto anno tanta fuit rerum copia et æris inopia, quod quarterium frumenti Londoniarum ad duos solidos vendebatur, et ad dimidiam marcam bos pinguis. Higd. Polych.

---

[1] Southfolk, B.
[2] Supplied from B. and W.
[3] Muntagu, B.
[4] *contererent*] conterent, H.
[5] *vellet*] nollet, H.
[6] *pervenit*] redisset, B.
[7] Wathe, B. W.
[8] *Willelmum*] Ricardum, B. W.

Wals. Hist. i. 226.

Hoc anno natus est regi Edwardo filius apud Gandavum, et vocatus est Johannes. A.D. 1340. Birth of John of Gaunt.

Rex Edwardus cum firmiter proposuisset in animo iterum transfretare, circa festum Trinitatis cepit nova de comite de Gylers[1] de conspiratione Francorum et Normannorum contra eum, qui jam cum ducentis navibus et multis galeis, necnon viginti quinque millibus electorum [pugnatorum],[2] portum de Sluse occupaverant, parati ad eum capiendum, et Philippo regi Franciæ, juxta tenorem juramenti quod sibi præstiterant, vivum vel mortuum præsentandum. Rex vero, ne suo proposito frustraretur, licet et ipse jam ducentas naves adunasset, et multam militiam, misit tamen dominum Walterum Burwaysh, episcopum Lincolniensem, ad australes partes regni, et ipsemet Gernemutham personaliter accessit, pro majori navium et militiæ numero congregando. Deinde in vigilia Sancti Johannis Baptistæ ingressus[3] est mare versus Flandriam, et aura sibi, immo Deo, favente, cœpit prospere navigare. Et cum venisset[4] juxta maritimam Flandriæ, classem Francorum copiose instructam mox obviam habuit. News of the French fleet.

Ibid., i. 227. Higd. Polych.

Bellum de Sluse.

Qua de causa, per totum diem illum cum suis deliberans, in crastino superveniente in ejus auxilium nobili et valente milite Roberto de Morleya, cum boreali classe Angliæ, commissum est navale bellum fortissimum, quale circa oras Angliæ nusquam visum fuit; ubi favore divino Franci et Normanni, acriter sagittati, per Anglicos sunt gloriose devicti, partim cæsi, partim gratis submersi, partim capti, navibusque eorum, exceptis paucis quæ aufugerant, totaliter occupatis. Battle of Sluys.

Wals. Hist. 227.

Franci utique et Normanni, cum viderent suos ita copiose cadentes a sagitta [volante],[2] et ubertim sterni ab ense et securi debacchante, elegerunt potius saltu in mare semet ipsos mergere, quam tam horribilibus utique subjacere, occisi nempe et submersi ad triginta millia armatorum. Unde expost, cum nullus auderet belli hujus exitum regi Franciæ nunciare, familiares stultum ejusdem regis subornaverunt, ut per ejus verba quodammodo rex intelligeret quod factum fuit. Nempe dictus fatuus, in regis præsentia constitutus, cœpit vehementer vituperare vecordiam Anglicorum, et de hujusmodi materia multiplicare verba. Rex autem, ignorans quid sibi vellent verba morionis, interrogat quare dicit An- How the news was broken to the king of France.

---

[1] Gileres, B. W.

[2] Supplied from B. and W.

[3] *ingressus*] regressus, H.

[4] *venisset*] pervenisset, B. W.

A.D. 1340. glicos tam vecordes. Cui ille, "Quia," inquit, "timidi sunt, "et in mare saltare non ausi sunt, ut fecerunt nostri Nor- "manni et Gallici generosi;" per quod verbum mox intellexit rex suos fore devictos, et Anglos fore[1] victores.

Edward ravages the north of France.

Rex proinde Angliæ Flandriam attingens, adunato exercitu copioso plurimarum gentium, vastavit boreales partes Franciæ, comburendo et prædas agendo, usque dum pervenit ad civitatem Tornacensem, quam mox obsidione vallavit; sed tandem ob defectum pecuniæ, quam sui segnes procuratores in Anglia non miserunt, contractis treugis et induciis inter reges, utrimque discessum est. Higd. Polych.

Hoc anno peperit regina filiam in turri Londoniarum, vocatam[2] Blanchiam; quæ, obiens inter lactandum, apud Westmonasterium sepelitur. Wals. Hist. i. 228.

A.D. 1341. Edward invades Brittany.

Rex Edwardus cum suo navigio Britanniam navigavit, ubi per cibos et potus incongruos plures de suis amisit. Ibid., i. 253. Higd. Polych.

Treuga inter reges.

Truce.

Quo tempore missi sunt ad eum duo cardinales, qui ex parte papæ treugas triennales indixerunt inter reges; sub quo spatio, de jure quod rex Angliæ vendicavit in regnum Franciæ, discuti posset ad plenum. In redeundo quoque de Britannia, maxima incommoda per marinam tempestatem perpessus [est],[3] quæ utique dicebantur per nigromanticos regis Franciæ procurari.

Birth of Edmund of Langley.

Hoc anno, quinto die Junii, apud Langley, juxta Sanctum Albanum, domina Philippa regina Angliæ filium peperit, qui baptizatus est a domino Michaele abbate de Sancto Albano, et nominatus Edmundus.

[*Hic finiit Ranulphus Cestrensis opus suum.*]

---

[1] *fore*] esse, B.

[2] *vocatam*] vocata, H. B.

[3] Supplied from B. and W.

De perfidia ducis Bavariæ, et transfretatione regis in Britanniam.

Wals. Hist. i. 253.

A.D. 1341. Edward's appointment as vicar of the empire revoked.

Lodowicus de Bavaria vicariatum citra Coloniam, a rege Angliæ, ut ferebatur, minus consulte susceptum, per suas literas revocavit, et, spretis [fœderibus][1] regis Angliæ sacramento firmatis, amicitias contraxit cum rege Francorum.

Edward's expedition to Brittany.

Quo anno, rex Edwardus transfretavit in Britanniam, recepto prius homagio de domino Johanne de Monte Forti pro ducatu Britanniæ, qui fuit verus heres ducatus Britanniæ, ipsum juvare volens contra Karolum de Bloys, qui desponsavit filiam alterius fratris germani; ubi rex Edwardus plures villas, munitiones, et castra [rebellantia][1] fortiter conquisivit. Expost obsedit ibidem villam de Vanes, et quamvis Philippus de Valoys, rex Franciæ, sibi cum [glomerosa][1] multitudine occurrisset, et treugas fecisset, nihilominus remansit villa prædicta regi Angliæ subjugata.

Novus papa nova molitur.

Higd. Polych.

A.D. 1342. f. 127.

Succession of Clement VI.

Hoc anno obiit Benedictus papa duodecimus, secundum quosdam; cui successit Clemens sextus[2] quondam Rotomagensis archiepiscopus, vir insignis literaturæ, sed prodigalitatis profusissimæ; adeo ut dignitates [ecclesiasticas],[1] vacantes in Anglia, suis conferret cardinalibus, novosque [pro eis][1] in Anglia titulos moliretur imponere; qua de causa offensus rex Anglia expost, scilicet anno gratiæ millesimo trecentesimo quadragesimo quarto, provisiones per dominum papam factas cassavit. Et ne quis deinceps [tales][1] provisiones afferret,[3] sub pœna carceris et capitis interdixit.

Wals. Hist. i. 254. Higd. Polych.

Wals. Hist. i. 254.

A.D. 1343. All tenths paid to the king.

Hoc anno per totum regnum decimæ tam temporalium quam spiritualium regi sunt solutæ.

Eodem anno, Henricus de Lancastria, comes de Derby, cum comitibus de Glovernia, de Warwico, de Northamptona, [et][1] de Oxonia, barone de Stafforde, Roberto de Ufforde juniore, et multis aliis valentibus, et exercitu numeroso, profectus est versus Scotiam, ad dissolvendum obsidionem, quam Scoti posu-

Siege of Lochmaban castle.

[1] Supplied from B. and W.

[2] *sextus*] 5^us^ in H.

[3] *afferret*] afferrent, H.

A.D. 1343. erant circa castellum de Loghmaban; quod[1] quidem castrum commissum fuerat custodiæ comitis de Northamptona, Willelmo de Boun,[2] qui loco suo posuerat in eodem Walterum de Selby, militem. Sed probitate ejusdem Walteri et episcopi Carleolensis, necnon domini de Lucy, castrum fuerat obsidione liberatum, antequam prædicti domini advenissent; sic quod redierunt, negotio nullo facto. Wals. Hist. i. 254.

Death of H. de Burghersh, bp. of Lincoln, Dec. 1340. Succession of T. le Beek, 7 July, 1342.

Hoc tempore Henricus Burwaysch, Lincolniensis episcopus, [apud][3] Gandavum in Flandria diem [clausit][3] extremum; cui successit Thomas le Beek, clericus nobilis et excellens.

Narratio.

Story of his cupidity.

Iste Henricus Burwaysch, cupidus et avarus, apud manerium suum de Tynghirf[4] parcum fecerat, et suorum tenentium vicinas terras, ipsis invitis, parco eidem adjecerat, et sepibus et fossatis incluserat; non sine diris increpationibus eorum quibus ademerat terras suas. Post mortem vero suam, apparuit cuidam ex armigeris suis, cum pharetra et arcu, sagittis et cornu, indutus brevi tunica viridi, et ait ei, "Nosti quod non "sine offensa Dei et injuria pauperum istum parcum clau- Ibid. i. 255.

His punishment after death.

"serim. Datus sum igitur non sine pœna ad custodiam hujus "parci, prout vides, quousque terræ hic inclusæ pristinis "reddantur possessoribus. Vade ergo ad fratres meos, ca- "nonicos Lincolnienses, rogans eos ex parte mea, ut hæc "omnia pauperibus restituantur possessoribus, a quibus ea "cum injuria abstuli violenter." Canonici vero non ignorantes injuriam prælibatam, mox his auditis, miserunt unum de canonicis, Willelmum Bacheler vocatum, ad restituendum sua singulis, et sepes exstirpandas fossataque complananda; qui rediens per abbatem M[ichaelem] de Sancto Albano, hæc omnia sibi narravit.

Edward opposes provisions made by the pope in England.

Eodem anno, papa Clemens fecit provisiones in Anglia duobus cardinalibus de beneficiis proximo vacantibus, præter episcopatus et abbatias, ad extentam duarum millium marcarum; quod rex et tota regni nobilitas tulit graviter. Quamobrem procuratores dictorum cardinalium sub pœna carceris Angliam exire compulerunt. Et dictus[5] rex direxit papæ epistolam

His letter to the pope.

illam famosam, quæ sic incipit, "Pensata sedis apostolicæ

---

[1] *quod*] qui, H.
[2] V. de Boun, H. B.
[3] Supplied from B. and W.
[4] Thynghirst, B.
[5] *dictus*] cito post, B. W.

Wals. Hist. i. 255. " clementia," pro libertate ecclesiæ Anglicanæ contuenda. Cui dicti cardinales poterant rationabiliter respondere.[1] A.D. 1343.

Procuratores regis missi ad papam.

Ibid, i. 261. Per idem tempus, rex Angliæ misit procuratores ad Romanam curiam, dominos Henricum de Lancastria comitem de Derby, Hugonem le Spenser, Radulphum de Stafforde, cum Oxoniensi[2] episcopo et multis aliis, dans eis plenam potestatem et mandatum speciale ad tractandum coram [summo][3] pontifice de jure suo in regnum Franciæ, non ut judice, sed ut privata persona et amico communi, non in forma nec in figura judicii, etc. Envoys sent to Rome on Edward's claim to the French crown.

Relatio memorabilis.

Eodem tempore[4] contingit quoddam mirabile in partibus borealibus, de quodam juvene, qui fuerat in familia domini Johannis de Greystok, baronis. Qui cum equitaret lætus et hilaris per quendam campum seminatum cum siligine, et cerneret siliginem in modum æquoris fluctuare, repente considerat quendam homunculum rubeum de siligine caput erigere; qui quanto plus consideravit [eundem][3] tanto plus videbatur eum sibi crescere in statura. Qui appropinquans arripuit frenum ejus, et, vellet nollet, duxit eum in siliginem, ad locum ubi, ut sibi visum fuit, pulcherrima domina cum multis puellis sibi similibus residebat; quæ mox jussit eum equo deponi, et pelle carnibusque lacerari, et demum excoriari mandavit. Deinde prædicta domina, caput suum secans per medium, cerebrum, ut putabat, abstulit, caput vacuumque reclusit. Quibus ita gestis, eum levari fecit in equum, et abire dimisit. Nec mora; expers et inops ingenii cœpit furere, et furiosos gestus continuare. Cumque pervenisset ad villam proximam, quædam puella, quæ et ipsa de domini sui familia fuerat, et eum multum dilexerat, venit ad eum et curam illius egit; et, ne dampna inferret sibi ministrantibus, catenis eum coartari fecit; quæ duxit eum ad multos sanctos transmarinos pro consequenda sanitate, sed cum nihil profecisset ibidem, regressa est in A young man miraculously deprived of, and restored to, his senses.

---

[1] *cardinalium . . . . respondere*] The Harl. MS. has been altered in this place. The version of the last sentence in B. is "cui papa nec " cardinales poterant contrariando " rationabiliter respondere."

[2] Exoniensi, W.

[3] Supplied from B. and W.

[4] *tempore*] temporis, H.

A.D. 1343. Angliam cum eodem. Non tamen defuit sibi ille rubeus et rufus, qui sibi prius apparuit; sed ubique visibilis sibi affuit. Et licet tribus aut quatuor catenis ligatus fuisset, eum semper solvere consuevit. Tandem, apud Sanctum Johannem de Beverlayco, post sex annos hujus miseriæ, recepit integram sanitatem. In placidum nempe soporem resolutus, visum fuit sibi pulcherrimam dominam ejus caput iterato dividere, et cerebrum [per][1] priorem ablatum dominam, restituere loco[2] suo. Restitutus proinde pristinæ sanitati, duxit præfatam puellam quæ eum circumduxerat, et ex ea quindecim filios genef. 127 b. ravit. Qua defuncta, ad sacros ordines se contulit, et presbyter est effectus, et promotus ad ecclesiam de Thorp Basset. Dum autem [missam][1] cum devotione summa celebraret, et corpus Christi, prout moris est, populo videndum manibus elevaret,[3] apparuit rufus ille præfatus, et ait, "Sit modo tibi custos, "quem tu tenes in manibus; novit nempe Ipse te quam ego "melius custodire." Wals. Hist. i. 261.

Succession in the see of Norwich. Hoc anno obiit Antonius Beek, episcopus Norwycensis; cui successit Willelmus Bateman. Hic auditor papalis palatii satis famosus hoc tempore missus est a papa ad regem Angliæ, qui inter cetera retulit regi, quod dux Bavariæ [papæ][1] in omnibus se submisit, et absolutionis beneficium promeruit ab eodem; et sic papa imperium, quod prius injuste tenuerat, sibi juste contulit et gratiose. Rex vero, cum hæc audisset, ira commotus, ita respondit, "Et si ipse componat cum rege "Franciæ, ego tamen paratus sum confligere cum utroque."

Reconciliation of the pope and Louis of Bavaria.

Edward's anger.

Fabricatio florenorum.

New coinage. Hoc anno apud turrim Londoniarum jussit rex florenos fieri; scilicet denarium, obolum, et quadrantem.

Algecira taken by the king of Spain. Sub his diebus, civitas de Algezira capta est per regem Hispanniæ, qui eam per triennium per terram et per mare obsederat, cum pene innumerabili populo Christiano. Rex vero de Garnade, qui eam occupaverat cum Saracenis, devenit[4] vassallus regis Hispaniæ, et eidem constituit censum annuum duodecim millium florenorum. Dominus papa, his auditis, in dicta civitate sedem statuit episcopalem, et episcopum illius urbis subjecit, tamquam suffraganeum, metropolitanæ ecclesiæ Hispalensi.

---

[1] Supplied from B. and W.
[2] *loco*] repeated, H.
[3] *elevaret*] elevare, H.
[4] *devenit*] devovit, H. B.

Rotunda Tabula incipitur in utroque regno.

Wals. Hist. i. 263.

A.D. 1344. A "Round Table" built at Windsor;

Rex Edwardus fecit convocari plures artifices ad castrum de Wyndeshore, et cœpit ædificare domum, quæ Rotunda Tabula vocaretur. Habuit autem ejus area a centro ad circumferentiam, per semidiametrum, centum pedes; et sic diametros ducentorum pedum erat. Expensæ per hebdomadam erant primo centum libræ; sed expost, propter nova quæ rex suscepit de Francia, resecabantur ad viginti libras, eo quod censuit pro aliis negotiis thesaurum plurimum comportandum.

and one begun by the king of France.

Eodem tempore, Philippus de Valoys, rex Franciæ, hoc facto provocatus regis[1] Angliæ, cœpit et ipse rotundam ædificare tabulam in terra sua; ut sic sibi attraheret militiam Alemanniæ et Italiæ, ne ad regis Angliæ tabulam properarent.

Ship-building encouraged among the French.

Per idem tempus, rex Franciæ concessit suis hominibus liberam facultatem prosternendi arbores, pro navibus faciendis, in omnibus boscis suis; unde, infra breve tempus maxima copia navium fabricata est, quæ multa dampna Anglicis intulerunt.

Miraculum de Sancto Albano.

A miracle ascribed to the agency of St. Alban.

In eodem anno, quædam puella quinquennis, apud molendinum de Bectlespool juxta Reauburnam,[2] cadens in aquam submersa est, et, cum eodem tempore molendinum moleret et rota vehementius per aquæ abundantis decursum volveretur, ejusdem puellæ corpus pertransivit rotam; sed quod credebatur sub rota contritum vel conquassatum, integrum permansit et illæsum [saltem][3] ab ipsius rotæ oppressione. Cumque plurimi occurrissent ad spectaculum, et viderent matrem puellæ vehementer lugere et compati natæ suæ, fundentes unanimiter orationem ad beatum protomartyrem Albanum, et mensurantes corpus puellæ, eidem plicantes denarium, quod mirum dictu est, cœpit puella reviviscere, et post modicum temporis [perfecte][3] se vitæ redditam demonstrare.

Death of Robert, king of Naples.

Per idem tempus obiit Robertus rex Siciliæ; post cujus mortem Laurencius,[4] filius regis Hungariæ, dicti Roberti consanguineus, super idem regnum [coronatur].[3]

---

[1] *regis*] Repeated, H.

[2] Reaburnam, B.; Redburriam, W.

[3] Supplied from B.

[4] Robert was succeeded by his grand-daughter Joanna, who married her cousin Andreas, son of the king of Hungary.

A.D. 1344. Death of the earl of Salisbury, marshal. Succeeded by Thomas Beauchamp, earl of Warwick.

Obiit etiam isto tempore Willelmus de Monte Acuto, comes Sarisburiæ, rex Manniæ, et marescallus Angliæ; de cujus elegantia, strenuitate, sapientia, et animositate digne scribere, speciales actus requirit. Successit ei, dono regis, in officium marescalliæ, dominus Thomas Beuchamp, comes Warwyci.

Privilegia concessa ecclesiasticis.

Privileges granted to the clergy.

Clerus Anglicanus regi concessit decimas triennales, et rex concessit eisdem suam chartam [1] "quod nullus archiepiscopus sive "episcopus sit arreinatus coram justiciariis nostris causa cujus- "cumque criminis, si nos specialiter non præcepimus, quousque "aliud remedium ordinetur. Item, quod nullus clericus sit "arreinatus coram justiciariis nostris, sive ad sectam nostram, "sive partis, si clericus suæ [2] clerimoniæ se submittat, dicens "se, membrum ecclesiæ sanctæ, non debere ipsis justiciariis [3] "respondere. Et si sibi imponatur, quod duas uxores dux- "erit, sive unam, viduam, quod super hoc justiciarii non "habeant commissionem, nec potestatem, ad tractandum per "inquisitionem, vel alio modo, bigamias; sed mittatur curiæ "Christianæ," etc. Wals. Hist. i. 264.

Instance of serpent charming, and discovery of treasure.

Venit eo tempore quidam medicus Saracenus ad comitem de Warena, petens licentiam capiendi quendam serpentem in dominio suo in partibus Walliæ, loco qui Brunfeld appellatur; qui cum per incantationes cepisset serpentem, dixit esse in caverna, loco vicino, ubi serpens habitaverat, magnam summam thesauri. Quod audientes viri Herefordiæ, consilio cujusdam Lombardi, qui vocabatur Petrus Pikard, fodere cœperunt illic; et reperientes verum esse quod Saracenus prædixerat, illuc in noctibus sæpius convenerunt, donec, explorati a famulis dicti comitis, capti sunt et carceri mancipati. Comes vero non modicum lucrum sumpsit ex hoc facto.

Donum sophisticum.

Creation of a prince of the Fortunate Isles.

Hoc anno, papa Clemens in consistorio publico dominum Lodowicum de Hispania creavit principem Insularum Fortunatarum, qui tunc fuit unus de ambasitoribus regis Franciæ;

---

[1] *concessit . . . chartam*] reconcessit eisdem per chartam suam, B. W.

[2] *si clericus suæ*] sive, H.

[3] *justiciariis*] justiciarii, H.

Wals. Hist. i. 265.

et assumpsit papa pro themate, "Faciam principem super "gentem magnam." Illæ autem insulæ sunt in mari Mediterraneo,[1] valde fertiles, quarum incolæ nec sunt Christiani, nec de secta Machometi. Donum utique laude dignum fuisset, si possessionem pacificam contulisset. A.D. 1344. f. 128.

Edwardo regi nata est filia, nomine Maria, quæ fuit postea copulata duci Britanniæ, sed præmature de medio est sublata. Birth of the princess Mary.

Probitas H[enrici] comitis Derby.

Hoc anno Henricus de Lancastria, comes de Derby, in Wasconiam transfretavit, cum sexcentis hominibus de armis, totidemque sagittariis. Qui primo insultu urbem munitissimam de Brigerak cepit, et undecim nobiles, in ea exsistentes, et plurimos de plebeiis captivavit. Urbes insignes et villas ibidem, numero quinquaginta sex, regis Angliæ ditioni subjecit. Paulo post, exercitum Francorum cum manu valida apud Allebroch, contra eum venientem, contrivit, captis nobilibus viginti tribus, cum aliis quasi innumeris viris armorum, ceteris vero aut peremptis gladio, aut turpiter actis in fugam. Erat enim tam liberalis, tam profusus in donativis, ut dulce quisque reputaret militare sub ipso. Nam cum villam aliquam vi occupasset, parum aut nihil sibi collegit, sed exercitui universa[2] permisit. Revera cum villam nobilem de Brigerak post magna pericula et sudores hostiliter ingressus fuisset, permisit cuilibet, domum vel mansam occupanti, tam domum quam in ea contenta. A.D. 1345. Operations of the earl of Derby in Gascony.

Munificentia Henrici Lancastriæ.

Accidit ut quidam miles, nomine Reh, domum infringeret, ubi monetam illius terræ in magnis et longis saccis posuerant pro tutela. Cumque miles tantam conspexisset pecuniam, comiti nunciavit. Erat enim in superficie moneta nigra de ære, prout moris est ibidem pecuniam fabricare. Requisivit igitur, quid comes vellet fieri cum eadem. Qui ait "Tua," inquit, "est domus, tua sint et in ea reperta." Regressus miles, dum effunderet e saccis illam pecuniam, ut sciret ejus summam, subito conspicit inæstimabilem summam monetæ de Instance of his generosity.

---

[1] Mediteraneo, H.

[2] *sibi . . universa*] collegit omnia sed præsertim universa, H.; corrected from B. and W.

A.D. 1345. argento puro percussæ,[1] et obstupuit ipsa re visa. Æstimansque multo plus ibi esse de pecunia quam congruebat suæ fortunæ, reversus ad comitem rem protinus enarravit. Cui comes, "Non," ait, "decet me dare et donum revocare, more "puerorum; volo quod tibi permaneant quæ concessi, etsi "foret pecunia triplo major." Wals. Hist. i. 266.

T. Hathfelde[2] *episcopus Dunelmensis.*

Episcopal changes,—at Durham; Hoc anno obiit Ricardus de Bury, episcopus Dunelmensis; cui successit Thomas de Hathfelde[3] regis secretarius, mediantibus regis literis ad papam, in magnam regis et regni confusionem. Nam cum ante rex et nobilitas stetissent pro electionibus libere faciendis et confirmandis, jam rex, directe contra suas literas et vota procerum, hunc fieri episcopum flagitavit. Papa [vero, non][4] invitus, hanc petitionem regi concessit, sed quibusdam de cardinalibus calumniantibus dictum Thomam fore levem et laicum, ita respondit, "Vere," inquit, "si rex pro asino supplicasset, obtinuisset ad vota, ista "vice."

Hereford; Eodem anno obiit episcopus Herfordensis, T[homas] Cherltone; cui successit Johannes Trellyk.

Ely; Obiit etiam episcopus Eliensis, Symon de Monte Acuto; cui successit, ex collatione papæ, Thomas de Lyle, frater prædicator.

Winchester. Obiit eo tempore episcopus Wyntoniensis Adam, qui magno tempore cæcus fuerat ante mortem. Cui successit Willelmus de Edyngdone, thesaurarius Angliæ. Hic fundavit domum apud Edyngdone, [de ordine],[4] qui nescitur, de secta fratrum de Ascherugge.

Death of Henry earl of Lancaster. Eodem anno obiit dominus Henricus comes Lancastre, pater Henrici comitis de Derby; et sepultus est Leycestriæ in monasterio canonicorum, præsentibus rege, regina tam antiqua quam nova, archiepiscopis et episcopis, comitibus et baronibus, quasi regni totius. Filius suus et heres eo tempore in Vasconia, ut præfertur, actus bellicosos et strenuos exercebat; quamobrem interesse non potuit exsequiis patris sui.

Irruptio[5] *Scotorum.*

The Scots enter Westmoreland. Scoti sub his diebus, collecto exercitu quasi triginta millium, duce W[illelmo] Douglas, apud Westmoreland hostiliter

[1] *percussæ*] percusso, H.
[2] G. Hathfelde, H.
[3] Hathfede, H.
[4] Supplied from B.
[5] *Irruptio*] Irreptio, H.

Wals. Hist. i. 266.

Angliam sunt ingressi. Ad insinuandum ergo ipsorum malitiam, Carleolum et Penreth et multas alias villulas combusserunt. Episcopus [igitur][1] Lugubaliæ, et Thomas de Lucy, miles fortissimus,[2] et Robertus Oggil,[3] armiger famosissimus, cum parva manu ex omni parte Scotorum exercitum circuierunt in noctibus, et lituis [et cornibus][1] et nocturnis clamoribus sic inquietaverunt, ut [nec][1] pro victualibus exire auderent, nec membra dare sopori. Tandem, cum Scotos omnino urgeret necessitas, Alexander Stragan, [coarmatis][4] de audacioribus suæ gentis, pabulatum exire disponit. Cui mox obviam [fit Carleolensis][5] episcopus, cum Roberto [Ogul],[6] et acriter irruunt super Scotos. Demum sors contulit ut [Robertus][1] Oggul cum Alexandro[7] præfato hastiludiare valeret. Qui cogens dextrarium vehementer, cum lancea acuta ipsius Alexandri corpus perforavit, non[8] sine læsione sui ipsius. Nam et ipsum Scotus in latere, sed non letaliter, vulneravit. Episcopus a Scotis ab equo et ipse dejicitur, et pene capitur; sed suorum laudabili probitate et equo restitutus est, et a Scotorum manibus liberatus. Et quamvis Scoti visi sunt primo propter suam multitudinem prævalere, commendabili tamen Anglorum constantia victi sunt, multis occisis et pluribus captivatis. Interea, domini de Percy et de Nevyle, ex parte una, et dominus de Lucy ex parte alia, [et viri][1] de comitatu Lancastre ex tertia, Scotos jam requie et prandio destitutos in suis tentoriis invadere condixerunt[9]; quod Scoti per exploratores cognoscentes, ante dictorum dominorum adventum in suam patriam meticulose[10] fugerunt.

A.D. 1345.

Exploit of Robert Oggil,

and the bishop of Carlisle.

Defeat of the Scots.

Rex E[dwardus] tertius applicat apud Hogges.

Rex Edwardus, missis ad curiam Romanam literis in quibus asseruit per regem Franciæ Philippum et ejus complices, certis rationibus assignatis, treugas esse violatas, mense Julii ingressus est mare, in festo Sancti Thomæ archiepiscopi, omnibus ignorantibus quorsum tenderet. Tandem [ductu][11] cujusdam militis[12] de Harecourt, nuper de Francia exlegati, in

A.D. 1346. Edward invades France.

f. 128 b.

[1] Supplied from B. and W.

[2] *miles fortissimus*] milite fortissimo, H.; milite strenuissimo, B.

[3] Oggille, B.

[4] *coarmatis*] Supplied from B.; coadunatis, W.

[5] *fit Carleolensis*] B.W.; habuit, H.

[6] Supplied from B.

[7] Allexandro, H.

[8] *non*] non tamen, B.

[9] *condixerunt*] conduerunt, H.

[10] *meticulose*] metriculose, H. B.

[11] *ductu*] om. H. B.

[12] A blank space between *militis* and *de Harecourt*, H. B.

A.D. 1346. He takes Caen; australi parte Normanniæ apud Hoggus, juxta Sequanam flumen applicuit; mox Cadomum hostiliter ingressus, cepit, spoliavit, combussit; et postea [multas urbes. Verum][1] quia Philippus rex Franciæ pontes fluminum versus Franciam, in cunctis locis quibus transitus ejus esse poterat, ante confregerat, ne facultas daretur exercitibus confligendi ad invicem, rex Edwardus Normanniam penetravit, et in suo transitu Picardiam devastavit et conflagravit, et tandem veniens Pusianum, fractum pontem ibidem jussit reparari. Interim, comes Northamptoniæ, flumen Sequanæ transiens, quingentos ex illis, qui pontium reparationem impedire conabantur, occidit. Mox E[dwardus], sexto-decimo die Augusti, Sequanam flumen pertransiens, patriam ubicumque perrexit, circumcirca destruxit, deprædatus est illius incolas et captivavit. Aquam de Summo, ubi antea nusquam fuit transitus, illæsus cum toto suo exercitu pertransivit, et de Gallicis, qui transitum impedire conati sunt, duo millia interfecit. Interim dominus [Hugo][2] de Spencer villam de Crotoye cepit viriliter, et quadringentos,[3] qui ad villæ custodiam deputati sunt, interemit. Wals. Hist. i. 267.

crosses the Somme.

Bellum de Cressi.

Rex Franciæ Philippus audiens et cognoscens animositatem, probitatem, et constantiam regis Edwardi, cum jamdudum comparatis conductis exercitibus parat ire obviam regi E[dwardo]. Igitur, vicesimo sexto die Augusti reges [sibi][1] obviant cum suis exercitibus apud Cressi in Pontino; ubi commissum est bellum atrox valde, et multum sanguinis effusum ex parte Gallicorum. Nempe rex Franciæ Philippus ibi devictus est, cum innumerabili exercitu conducticiorum, et fugatus. Duo etiam reges, qui in auxilium ejus venerant regis Franciæ, scilicet Boemiæ et Majoricarum, ibi perempti sunt. Ferunt utique regem Boemiæ cæcutientem fuisse, et res positas a remotis cernere non potuisse; qui quæsivit a suis qualiter Angli collocati essent. Cui responsum est, quod dispositi erant pulchre per bella, et quod statuissent a tergo omne cariagium eorundem. "Ipsi," inquit Boemus, "vel mori "volunt in campo die ista, vel certe victoriam obtinere."[4] Relatum est præterea regi Boemiæ, quod multi alites, scilicet corvi, cornices, et monedulæ, et aliæ cadaverum sectatrices, supra exercitum Francorum volitarent. "Prodigium," inquit

Battle of Crecy.

Defeat of the French.

[1] Supplied from B. and W.
[2] Supplied from W.
[3] *quadringentos*] quadragintos, H.
[4] *victoriam obtinere*] victores existere, B. W.

Wals. Hist. i. 268.

Boemus, "est hoc, et dirum signum; significat nempe exercitum fore mactandum. Attamen," inquit, "applicate me ad aliquem nobilem, cum quo congredi valeam, si potestis." Et mox ejus milites collocaverunt eum in loco ubi copiam habere potuit pugnandi cum Edwardo, regis Angliæ primogenito. Cumque constanter et bellicose pugnaret, circumclusus et oppressus ab Anglicis est peremptus. Cecidit ibi præterea dux Lotharingæ, cum duobus episcopis, octo comitibus, et multis[1] aliis nobilibus, quorum nomina singillatim scribere longum foret. Duo quoque millia militum ibidem prostrata sunt, et vulgus, cujus numerus ignoratur, in hoc bello necatur. Qui gladios, lanceas, secures, et sagittas Anglorum potuerunt evadere, cum rege suo fugerunt. Philippus vero rex Franciæ, dum suos hortabatur et animare conatus est, dum in Anglos, ut lupus inter agnos, desævit, dum multos prosternit et perimit, in gutture et femore vulneratur, et bina vice per regem Angliæ equo suo dejicitur; captusque fuisset ibidem, nisi citius [sibimet][2] fuga consuluisset. Quo fugiente, plena victoria cessit Anglis. A.D. 1346.

Obsidio Calesiæ.

Post præfatam victoriam, rex E[dwardus], recreato, remunerato, et refocillato suo exercitu, mox nono die sequente plantavit obsidionem circa villam Calesiæ, ab olim sibi regnoque suo toti[3] infestissimæ. Quam obsidionem per annum et amplius protelavit; per quod tempus ibi multi de Anglicis tum corruptione cadaverum et intestinorum animalium, tum reliquis incommodis, et maxime fluxu ventris, perierunt. Edward besieges Calais.

Bellum Dunelmæ.[4]

Per idem tempus, David le Bruse rex Scotiæ, animatus per instigationem regis Franciæ, cum Scotorum exercitu glomeroso ausus est intrare Angliam, æstimans non remansisse in terra nisi clericos et pastores; autumabat enim omnem regni militiam, cum ceteris viris defensoribus, exisse regnum cum rege suo. Nec utique sibi constabat de glorioso triumpho, quem rex Angliæ de rege Franciæ reportaverat; sed progrediens usque Dunelmum, putabat se posse montes æquare vallibus, et cuncta libita sibi licere; sed eum opinio sua cito fefellit. Nam per clerum Eboracensem et paucos laicos, non Battle of Nevil's Cross.

---

[1] *multis*] pluribus, B. W.
[2] Supplied from B. and W.
[3] *toti*] toto, H. B.
[4] Dunelmiæ, B.; Dunesmiæ, W.

A.D. 1346. Defeat and capture of David Bruce.

sine confusione maxima, in vigilia Sancti Lucæ Evangelistæ devictus et captus est, cum Willelmo Douglas et multis aliis nobilibus de regno [suo],[1] et carcerali custodiæ mancipatus. Qui [vero dictam,][1] volente Deo, fecere[2] victoriam, fuerunt dominus Willelmus le Zouche, episcopus Eboracensis, cum clero suæ diœcesis, dominus Gylbertus de Umfrevile comes de Angos, Henricus Percy, Randulphus Nevile,[3] Willelmus Dancourt, et Henricus Scrop, cum exercitu quem collegerant Anglicorum, prout poterant in tanta temporis districtione. Et quamvis pene tota militia Scotiæ ibi capta fuerat vel perempta, pauci tamen ibi, Deo laudes, ex Anglicis ceciderunt. Valentes ex parte Scotiæ qui ceciderunt ibidem, fuerunt Robertus comes Moraviæ, et Moricius comes de Stratherne. Cum rege vero capti sunt comes de Flife, de Menth,[4] et de Wygotone. Et revera hic dies fuisset ultimus obstinatæ Scotorum rebellionis, si, prædis et captivis tunc omnino neglectis, Anglici gentem ab antiquo rebellem persequendo de terra viventium delevissent. Wals. Hist. i. 269.

f. 129. Birth of the princess Margaret.

Eodem anno, tertio kalendas Augusti, regina peperit filiam nomine Margaretam.

Bellum in Britannia.

Sir Thomas de Dagworth defeats the French in Brittany.

Eodem anno, Thomas de Dagworth miles, genere Anglicus,[5] cum octoginta armatis et centum sagittariis, tertio nonas Junii contra Karolum de Bloys et magnates Britanniæ, et multos extraneos circumquaque collectos, habito[6] conflictu valido, velut alter Machabæus, per duas vices prævaluit die illa; deletis nempe plurimis in ore gladii, multos cepit. Habuit enim idem Karolus in exercitu suo mille quingentos armatorum, octo millia balistariorum,[7] et triginta millia peditum.

Acta comitis de Derby in Aquitannia.

Successes of the earl of Derby.

Eo quoque anno, mense Augusti, tenente consilium in Aquitannia domino Henrico de Lancastre, comite de Derby, cum suis magnatibus, Johannes primogenitus regis Franciæ, qui villam de Aquilon longo tempore obsederat, sed eam obtinere non poterat, misit ad H[enricum] pro treugis habendis; quæ

---

[1] Supplied from B. and W.

[2] *fecere*] facere, H.

[3] Nevyle, B. W.

[4] Flife et Menteth, B.; Fyfe et Menteht, W.

[5] Anglus, B.

[6] *habito*] habitu, H.

[7] *balistariorum*] balistorum, H.

Wals. Hist. i. 270.

sibi negabantur expresse. Johannes ergo, quamquam jurasset se non recessurum antequam villam intrasset, relictis tamen sarcinulis et tentoriis, confusus abcessit. Expost mox idem Henricus dictam villam de Aquilon, et villam de Reas, aliasque multas villas, cum castellis de Ageneys et Tonyngges, sibi stabilivit. Deinde progrediens per Seyntonge, cum mille armatis hominibus, pernoctavit[1] in villa de Salveterre, tunc sibi reddita præ timore ejus. Post hoc, villas Sancti Johannis de Angeleym et de Livesham potenter cepit cum castris earundem.[2] Indeque progrediens, civitatem Pictavorum potenter cepit per insultum, captis resistentibus vel occisis, et quodam [episcopo],[3] cum quatuor baronibus et multis aliis fugientibus ex alia parte civitatis; in qua cum cepisset spolia quanta[4] placuit, rediit Burdegaliam cum triumpho. A.D. 1346.

Fuga regis Franciæ et deditio Calesiæ.

Cum rex Angliæ strictius obsideret Calesiam, rex Franciæ, juxta promissionem quam obsessis promiserat, collecto exercitu, Calesiam appropinquat, ad dissolvendum obsidionem, si quo modo valeret. In crastino vero adventus sui, clam aufugit diluculo, relictis tentoriis cum victualibus abunde refertis, metuens nimirum Anglici regis audaciam, quam expertus fuerat parum ante dampno suo. Qui in Calesia villam tenebant contra regem Angliæ, viso quod rex Franciæ sic aufugisset, jam omnino desperantes de succursu, et eo maxime quod fame et inedia tabescebant, villam regi Angliæ reddiderunt, salvis vita et membris. Rex autem ingressus villam, ejus dispositioni et ordinationi totaliter intendebat, quasi per spatium unius mensis manens ibidem. A.D. 1347. The king of France fails to relieve Calais; which surrenders.

Papa vero, considerans rem contigisse contrariam[5] votis suis, et jam regem Angliæ effectum celeberrimum inter omnes reges, interposuit partes suas, ut treuga fieret inter regna. Et post hæc cum summa laude et gloria rex Edwardus, circa festum Sancti Michaelis, in Angliam est reversus. Sed in redeundo, sicut quondam de Britannia Minori repatrians, maximam tempestatem perpessus est in mari; ubi multos valentes et probos de suis amisit. Sic et modo magnas pertulit adversitates; unde Beatæ Virgini conquestus est, dicens, "Sancta "Maria," inquit, "Domina mea, quid est, quod tendendo The pope proposes a truce. Edward returns to England.

---

[1] *pernoctavit*] provocavit, H.
[2] *earundem*] eorundem, H. B.
[3] Supplied from B. and W.
[4] *quanta*] tanta, H.
[5] *contrariam*] contraria, H.

A.D. 1347. " versus Franciam, felici [aura][1] potior, mare placatur, et cuncta " prospere mihi succedunt; in redeundo vero versus Angliam, " mihi eveniunt sæva infortunia, et nimis adversa?" Wals. Hist. i. 272.

Aliud bellum in Britannia.[2]

Thomas de Dagworth defeats and captures Charles de Blois.

Eodem anno, Thomas de Dagworth supradictus, cum trecentis armatis et quadringentis sagittariis, Karolum de Bloys, in obsidione Rupis Dirianæ laborantem, duodecimo kalendas Julii, in aurora diei[3] superveniens, est aggressus, multitudinem ad prœlium paratam et ejus adventum præstolantem prostravit, Karolum cepit cum multis nobilibus, triumphumque obtinuit, futuris seculis merito commendabilem. Erant autem in exercitu Karoli militum et scutiferorum mille ducenti, et aliorum armatorum sexcenti, balistariorum duo millia, et peditum copia magna valde.

A.D. 1348. Wealth among the English from the spoils of war.

Composita pace, per totam Angliam videbatur Anglicis quasi novus sol oriri, propter pacis abundantiam, rerum copiam, et victoriarum gloriam. Nam nullius nominis erat femina quæ non aliquid de manubiis Cadomi, Calesiæ, et aliarum urbium transmarinarum, vestes, furruras, culcitras, et utensilia, possidebat; mappæ mensales et monilia, cyphi murrei et argentei, linthea et lintheamina, sparsim[4] per Angliam in singulorum domibus visebantur. Tunc superbire cœperunt matronæ Anglicanæ in apparatibus matronarum Galliæ Celticæ, et ut illæ dolebant de rerum suarum amissione, sic istæ gaudebant de rerum dictarum acquisitione.

Inundation and pestilence.

Hoc anno fuit magna pluviæ inundatio, quæ durabat a festo Nativitatis Sancti Johannis Baptistæ usque ad Natale Domini proximo sequens; quam secuta est mox mortalitas Saracenorum et incredulorum, in tantum, ut vix decimum vitæ relinqueret Saracenum; qui putantes hanc eis pestem immissam propter incredulitatem suam, ad fidem se Christianam converterunt; sed comperto quod in secta Christiana eadem pestis invaluit, iterum ad vomitum reverterunt.[5]

---

[1] Supplied from B. and W.

[2] In the margin of H. is added, " Karolus vendicavit totam Britan- " niam per medium ducatum (*sic*) " qui fuit uxoris suæ."

[3] *diei*] die, H.

[4] *sparsim*] Repeated, H.

[5] *reverterunt*] revertuntur, B. W.

Pestilentia magna.

Wals. Hist. 273.

Magna mortalitas hominum grassata est per orbem, incipiens ab australibus et borealibus plagis, tantaque clade desæviens, ut vix media pars hominum remaneret. Tunc villæ, olim hominibus refertissimæ, suis destitutæ sunt colonis; et adeo crebra pestis invaluit, ut vix vivi potuerunt mortuos sepelire.[1] In quibusdam vero religiosorum domibus de viginti vix supererant tantum duo. Nam, ut taceamus de aliis monasteriis, apud Sanctum Albanum, in ipso monasterio, amplius quam quadraginta monachi parvo tempore obierunt. Æstimabatur autem a pluribus, quod vix decima pars hominum relicta fuisset ad vitam. Hanc pestilentiam e vestigio lues animalium est secuta. Tunc redditus [perierunt;][2] tunc terra, ob defectum colonorum,[3] qui nusquam[4] erant, remansit inculta; tantaque miseria ex his malis est secuta, quod mundus ad pristinum statum redeundi nunquam postea habuit facultatem.

A.D. 1349. Great plague.

Mortality at St. Alban's.

f. 129 b.

Proditiosa conventio de capienda Calesia.

Eodem anno, quidam miles, nomine Galfridus Charneys, unus de secretariis regis Franciæ, venit clam et subdole cum multitudine pugnatorum ad capiendum Calesiam, secundo die Januarii, secundum quod erat per prius dolose conductum inter ipsum et custodem illius villæ; ut saltem, si villam obtinere non posset, ad minus castrum villæ sine dubio obtineret. Et ut ita fieret effectualiter, solvit præ manibus præfato custodi, qui fuit oriundus ex Janua, pecuniæ magnam summam. Quod cum regi Angliæ Edwardo fuisset intimatum, nescientibus Francigenis, illuc secrete cum suis advenit armatis ad unguem. Miles vero prædictus, juxta conventionem inter ipsum et Januensem factam, misit quosdam de suis, ut liberum introitum obtinerent, suo nomine, in castrum [prædictum].[2] Quibus ingressis, pons ligneus, subito elevatus ante fores, inclusit ingressos, et exclusit de foris exsistentes. Mox rex Edwardus, extra villam [Calesiæ][2] cum suis egressus, animose Francigenas est aggressus. Orta est ergo gravis pugna inter Francos et Anglicos, et tam acriter pugnatum est ex utraque parte, quod vix cum rege Edwardo remanserunt triginta de suis, tam constanter, tam fervide erant cum Gallis

French attempt on Calais;

repulsed by king Edward.

---

[1] *sepelire*] sepeliri, H. B.

[2] Supplied from B. and W.

[3] *colonorum*] colonum, H. B.

[4] *nusquam*] nunquam, H.

A.D. 1349. occupati. Rex Edwardus, proinde frendens apri more, et ab ira et dolore turbatus, evaginato gladio, Sanctum Edwardum et Sanctum Georgium invocavit, dicens, "Ha Seynt Edward, "A Seynt George;"[1] quibus auditis et visis, confestim Anglici confluebant ad regem suum, et, facto impetu contra hostes, tam animose institerunt, quod ducenti ex illis ceciderunt interfecti, et miles supradictus captus est cum pluribus aliis suæ gentis. Nonnulli vero fugæ præsidio sunt salvati. Wals. Hist. i. 274.

Succession to the primacy.

Hoc anno obiit magister Johannes de Ufforde, cancellarius regni, electus et confirmatus in archiepiscopum Cantuariensem, non tamen consecratus; cui successit per[2] electionem magister Thomas de Bradwardine.

Remission of sins to those dying of the plague.

Iterum[3] sæviente peste in Anglia, dominus papa Clemens concessit plenam remissionem, causa hujus epidemiæ, omnibus vere contritis et confessis morientibus per totum regnum.

Succession of abbats at St. Alban's;

Eodem anno obiit Michael, abbas Sancti Albani; cui successit Thomas de la Mare, quondam prior de Tynemutha.

and Westminster.

Item obiit Symon abbas Westmonasterii, cui successit Symon Langham, qui mox factus est regni thesaurarius, deinde episcopus Eliensis, extunc regni cancellarius, deinde episcopus[4] Cantuariensis, demum presbyter cardinalis tituli Sancti Sixti, postremo episcopus Penestrinus.[5]

Bellum navale de Wynchelsee.

A.D. 1350. Defeat of the Spanish fleet off Winchelsea.

Commissum est bellum navale inter Anglicos et Hispanos quarto kalendas Septembris. Edwardus nempe, rex Angliæ, cum paucis navibus obviavit navigio Hispaniæ, bellicosis viris refertissimo, juxta Wynchilsee; et facto atrocissimo conflictu, multi cæsi, multi læsi sunt ex utraque parte. Nam tam fervens erat bellum, tam crebra vulnera inflicta ex omni parte, quod ab illo prœlio vix aliquis evasit illæsus. Demum, Deo volente, victoria cessit Anglis. Captæ sunt ibi igitur viginti sex naves magnæ, reliquis submersis vel in fugam versis. In hoc conflictu, dum Hispani, tumidi atque superbi, et[6] fidentes in robore suo et strenuitate, dedignantur se reddere jussu regis Edwardi, omnes miserabiliter perierunt, alii ferro cæsi, alii aquis submersi.

---

[1] Ha Seyn Jorge, B.; Ha Sant George, W.

[2] *per*] præ, H. B.

[3] *Iterum*] Interim, W.

[4] *episcopus*] archiepiscopus, W.

[5] Prænestinus, W.

[6] *atque . . et*] et . . atque, B. W.

Wals. Hist. i. 275.

Hoc anno obiit magister Thomas Bradwardyn, Cantuariensis [archi]episcopus;[1] cui successit magister Simon Islep. A.D. 1349. Succession to the primacy.

Translatio Sancti Thomæ Herfordensis.

Eodem anno, cum magna veneratione facta est translatio Sancti Thomæ, Herfordensis episcopi, rege præsente, cum nonnullis ecclesiæ Anglicanæ prælatis regnique nobilibus, et aliis plebeiis in multitudine copiosa. A.D. 1350. Translation of St. Thomas, bishop of Hereford.

Eodem anno, factum est duellum in palatio regis apud Westmonasterium inter dominum Johannem Bastard, filium Philippi regis Francorum, et quendam militem de Ypres; cessitque victoria Johanni præfato. Duel at Westminster.

Annus jubilæus.

Annus iste erat jubilæus, quo multi de populo utriusque sexus, pro gratia remissionis suorum peccaminum consequenda, Romam sunt profecti. Quo quidem anno, venerunt in Angliam pœnitentes, viri nobiles et alienigenæ, qui sua nuda corpora usque ad sanguinis effusionem, nunc flendo, nunc canendo, acerrime flagellabant; tamen, ut dicebatur, nimis inconsulte, quia sine licentia sedis apostolicæ hoc faciebant. Year of jubilee. Flagellants appear in England.

Fabricatio novæ monetæ.

Willelmus de Edyngdon, Wyntoniensis episcopus, regni thesaurarius et vir magnæ prudentiæ, et qui plus dilexit regis commodum quam communitatis, excogitavit et fecit insculpi novam monetam, scilicet grossum et dimidium grossum. Sed hæc erant minoris ponderis quam correspondens summa sterlingorum; quæ res fuit expost occasio, quod victualia sive mercimonia fuere per totam Angliam magis cara. Operarii vero, et artifices ac servientes, proinde callidiores et fraudulentiores solito sunt effecti. Contra quorum superbiam, astutiam, et nequitiam et avaritiam, ordinata sunt statuta per parliamentum ad Westmonasterium expost anno regni regis Edwardi tertii a conquæstu vicesimo octavo et tricesimo quinto; sed parum aut nihil communibus profecerunt. A.D. 1351. New coinage. Rise in prices.

---

[1] *archiepiscopus*] B. W.

Bellum de Mauron.

A.D. 1352. Defeat of the French at Mauron in Brittany.

In vigilia Assumptionis Beatæ Mariæ, dominus Walterus de Bentlee, miles egregius et custos Britanniæ Armoricæ, juxta Mauronam, inter villas de Reynes[1] et Plumerel, cum trecentis hominibus armorum totidemque sagittariis, debellavit et vicit marescallum Franciæ venientem hostiliter contra eum cum exercitu excessivo. Nempe ex parte Gallicorum cæsi sunt ibidem viri nobiles, id est, domini tresdecim, milites vero centum quadraginta, scutiferi quoque centum; tot autem pedites quod eorum numerus non poterat facile deprehendi. Capti sunt ibidem insuper novem domini, milites et armigeri centum quadraginta. Gallici et Britanni per hunc eventum sunt maxime consternati, et eorum status est[2] superbia inclinata. Wals. Hist. i. 276.

f. 130.

Death of Clement VI.

Hoc anno obiit Clemens papa, cui successit episcopus Ostiensis Stephanus, [qui] Innocentius sextus est vocatus.

Resignation of the bishop of Rochester.

Eodem anno, Haymo Athethe, episcopus Roffensis, sponte et notorie renunciavit episcopatui, resignans illum in manus papæ. Cui papa providit de magistro Johanne de Schepey, monacho et priore dictæ sedis. Sub quo tempore incepit et magna caristia rerum venalium, scilicet, ferri, plumbi, æris, et omnium aliarum.

Eodem anno, Willelmus, dux Selandiæ, duxit in uxorem filiam Henrici, comitis Lancastriæ.

Statuta fiunt in parliamento Londoniis, sed frustra.

A.D. 1353. Statutes of wages;

Tenuit rex parliamentum apud Westmonasterium post festum Paschæ; in quo statutum est, inter cetera, quod servientes et operarii, et ceteri frequentatores servilis operis, de cetero pro dietis sive annuis famulatibus plus mercedis vel stipendii non accipiant quam solebant accipere ante annum pestilentiæ quovismodo.

of cloth;

Præterea, statutum est ibidem, ut panni venales per totam Angliam sint in longitudine et latitudine sicut olim statutum est apud Northamptonam;

of obstructions in rivers.

et quod omnia molendina et alia quæque impedimenta navium, lemborum,[3] et omnium aliarum vecturarum, per rivos aquarum omnium in Anglia, tollantur et deleantur; quæ omnia expost, mediante pecunia et singulari dominorum amicitia, stare permittebantur ad communium detrimentum.

---

[1] Reymes, B. W.

[2] *status est*] fastus est et, B.; fastus et, W.

[3] *lemborum*] limborum, H.

Magna siccitas.

Wals. Hist. i. 277.

Eodem anno, tanta fuit siccitas a mense Martii usque ad mensem Julii, ut vix per totum tempus hoc plueret super terram; unde contigit, ut sementa, herbæ et omnia alia olim fructifera perierunt. Ob quam causam Anglia semper fertilis ab aliis regionibus petere alimoniam est coacta. Cujus miseriæ condolens W[illelmus] dux Selandiæ, naves plures onustas siligine Londonias destinavit; quæ non parum profecit incolis regionis. A.D. 1353. Long drought.

Hoc anno, Henricus, comes Derbyæ et Lancastriæ, apud Westmonasterium dux Lancastriæ est creatus; et Radulphus de Stafford comes Staffordiæ fuit factus. New titles.

Concordia inter reges facta et mox frustrata.

Facta est concordia, et juramento firmata,[1] inter reges Angliæ et Franciæ; excepto quod sigilla eorum ad scripta indentata nondum sunt apposita. In quibus continebatur, quod rex Angliæ haberet omnes terras suas ducatus Aquitanniæ, quas sibi rex Franciæ injuste usurpaverat, si rex Angliæ totum jus et clameum, quibus regnum Franciæ vendicabat, regi Francorum remitteret ac in perpetuum renunciaret. Super quo negotio, ex parte regis Angliæ missi sunt solemnes nuncii ad Romanam curiam, videlicet, dominus Henricus dux Lancastriæ, Ricardus comes Arundeliæ, Willelmus Norwicensis episcopus, et Guido de Bryan, ut dominus papa dictam concordiam confirmaret. Sed dolo et fraude Gallorum, quibus jugiter adhærebant, una cum conniventia domini papæ, a concordia est discessum. Rex vero Edwardus, ex hoc non modicum exasperatus, copioso exercitu congregato, regnum Franciæ[2] [confestim][3] intravit, ac illud vastare cœpit. A.D. 1354. Negotiations for a treaty with France fail. Edward invades France.

Hoc anno, feria tertia in hebdomada Pentecostes, combusti sunt [apud][3] Avinionem duo fratres Minores, pro quibusdam[4] erroneis opinionibus, ut[5] domino papæ et suis cardinalibus videbatur. Two Minorites burnt at Avignon.

Seditio grandis Oxoniis.

Illo quippe anno, grandis seditio inter laicos et scholares Oxoniæ est exorta. Laici nempe, collecta multitudine Riot at Oxford.

---

[1] *firmata*] formata, H.
[2] Francium, H.
[3] Supplied from B. and W.
[4] *quibusdam*] quibus, H.
[5] *ut*] prout, B. W.

A.D. 1354. virorum de patria convicina,[1] in scholares atrocissime irruerunt, et quosdam vulneraverunt, et quosdam nequiter[2] peremerunt. Tandem, more prædonum bona scholarium diripientes, eos de villa fugere compulerunt. Propter quod, Oxonia diu postea erat supposita ecclesiastico [interdicto][3]; sed demum, mediantibus regni magnatibus et eorum amicis, pax inter eos tali pacto firmata est; ut cives Oxonienses, qui causas discordiæ ministraverant, firmiter et perpetualiter obligarent se nunquam de cetero scholaribus Oxoniensibus fore nocivos, vel eis læsionem aut injuriam illaturos; regimenque totius villæ cancellarius universitatis, qui pro tempore fuerit, et nullus alius, saltem laicus, in posterum obtineret. Wals. Hist. i. 278.

The city placed under an interdict.

The wool staple removed from Flanders to England.

Eodem anno, per consilium regis Angliæ stapula lanarum de Flandria revocatur, cum omnibus ad eam pertinentibus, et stabilitur in Anglia, sed tamen divisim per loca, [videlicet,][3] Westmonasterii, Cantuariæ, Cicestriæ, Bristolliæ, Lincolliæ, et Hulliæ, in omnibus libertatibus, consuetudinibus, et juribus, eisdem concessis in perpetuum.

Duel between the dukes of Lancaster and Brunswick prevented.

Per idem tempus transfretavit Henricus dux Lancastriæ cum magnificentia et honore, ad ineundum singulare certamen Parisius cum duce de Bruneswyk, qui res suas deprædatus est cum rediret de Romana curia; sed, intervenientibus dominis, nihil actum fuit.

Princeps, accepto principatu Aquitanniæ, transfretavit.

A.D. 1355. Dum rex Angliæ teneret consilium apud Westmonasterium, nunciatur eidem Philippum regem Franciæ fore mortuum, Johannemque, filium ejus, in regem Franciæ coronatum; eundemque Johannem Karolo, filio suo seniori, qui dictus est Dolphinus de Vienna, ducatum Aquitanniæ contulisse. Quibus auditis, rex Angliæ indignatus, advocato coram suis proceribus domino Edwardo, primogenito suo, illi ducatum Aquitanniæ assignavit, quia sibi jure hereditario pertinebat; præcipiens ut se contra suos adversarios tueretur. Qui mox, una cum patre suo imploraturus auxilium, in Anglia loca sanctorum visitans, diversis diversa munera condonavit. Quo tempore, rex pater apud Westmonasterium caput sanctissimi obtulit Benedicti.

The prince of Wales created duke of Acquitaine.

He sails for France;

Deinde princeps Walliæ Edwardus præfatus regis primogenitus, secundo kalendas Julii, paratis omnibus in expeditionem tanti negotii, ac comitantibus eum comitibus de Warwyk,

---

[1] *convicina*] convicissina, H.

[2] *nequiter*] crudeliter, B. W.

[3] Supplied from B. and W.

Wals. Hist. i. 279.

Southfolk, Sarisburia, et Oxonia, et mille hominibus armorum totidemque sagittariis, in nativitate Sanctæ Mariæ apud Plummouth velificare cœpit. A.D. 1355.

Acta principis.

Igitur cursu prospere perveniens Aquitanniam, a nobilibus regionis honorifice susceptus est. Quibus adventus sui causam notificans, et habita deliberatione optima, decimo die Octobris equitare cœpit, transiens per patriam de Juliak sibi subjectam, deinde per patrias de Armanak, de Ryver, Cunyggesslee, Tholouse, Carkasone, et Nerbone, juxta mare Græcum, villasque quamplures, quasdam muris clausas, per octo hebdomadas eundo et redeundo, captis prædis et spoliis, igne devastavit, nulla resistentia sibi facta. Extunc hiemavit ibidem. Interim proceres [sui][1] multas bonas villas [muratas][1] et castra sibi subjugaverunt; quamobrem territi multi nobiles, sese cum[2] suis omnibus dicto domino principi submittentes, fide Anglici devenerunt.[3] f. 130 b. and ravages the southern parts.

Rex Franciæ exspectare non audet adventum regis Angliæ.

Hoc anno, circa principium mensis Novembris, rex Angliæ Edwardus audivit Johannem regem Franciæ apud Sanctum Audomarum velle exspectare adventum suum, et paratum ad dimicandum contra eum. Qui mox Calesiam transfretavit, cum duobus filiis suis, Leonello comite Ultoniæ, et Johanne de Gaunt comite de Rychemunde, ac domino Henrico duce Lancastriæ, comitibusque Northamptoniæ, Marchiæ, et Staffordiæ, aliisque magnatibus et hominibus armorum, scilicet ad duo millia bellatorum. Secundo die Novembris, egressus Calesiam, profectus est versus [Sanctum][1] Audomarum, ubi putavit regem Franciæ cum ingenti exercitu exspectare. Sed rege Angliæ appropinquante, rex Franciæ retrocessit, vastando patriæ suæ victualia, ne eis Anglici fruerentur. Quem sic fugientem rex Angliæ insecutus est usque Heden; et visis defectu victualium vecordiaque[4] sui adversarii, rediit vastando totam patriam per decem dies. Edward crosses over to Calais. He advances against the king of France, who retreats.

[1] Supplied from B. and W.

[2] *sese cum*] cum cele cum, H.; cum cese cum, B.

[3] *devenerunt*] advenerunt, H. B.

[4] *vecordia*] vecordiam, H. B.

Villa Berwyci capitur.

A.D. 1355. The Scots take Berwick.

Et dum hæc agerentur, Scoti subdole et nocturno tempore ceperunt villam de Berwico, [nullos][1] nisi sibi resistentes occidendo; castrum tamen remansit in manibus Anglicorum. Ob quam causam rex Angliæ reversus est. Wals. Hist. i. 280.

Talliage on wool.

Eodem anno, in parliamento apud Westmonasterium concessum est regi, ut habeat de quolibet sacco lanæ, per sex annos sequentes proximos,[2] quinquaginta solidos.

Birth of Thomas of Woodstock.

Eodem anno, septimo idus Januarii, natus est regi Edwardo apud Wodstok filius, et vocatum est nomen ejus Thomas.

Villa Berwyci regi redditur.

A.D. 1356. Edward recovers Berwick.

Rex Edwardus adivit partes boreales cum exercitu populoso, ut villam de Berwyk eriperet de Scotorum manibus perfidorum. Igitur decimo tertio die Januarii, rege Edwardo in castro de Berwik exsistente, et exercitu ejus prope villam, Scoti sibimet metuentes [sine dampno vel difficultate][1] villam regi reddiderunt; sed tamen [quidam][1] ex Anglicis deviantes captivantur a Scotis. Confestim postea, vicesimo quinto die Januarii, apud Rokesburgh dominus Edwardus Baylloll, rex Scotiæ, regnum et coronam ejusdem transtulit in Edwardum regem Angliæ, literis suis patentibus et authenticis inde confectis.

Edward Baliol surrenders his right to the Scottish crown.

Dominus princeps Edwardus cœpit militare et plures sibi patrias subjugare.

Progress of prince Edward in France.

Eodem anno, dominus Edwardus, primogenitus [Edwardi][1] regis Angliæ, princeps Walliæ, exsistens in Wasconia, consuluit Burdegalenses et proceres illius patriæ de aggrediendo regno Franciæ, aliisque terris sibi nondum subjugatis. Cujus propositum comes de Armenak, domini sui proditor, regi Franciæ illico nunciavit, et quæ mala regno Franciæ imminebant. Quod veraciter agnoscens Johannes rex Franciæ, statim jussit prosterni omnes pontes super flumen de Leyre, quos veteres non sine magnis expensis exstruxerant. Princeps autem Edwardus hæc audiens, exercitu congregato, sexto die Julii cœpit de Burdegalia proficisci, transiens per patrias de Agines, Peregor, Lymosyn, Berry, et de Saloygne; in quo transitu

[1] Supplied from B. and W.

[2] *proximos*] proximo, B. W.

Wals. Hist. i. 281.

plures villas sibi rebelles incendit, et plures, cum[1] castris et munitionibus sibi redditas, obtinuit sub tributo. Itinerando quoque, hominum armorum plus quam sex millia captivavit. In patria vero de Saloygne, capta villa de Remorantyn, castrum ejusdem sex diebus obsedit. Cui obsessi non valentes resistere, castrum reddiderunt; ubi capti sunt dominus de Cron et Bursigand, aliique milites [et][2] armorum homines octoginta. Deinde progressus est per Toreygne et Peytou, et ibi, prope Chaveny, proceres sui, septimo[decimo][3] die Septembris, conflictum cum Gallicis habuere; in quo plures quam centum homines armorum cecidere perempti. Sed et comites de Amiser et de Juni,[4] ac senescallus regis Franciæ, cum centum hominibus armorum, capti sunt ibidem. A.D. 1356.

Princeps committit bellum cum rege Franciæ juxta Peyters.[5]

Battle of Poitiers.

Eodem anno, nono-decimo die Septembris, vel ut quidam volunt vicesimo primo die mensis ejusdem, quasi in fine anni adventus sui in Vasconiam, occurrit regi Franciæ juxta Peyters cum mille nongentis hominibus armorum totidemque sagittariis, venienti contra eum cum septem millibus electis armorum hominibus, aliisque armatis, pavisariis, ac balistariis, in numero excessivo. Aderant ibidem duo cardinales, quorum unus erat dictus Petagoricensis, ad persuadendum pacem inter gentes paratas ad bellum, a latere domini papæ missi. Quibus cum papa [artius][3] injunxisset præsens pacis negotium, respondisse fertur eidem Petagoricensis, "Vere," inquiens,[6] "pater beatissime, aut pacem suadebimus, aut silices "et petræ clamabunt." Tanta fuit illi fiducia, quod dominus princeps cum tanta paucitate non auderet congredi contra tot hostes quot venerant contra eum. Hoc autem in semet ipso non dixit, sed, cum esset pontifex illius anni, prophetavit de eventu belli futuri. Quia[7] cum sagittarii nostri omnes sagittas expendissent in hostes, levaverunt de agro petroso lapides, et cominus accedentes projecerunt in Gallicos, percutientes galeas, cassides, atque clipeos eorundem, ut sonus proveniens ex petrarum ictibus in campi circuitu reboaret;[8]

Attempt of the pope's envoys to avert the battle.

---

[1] *cum*] in, H.

[2] Supplied from W.

[3] Supplied from B. and W.

[4] Aunser et de Synny, W.

[5] "Bellum de Peyters" also added in the margin of H.

[6] *inquiens*] in quibus, H. B.

[7] *Quia*] Qui, H.

[8] *reboaret*] roboraret, H.

A.D. 1356. f. 131.

et sic quodammodo impleta est prophetia cardinalis, qui spopondit, dicens quia "pacem habebimus, aut lapides clamabunt;" sed hoc postmodum. Wals. Hist. i. 282.

Igitur cum cardinales inter utrumque populum diligentissime discurrissent, et vidissent se non posse persuadere pacem, indignantes recesserunt. Et mox acies convenerunt; ubi primo fractis lanceis, cum gladiis, securibus, et bipennibus rem egerunt. Ibi claruit virtus domini Jacobi Audele militis, qui potenti virtute confregit et perforavit aciem Gallicorum, et fuit ipsa die necis occasio hostium plurimorum. Ibi patebat fides et constantia comitum de Warewyk et de Southfolk, et ceterorum procerum, qui tam animose, tam fervide, tam atrociter pugnaverunt, donec manus gladiis et securibus obrigescerent eorundem. Nec minus laudabilis erat ipse princeps et dux exercitus Anglicani, qui non solum se ducem exhibuit in hoc bello, sed probatum militem et expertum, universa temptans, et audens, et faciens, quæ miles faceret animosus. Nec momentanee vel leviter transiit ista pugna, sed tribus vicibus eo die, præ multitudine supervenientium hostium, oportebat

Defeat of the French.

Anglicos prœlium instaurare. Tandem Deo nostris tribuente longanimitatem, et immittente Gallicis formidolositatem, nostris insistentibus, Galli fugerunt, occisis ibidem prius duce de Burbon et Athenis, episcopo de Chaluz, aliis[que] dominis et nobilibus ad numerum viginti duorum; militibus peremptis et hominibus armorum præelectis duobus millibus, et de communibus octingentis. Rex insuper Franciæ captus est ibidem, et

Capture of king John.

Philippus filius ejus junior. Capti sunt etiam domini Jacobus de Burbon et archiepiscopus Cenonensis,[1] ac comites undecim, domini nobiles viginti duo, milites et homines armorum plus quam duo millia. Quidam vero asserunt fuisse peremptos in hac pugna duos duces, decem et novem magnos dominos, et quinque millia armatorum; vulgus autem, quod sub numero non cadebat.

Expedito finitoque præfato bello, princeps rediit Burdegaliam cum gloria et triumpho, ducens Johannem regem Franciæ; ubi exceptus est a clero honorifice, atque civibus cum

The duke of Lancaster takes Rennes.

omni gaudio et honore. Dominus Henricus dux Lancastre, dum hæc agerentur, in Britannia circa obsidionem civitatis Ranensis moram traxit; quam expost obtinuit.[2]

---

[1] Senonensis, B. W.

[2] *dum . . obtinuit*] This passage is misplaced in H. and B., being introduced after *triumpho* above.

Wals. Hist. i. 283.

Princeps venit Londonias, ducens secum Johannem regem Franciæ captivum.

A.D. 1357. Prince Edward returns to England, and enters London in triumph.

Dominus princeps E[dwardus], cum Johanne rege Franciæ, et filio ejus Philippo aliisque magnatibus, rediit in Angliam de Vasconia, et quinto die mensis Maii applicuit in portu de Plummouth cum præda nobili captivorum. In vicesimo autem[1] quarto die mensis ejusdem, ducens secum dictum regem Franciæ captivosque prædicabiles, per pontem civitatis Londoniarum est ingressus circa horam diei tertiam tendendo versus Westmonasterium; ubi ruit[2] circa eos tanta populi multitudo inauditum videre mirabile, quod vix, impediente populo, post meridiem potuerunt ad palatium pervenire. Et cito post, missi sunt in Angliam ex parte domini papæ duo cardinales, pro pace reformanda inter duo regna, dominus videlicet Talirandus episcopus Albanensis, et Nicholaus tituli Sancti Vitalis; tertius vero cardinalis venit in Angliam gratia visitandi regem Francorum. Qui in Anglia moram traxerunt biennalem, sæpius cum regibus et eorum conciliis colloquentes, sed tandem discordes recesserunt.

Two cardinals sent by the pope to arrange a peace.

Magna societas surrepsit in Francia.

The company "Without a Head," in France.

Sub his diebus, consurrexit in Francia famosa magna societas, quæ Gens sine Capite vocabatur; quæ primo parva, postea magna aggressa,[3] magnam Franciæ partem occupans suis legibus, expulsis vel subactis locorum dominis, subjugavit. Erantque non tantum de una gente vel natione, sed de pluribus nationibus[4] congregati.

David rex Scotorum captivitate liberatur.

David Bruce ransomed.

Hoc etiam anno, David[5] rex Scotorum, circa festum Omnium Sanctorum, de diutina custodia, qua tenebatur in castro de Odiham, liberatur, mediante redemptione centum millium marcarum, solvendarum in proximo sequentibus decem annis, præter expensas officii.[6]

Tempest.

Eodem tempore orta est tempestas gravissima, tam in terra quam in mari, quam maxima infortunia sunt secuta.

---

[1] *autem*] aut, H. B.
[2] *ruit*] inquit, H. B.
[3] *aggressa*] grossa, H.
[4] *nationibus*] regionibus, B. W.
[5] David le Bruse, B. W.
[6] *officii*] officii sui, B.; hospitii sui, W.

A.D. 1357. Proposals for ransom of king John; Quo quidem anno concessum fuit domino Johanni, regi Franciæ, [solvere][1] pro redemptione sua sexcenta millia florenorum, citra festum Sancti Martini. Sed ista conventio facta fuit ante, id est, in mense Mayo, secundo die mensis ejusdem. Ad habendam ergo majorem securitatem istius summæ solvendæ, postulatur ex parte regis Angliæ habere potentiores et valentiores personas regni Franciæ in obsidatum; sed huic petitioni noluerunt Gallici consentire; quamobrem vicesimo die Novembris responsum est Francis, ut se defendant et præparent[2] ad bellandum. Wals. Hist. i. 284.

refused by the French.

The interdict on Oxford removed. Eodem anno, kalendis Aprilis, relaxatur interdictum Oxoniæ, quod auctoritate domini J[ohannis], episcopi Lincolniensis, propter clericidium et sacrilegia anno proximo præterito fuit illatum.

Death of the queen-mother. Isto anno obiit domina mater[3] regis Edwardi, domina Ysabella, die Sancti Rufi martyris; et vicesimo septimo die Novembris in ecclesia fratrum Minorum Londoniis sepelitur, nondum dedicata.

Tournaments. Hastiludia insuper hoc anno Londoniis [facta sunt],[1] præsentibus regibus Angliæ, Franciæ, Scotiæ, et plebe multa.

Armachanus fecit processum contra Mendicantes.

A.D. 1358. Parliament. Immediate post Septuagesimam tenuit rex Angliæ parliamentum apud Westmonasterium; ubi de pace reformanda inter duo regna persæpe colloquentes, nusquam concordarunt.

Charges against the Mendicant Friars by the archbishop of Armagh. Quo quidem tempore, magna controversia coram summo pontifice facta est inter magistrum Ricardum Fiz-Raf primatem Hiberniæ, Armachanum videlicet, et clerum Anglicanum, ex una parte, et quatuor ordines Mendicantium ex altera, super statu et regula eorundem fratrum. Qui videlicet Armachanus opiniones suas erga fratres diu pluriesque sustinuit, et ipsos manifeste a suis deviasse regulis multis rationibus demonstravit. Sed tandem, proh dolor! clero Anglicano sibi subtrahente promissa, et exuberante in curia fratrum satis magna pecunia, adhuc lite pendente, fratres sua privilegia, sicut perante, sub data nova obtinuerunt. f. 131 b.

---

[1] Supplied from B. and W.

[2] *defendant et præparent*] præparent et defendant, H.

[3] *domina mater*] mater domini, B. W.

Causa inter episcopum Eliensem et dominam Blanchiam Wake.

Wals. Hist. i. 285.

A.D. 1358. The bishop of Ely obtains the excommunication of his adversaries.

Eodem anno, frater Johannes Lile, Eliensis episcopus, nimis injuste fatigatus anno proximo elapso, et deinceps contra voluntatem domini regis ad curiam transfretavit; propositisque causis ibidem de injuriis sibi illatis et suæ ecclesiæ per dominam Blanchiam de Wake et alios de concilio suo, coram domino papa, motus est idem papa vehementer, et omnes adversarios dicti episcopi fecit excommunicari publice, mandans per literas suas domino Johanni Lincolniensi episcopo et aliis quibusdam prælatis Angliæ, ut si quos noverint dictorum excommunicatorum mortuos et sepultos, a sepulcris extraherent; quod et factum est. Unde rex indignatus, quia dictorum excommunicatorum quidam erant de concilio suo, dictos prælatos graviter infestabat. Qua de causa venerunt quidam missi de curia Romana ex parte dicti episcopi Eliensis, obviantes domino Johanni, Roffensi episcopo, tunc regni thesaurario, armati, tradentes literas apostolicas violenter dicto thesaurario, quarum tenor communiter ignoratur, et illico evanuerunt. Quos regales insequentes, quosdam captos incarcerabant, et, coram regis justiciariis morti condempnatos, in carcere atque furcis interfecerunt.

The bishop's envoys punished.

Magna comitiva vastat Britanniam et Normanniam.

Free companies lay waste Brittany and Normandy;

Eodem anno Normannia et Britannia Armorica gravi clade vastantur per Philippum, fratrem regis Navarriæ, dominum Jacobum de la Pipe, et Robertum Knollis, aliosque complures Anglicos, sine jussione regis E[dwardi]; qui in illis regionibus per tres annos et amplius hostiliter permanserunt. Ex quibus Robertus Knollis, ex paupere mediocrique valeto mox factus ductor militum, ad divitias usque ad regales excrevit ibidem.

and other parts of France.

Quo in tempore quidam, natione Vasco, surrexit in Francia, vulgariter nuncupatus Archipresbyter, ducens unam magnam comitivam per diversas partes Franciæ, ipsas hostiliter devastando, et potissime Provinciæ regionem.

A.D. 1359. John of Gaunt marries Blanch of Lancaster.

Quarto-decimo kalendas Junii dominus Johannes de Gaunt, filius regis E[dwardi], comes Rychemund, Blanchiam filiam Henrici ducis Lancastriæ, consanguineam suam, de dispensatione curiæ, apud Radinggum[1] duxit uxorem.

---

[1] *curiæ apud Radinggum*] curæ apud Radiggum, H. B.

A.D. 1359. King John of France attempts to arrange a peace.

Eodem tempore, dominus J[ohannes], Franciæ rex, sub umbra pacis et dolose, obtulit regi Angliæ Flandriam, Picardiam, Aquitanniam, aliasque terras quas equitaverat et vastaverat; pro quibus omnibus ratificandis idem rex E[dwardus] in Franciam nuncios suos direxit. Wals. Hist. i. 286.

Rex Edwardus tertius in Franciam transfretavit, et hiemavit ibidem.

Edward again invades France.

Quibus omnibus Franci contradixerunt. Unde motus rex Angliæ celeriter se et suos præparavit ad transfretandum, ducens secum principem Walliæ E[dwardum], suum primogenitum, ducem Henricum Lancastriæ, et fere proceres omnes Angliæ, quos comitabantur vel sequebantur pene mille currus; habuitque apud Sandwycum instructas optime undecies centum naves; et cum hoc apparatu, ad humiliandum Francorum fastum, Franciam navigavit, relicto domino Thoma de Wostok, filio suo juniore, admodum parvulo, Angliæ[1] regni custode, sub tutela tamen.[2]

He advances to Rheims; and thence on Burgundy.

Igitur, vicesimo septimo die mensis Octobris pervenit Calesiam, et quarto die mensis Novembris, diviso exercitu suo in tres turmas propter victualia, unam turmam fortem Henrico Lancastriæ duci commisit; Edwardo vero principi turmam aliam fortiorem; et fortissimam retinuit penes ipsum. Deinde profecti, prætereuntes civitates et castella, tandem in festo Sanctæ Luciæ prope civitatem Remensium pervenerunt, ubi moram traxerunt usque in diem Sancti Hillarii; sed nihil omnino profecit hæc mora, quia nihil eis reddebatur. Eodem die invenit[3] exercitum versus Burgundiam; cui venit[4] obviam dux Burgundiæ, promittens eidem septuaginta millia florenorum, solvendorum sibi fideliter, si toti Burgundiæ parceret, et contineret ab incendiis et rapinis. Quod rex concessit eidem; mansitque ibidem, videlicet Remis, usque in quintum diem post festum Sancti Gregorii papæ.

The duke of Burgundy buys him off.

Wynchelse per Francos vastatur.

The Normans sack Winchelsea.

Interim Normanni cum modica[5] classe navium apud Wynchelse applicuerunt; ipsamque villam idibus Martii invaserunt, et pro parte combusserunt, ac omnes sibi resistentes interfecerunt, sexui, ætati, vel ordini nil parcendo, matronas[6]

[1] Anglia, H. B.
[2] *tamen*] cum, H.
[3] *invenit*] movit, W.
[4] *venit*] invenit, H.
[5] *modica*] non modica, W.
[6] *matronas*] matrones, H.

Wals. Hist. i. 287.

insuper et virgines ac mulieres, illorum oculis blandientes, captivas ad naves duxerunt, et plura spolia asportaverunt, et tandem sine læsione aliqua recesserunt. Quorum unum facinus istic ponam. Cum Franci applicuissent, exsistentibus multis, tam viris quam mulieribus, tempore missarum in ecclesia, ad eandem ecclesiam cum omni festinatione cucurrerunt, et interficientes multos et deprædantes ecclesiam, aspexerunt inter ceteras quandam feminam pulchram nimis et elegantis formæ, quæ cum vicinis con[ve]nerat ut audiret missas. Ad quam nebulones satis intemperanter in eadem ecclesia accedentes, mox suæ libidini, ut erant armati, prostraverunt, et tam diu ei, unus post alium, coeundo illuserunt, donec mulier fatigata spiritum exhalaret. Quæ cuncta cum relata fuissent regi Angliæ, turbatus nimium et exacerbatus, exercitum suum versus Parisium mox convertit.

A.D. 1359.

Their brutal conduct.

Edward advances against Paris.

Interea prælati in Anglia undique confluxerunt[1] ad arma, cum [clericis][2] et laicis, ut per terram et mare dictis resisterent inimicis; sed cum se et suos paraverunt[3] ad pugnam, nihil actum est, hostibus illis valefacientibus cum cachinno.

General arming in England against invasion.

Hoc anno, sanguis effluxit de tumba Sancti[4] Thomæ, quondam comitis Lancastriæ, apud Pontem Fractum.

Eodem anno rex Edwardus incepit novum ædificium in castello de Wyndeshore, ubi natus fuerat. Ob quam causam, illum locum amplioribus ædificiis et splendidioribus decorare, præ ceteris, procuravit. Cujus operis constituit supervisorem dominum Willelmum de Wikham, virum providum et discretum.

New works at Windsor, f. 132. under the care of William of Wykeham.

Eodem anno obierunt viri nobiles et præclari, Rogerus comes Marchiæ, Thomas comes Oxoniæ, J[ohannes] le Gray, tunc senescallus Angliæ, Galfridus le Say, et multi alii; et de exercitu domini regis in partibus transmarinis plures quam mille nominati perierunt. Obiit etiam hoc anno dominus Rogerus de Northburgh, Coventriæ et Lichefelde episcopus; cui successit dominus Robertus de Strattone.

Acta regis ante Parisium.

Tenuit rex Angliæ Natale in partibus transmarinis, juxta Remensium civitatem; mansitque ibidem, ut prædicitur, usque post festum Sancti Gregorii papæ, quando se convertit Pari-

A.D. 1360. Edward's movements before Paris.

---

[1] *confluxerunt*] confluerunt, H. B.
[2] Supplied from W.
[3] *paraverunt*] paravissent, B. W.
[4] *Sancti*] domini, B. W.

A.D. 1360. sius, id est duodecimo die Aprilis, et cum appropinquasset Parisius exercitum in novem aciebus disposuit ad bellandum, et creavit milites quadringentos. Deinde mittitur dominus Henricus dux Lancastriæ ad portas civitatis, his qui intus erant proferens campestre prœlium, sub hac conditione, ut si rex Angliæ devictus foret ibidem, nunquam postea regnum Franciæ vendicaret. Et accepto brevi responso, quæ audivit regi renunciavit. Mox novi milites armati, cum aliis, civitati dederunt insultum, et illico ejus suburbiam destruxerunt. Wals. Hist. i. 288.

Londonienses vindicant dedecus factum [*apud*][1] *Wynchelse per Gallicos.*

The Londoners fit out a fleet against the French.

Per idem tempus, Londonienses cum ceteris regni incolis, congregata classe octoginta navium et quatuordecim millibus hominum cum sagittariis, dedecus apud Wynchelse, per prius factum, affectantes vindicare, maria perscrutando inimicos quærebant. Et tandem in Francia applicantes, insulam de Caus animose ceperunt. Sed tamen, licet hæc omnia Franci bene satis cognoscerent, rumor facti non bene ad Edwardum regem pervenerat.

Franci petunt a rege E[*dwardo*] *tertio veniam.*

The French make advances for a peace;

Igitur prævenire cupientes hos rumores, dominus abbas Cluniacensis, comes Tankervyle, tunc Franciæ senescallus, Bursigaldus, constabularius dicti regni, et nonnulli alii viri venerabiles, de consensu domini Karoli regentis Franciam, convenerunt ad regem Angliæ, pacem finalem et firmam, ostensis conditionibus inscriptis, humiliter postulantes.[2] Quæ tamen, sub[3] deliberatione inspectæ,[4] domino regi et concilio minime placuerunt; unde rex commotus, prohibuit ne sollicitarent eum amplius, nisi habita ad ejus beneplacitum prolatione prædictorum. Et in crastino, octavis Paschæ, convertit signa cum exercitu versus Aurelianum, prædando, vastando, et igni consumendo plurima. [Quo tempore ingruebat tam sæva tempestas et inaudita, ut plura millia hominum et equorum][5] in regis exercitu itinerando perirent,[6] subito mortua corruendo præ frigoris imminentis asperitate. Quæ tamen nec regem nec suos terruerunt, quin procederent cum inceptis.

which are rejected.

Losses of the English army from bad weather.

---

[1] Supplied from B. and F.
[2] *postulantes*] postulaverunt, H.
[3] *tamen sub*] cum, B.
[4] *inspectæ*] inspecto, H.
[5] Supplied from B. F. W.
[6] *perirent*] perierunt, H.

Rex E[dwardus] tertius condescendit[1] *paci.*

Wals. Hist. i. 289.

A.D. 1360. Successful negotiations for peace.

Circa Inventionem Sanctæ Crucis, dicti nuncii[2] juxta Carnotum domino regi formam pacis optimæ de communi[3] consensu regentis et majorum Franciæ, circumspectissime ordinatam, accedentes obtulerunt, sub data apud civitatem Carnotum quintodecimo die mensis Maii; requirentes benignum dominium suum ac benevolentiam, consensum[que gratiosum][4] in scriptis ostensa, rata et grata, ac firma, sibi et heredibus suis in perpetuum admittere. Quibus inspiciendis sapienti deliberatione habita, rex annuit ut,[5] juratis in Corpore Dominico partibus, tactisque sacrosanctis Evangeliis, [pacta][4] stabilirentur. Mittuntur igitur ex utraque parte, Angliæ videlicet et Franciæ, duo barones, duo quoque milites, corporale sacramentum domini Karoli regentis Franciæ, primogeniti J[ohannis] regis ejusdem, ac domini E[dwardi] regis [Angliæ,][4] audire et admittere. Parisius igitur celebrata solemni[6] missa dictoque ter "Agnus Dei," adjecto "Dona nobis pacem," dictus Karolus, in præsentia prædictorum dominorum et aliorum plurium, dextram super patenam cum Corpore Dominico, et lævam suam super missale posuit, verba proferens.

Arrangements for ratification.

Juramentum Delphini de Vienna.

Form of the oaths.

"Nos, Karolus, juramus ad sacrosancta Corpus Domini et "Evangelia, firmiter servare penes nos pacem et concordiam "firmatas inter reges, et nullo modo in contrarium venire." Post hæc, datis militibus [reliquiis][4] de corona Christi in testimonium, omnibus valefecit. Simile sacramentum dominus Edwardus, primogenitus regis Angliæ, proxima sexta feria præstitit apud Lovers. Ambo insuper reges et eorum filii, majoresque utriusque regni, infra annum proximo sequentem idem corporale sacramentum solemniter præstiterunt.

Obsides dati de Francis.

Hostages given by the French.

Ad corroboranda quoque complendaque prædicta et alia partes tangentia,[7] rex Angliæ petiit et accepit majores Franciæ in obsidatum, videlicet, dominos duces Aurelianensem, Borbonensem, Longavillæ, Berry, et de Bloys; comites vero Dala-

---

[1] *condescendit*] descendit, H.
[2] *nuncii*] mensii, H.
[3] *communi*] Repeated, H.
[4] Supplied from B. F. W.
[5] *ut*] et, H.
[6] *solemni*] solempnis, H.
[7] *tangentia*] tan, H.

A.D. 1360. son, Seynt Pool, Darencourt, Poursayn, [Beaumont, Breme, Foreste; dominos quoque de Couci, Preaus,][1] Valentinoys, de Seynt Venaunce, de Garentz, de Angeste, de Merenchy, Daunsun, de Averne, Guillaume de Craon, Bois de Arecourt, Q.[2] Hugayn, cum aliis. Assignataque sunt dies et tempus quibus convenirent ambo reges cum conciliis suis apud Caleys prædicta consummare. Wals. Hist. i. 290.

Edward returns to England.

Sigillatis scriptis indentatis, rex Angliæ versus [mare][3] continuo [proficiscitur,][3] et apud Humflet ingressus mare, nonodecimo die Maii in Angliam applicuit, veniensque ad palatium in festo Sancti Dunstani, quievit paulisper; et mox Johannem, regem Franciæ, in turri Londoniarum visitavit, et, facta concordia quid idem [pro][3] redemptione sua solveret, ab omni carcere liberavit. Summa vero pecuniæ solvendæ erat tres miliones florenorum.

Rex Franciæ deliberatur.

King John set at liberty.

Quibus ita gestis, rex Angliæ regem Franciæ in turri et in palatio, et itinerando versus mare, multimodis solatiis regaliter confortavit. Rex Franciæ proinde nono die Julii transfretavit in regnum suum, deliberaturus et tractaturus cum [suis de][3] prædictis et aliis se tangentibus et regnum suum.

f. 132 b.

Eo tempore, in Anglia plures hominès et bestiæ et arbores violenti fulgure perierunt; et diabolus in humana specie apparens locutus est.

Forma concordiæ apud Caleys factæ inter reges.

Treaty of Bretigny.

Concurrentibus in unum duobus regibus, post hæc cum suis conciliis apud Caleys convenerunt de pace et concordia præformatis apud Carnotum, et juraverunt, ut prædicitur, eas firmiter servare penes se. Quarum articuli erant isti, videlicet, " Rex Angliæ, cum[4] illis quæ tenet in Vasconia, habebit semper

---

[1] Om., H. B.; supplied from W. The whole passage in F. is, " dominos duces Aurelianensem, Borbonensem, Longau., Berry et de Loys; comites vero Dalason, Seynt Pool, Darencourt, Poursaynt, Valentynoys, Baumund, Brayne, Foreste; dominos quoque de Jecori, Priaunce, Valentinoys, de Seynt Veriaunce, de Garentz, de Angeste, de Merenchi, Danusin, de Averne, Guillaume de Cracu, Bois de Arecourt, Johannes Hugayn, cum aliis."

[2] Q.] J. in B. W.; Johannes, F.

[3] Supplied from B. F. W.

[4] *cum*] una cum, B. F. W.

Wals. Hist. i. 291.

" civitates, villas et castella, comitatus et patrias de Peyters A.D. 1360.
" et de Poitou, cum feodis de Touarde et terra de Benevylle,[1]
" de Saintes, et de Saintonge, citra et ultra la Charente,
" d'Anglesme et d'Angolosmoys, de Limoges et de Limosin, de
" Caours et de Cavursin, de Peragort et de Peraguyns, de
" Rodes et de Rovergues, d'Agent et de Ageneye, de Tharbe
" et de Bigor,[2] et de Caure. Et si aliqui domini teneant
" aliquid inter limites dictorum locorum, facient homagium
" regi Angliæ. Tenebitque rex Angliæ prædicta modo quo rex
" Franciæ tenuit ea a sexcentis[3] annis usque nunc, videlicet,
" in dominio et superioritate quæ sunt in superioritate. Habebit
" etiam ea quæ reges[4] antiquitus tenuerunt in villa de Moun-
" stroil super Mare, cum pertinentiis, et totum comitatum
" Pontinæ, exceptis rebus alienatis per reges Angliæ ad alias
" personas quam reges Franciæ. Quæ sic alienata si rex
" Franciæ teneat in præsenti, tenebitur ea reddere ac liberare
" regi Angliæ, exceptis terris obtentis per exscambium cum
" aliis terris; quo casu rex Angliæ reddet regi Franciæ sic
" tradita per excambium, vel permittet alienari. Et si alie-
" nata sint[5] aliis personis quam regibus Franciæ per reges
" Angliæ, et post venerunt ad manus regis Franciæ per puta-
" gium seu aliam justam causam, rex Franciæ non reddet ea
" nisi debeant homagium vel alia servitia; tunc tradet illa
" personis quæ facient homagium, aut alia servitia, regi
" Angliæ. Habebitque rex Angliæ castella, villas, et domi-
" nium, de Caleys, Meerke, Stangate, Colne, Hamme, Wale,
" Oye, cum omnibus suis pertinentiis, civitatem de la Rochele,
" et villam Sancti Wallerici. Habebit etiam rex Angliæ
" castellum, villam, et totum comitatum de Gynes, cum omni-
" bus ad se pertinentibus, tam integre sicut [comes][6] ejusdem
" tenuit in vita sua. Obedientque [sibi][6] omnes viri ecclesiarum
" et aliarum conditionum infra limites dicti comitatus, sicut
" obediebant aliquando regi Franciæ vel comiti de Gynes.
" Et tenebit rex Angliæ omnia de Meerke et Caleys contenta
" in præsenti articulo, et articulo præcedenti, in dominio, ex-
" ceptis hereditatibus quæ morabuntur[7] ecclesiis ibidem, et he-
" reditatibus aliis in partibus illis quæ morabuntur heredibus,
" usque ad valorem centum librarum monetæ de patria; sed
" de hereditatibus infra villam de Caleys ordinet rex Angliæ
" ad libitum suum, et sic habitantium in comitatu, villa, et

---

[1] Belevylie, B. F.
[2] *et Bigor* repeated, H.
[3] *sexcentis*] sexaginta, B. F. W.
[4] *reges*] reges Angliæ, B. F. W.
[5] *si . . . sint*] si alienata fuit alienata, B. F.
[6] Supplied from B. F. W.
[7] *morabuntur*] morantur, B. F. W.

CROYDON PUBLIC LIBRARIES CENTRAL

A.D. 1360. " terris de Gynes stabit dominium integrum. Rex vero Wals. Hist. i. 292.
" Angliæ, et heredes sui omnes insulas patriis prædictis ad-
" jacentes tenebunt, una cum insulis quas tenent in præsenti.
" Et rex Franciæ et filius suus senior, pro se et heredibus et
" successoribus, infra Sanctum Michaelem proximo tunc futu-
" rum ad unum annum, reddent, liberabunt, et transportabunt
" regi Angliæ et heredibus suis, omnes obedientias, homagia,
" feoda, justitias, recognitiones, jurisdictiones, patronatus ec-
" clesiarum, omnimodas dominationes et superioritates, et omnia
" jura, quæ habent vel habere potuerint[1] in prædictis terris,
" patriis, villis, et rebus aliis. Et mittent ad omnes superiores
" ecclesiarum, et alios dominos temporales terrarum, patriarum,
" comitatuum, et locorum prædictorum, ut obediant regi
" Angliæ et heredibus suis, sicut obediant[2] regi Franciæ, et
" per suas literas se adquietabunt de omnibus homagiis,
" feodis, servitiis, obligationibus, subjectionibus [et promis-
" sionibus,][3] factis per aliquem eorum regi et coronæ Franciæ.
" Et rex Angliæ tenebit prædicta omnia in dominio [quæ rex
" Franciæ tenebat in dominio,][4] et in superioritate, quæ in
" superioritate. Si vero donationes aliquæ, alienationes, obli-
" gationes, vel aliqua onera fiebant prædictorum per aliquem
" regem Franciæ a septuaginta annis usque nunc, nulla erunt,
" et res alienatæ, donatæ, seu oneratæ, reddentur regi Angliæ
" citra festum Sancti Michaelis proximo futurum;[5] excepto
" quod supradictum est in articulo Pocieti,[6] quod permanebit
" in virtute sua; et exceptis omnibus collatis seu alienatis ad
" ecclesias, quæ illis pacifice permanebunt. Habebit etiam rex
" [Angliæ,][3] et tenebit civitates,[7] comitatus, patrias præfatas,
" quæ antiquitus non erant regis Angliæ, sicut rex Franciæ
" aut filius [suus][3] senior tenet in præsenti, et infra limites
" patriarum prædictarum quæ ab antiquo erant regis Angliæ,
" cum aliquibus rebus quæ aliquando ejusdem fuerant, unde
" rex Franciæ in possessione præfuerat in die belli de Pecteu,
" erunt et permanebunt regi Angliæ. Rex quoque Angliæ
" omnia prædicta tenebit tamquam vicinus regis Franciæ, abs-
" que recognoscere superioritatem, facere homagium, resortem,
" [vel][3] aliqua servitia alia, seu recognitiones, regi vel coronæ
" Franciæ. Rex vero[8] Franciæ et filius ejus[9] senior renuncia-

---

[1] *potuerint*] potuerunt, H.
[2] *obediant*] obediebant, B. F. W.
[3] Supplied from B. F. W.
[4] Supplied from B.
[5] *futurum*] futuro, H.
[6] Poicieu, B.; de Poicieu, F.; de Pontieu, W.
[7] *civitates*] Repeated, H.
[8] *vero*] quidem, B. F. W.
[9] *ejus*] suus, B. F. W.

Wals. Hist. i. 293.

" bunt dictæ[1] resorti, superioritati, et juri quæ[2] habent, vel A.D. 1360.
" habere poterunt, quæ præsenti tractatu debent pertinere
" regi Angliæ. Similiter et rex Angliæ ac filius suus senior
" renunciabunt omnibus quæ per præsentem tractatum non
" eis traduntur, et exigentiis quas fecerunt per speciale
" nomini[3] vel juri coronæ Franciæ, omnibusque homagiis
" et superioritatibus ducatus de Torreygne, Normanniæ, et
" Britanniæ, et comitatus ac patriæ Flandriæ, d'Anjou,[4] et
" Magne, et aliis omnibus exigentiis quas fecerunt, seu facere
" potuerunt, regi Franciæ pro qualicumque sit causa, exceptis
" illis quæ sibi tradentur per præsentem tractatum."

Redemptio regis Franciæ.

" Rex quidem Franciæ pro sua redemptione solvet [regi][5]
" Angliæ tres miliones scutorum, quorum duo valebunt unum
" nobilem, videlicet sex solidos octo denarios argenti. Et
" omnia tradita regi Angliæ permanebunt in tali securitate ac
" libertate prout sunt in præsenti, et confirmentur a dictis
" dominis et successoribus suis. Nec aliquis vel patria[6] aliqua f. 133.
" qui[7] præ fuerant sub obedientia unius partis, et per concor-
" diam istam veniet in obedientiam partis alterius, pro factis[8]
" præteritis dampnetur. Omnes ergo[9] exhereditati vel de
" terris ablati, vel onerati aliquo [onere,][5] seu ordinatione[10] ban-
" niti, uni parti adhærentes vel alteri, et similiter de eccle-
" siis, causa istius guerræ, restituentur in integrum cum omni
" jure, sicut ante guerram. Omnesque forisfacturæ indulge-
" antur, excepto vicecomite de Fronsard, et domino Johanne
" de Galard. Confœderationes enim bonæ semper fient
" inter reges, non obstante qualicumque confœderatione quam
" habent cum aliqua persona. Rex tamen Franciæ et filius
" [suus][5] senior,[11] [pro] se et successoribus suis, regibus
" Franciæ, [se][5] separabunt a confœderationibus quas habent
" cum rege Scotiæ, absque juvare Scotos vel confœderationes
" facere contra regem Angliæ seu regnum suum. Similiter et
" rex Angliæ et filius suus [senior][5] facient de confœderationibus

---

[1] *dictæ*] dicti, H.
[2] *juri quæ*] viri, qui, H.
[3] *nomini*] nomine, H.
[4] *Baniot* in H., B., and F.
[5] Supplied from B. F. W.
[6] *Nec . . patria*] ne aliquis patria, H.
[7] *qui*] quæ, H.
[8] *pro factis*] prefeetis, H.
[9] *ergo*] autem, B. F. W.
[10] *ordinatione*] redonatione, quasi banniti, B. F. W.
[11] *Johannes* after *senior*, H.; *J.* in B.; *pro*, om. H. B.

A.D. 1360. " quas habent cum Flandrensibus; valebuntque omnes colla- Wals. Hist. i. 293.
" tiones et promissiones factæ durante guerra per partes de
" beneficiis vacantibus, et eorum fructus morabuntur illis qui
" eos levaverunt. Facientque reges omnia prædicta confirmari
" a domino papa, et impetrabunt absolutiones [et dispensa-
" tiones][1] tangentes complementum præsentis tractatus. Po-
" teruntque studentes utriusque regni in utroque regno, ut
" sibi placuerit, studere, et gaudebunt privilegiis ac libertatibus
" studentium. Per istum tractatum omnes alii tractatus et
" prolocutiones factæ temporibus præteritis annullabuntur, nec
" partes juvare poterunt. Jurabitur, etiam confirmabitur præ-
" sens tractatus a duobus regibus, faciens rex Franciæ literas
" confirmatorias et alia necessaria sub manu [publica],[1] et
" mittet[2] regi Angliæ, et rex Angliæ remittet[3] consimiles
" literas regi [Franciæ].[1] Fient igitur literæ optimæ de
" omnibus prædictis, sub sigillis utriusque regis et filiorum
" suorum; et jurabunt ambo reges et filii sui, vigintique de
" majori prole utriusque regni, tenere, compleri et teneri
" facere, atque complere omnia prædicta, ac ponere rebelles
" et inobedientes utriusque regni in veram obedientiam; et
" consurgent ambo reges contra tales inobedientes, et per
" illud [renunciabunt][1] omnibus gentibus pro se et regnis
" suis futuris, causa inobedientiæ prædictæ; et se supponent
" correctioni et coercioni domini papæ."

His ita gestis, confestim mittuntur [nuncii][1] summo pontifici, pro pace et pactis mutuis confirmandis.[4]

Quo quidem tempore, ad præceptum domini papæ, quievit controversia inter clerum et ordines Mendicantium.

Death of the archbishop of Armagh; Eodem anno obiit Armachanus prædictus, die Sancti Edmundi regis; cujus ossa succedenti tempore in Hiberniam sunt delata, et in Dundalk, ubi [natus][5] fuerat, sunt sepulta; quo in loco innumera ad laudem Dei fiunt miracula. Iste composuit libros diversos de quæstionibus Armenorum, de pauperie Christi, sermonesque insignes; ex quibus, et aliis suis tractatibus, constat veraciter, quod erat probatissimus scriba in regno cœlorum.

and of other bishops. Obiit eodem anno J[ohannes] episcopus Roffensis, et

---

[1] Supplied from B. F. W.
[2] *mittet*] mitte, H.
[3] *remittet*] remittes, H. B.
[4] *confirmandis*] confirmandum, H. B.
[5] Supplied from B.

Wals. Hist. i. 294. Trelek[1] episcopus Herfordensis; et erat communis mortalitas senum et puerorum. A.D. 1360.

Proceres utriusque regni jurant se observaturos pacem formatam per reges.

Rex Angliæ, celebrato Natali apud Wodstok, venit Westmonasterium ad parliamentum; in quo præsentibus omnibus qui interesse debebant, proponitur concordia inter reges stabilita. Placuit igitur universis dictam [concordiam][2] recipere et tenere. Quamobrem, celebrata missa de Sancta Trinitate a Cantuariensi episcopo cum magna solemnitate, astante rege cum filiis suis, et accensis luminaribus et crucibus erectis, super sacrosanctum Corpus Dominicum et missale, singuli qui non prius juraverunt, hoc sacramentum in scriptis præstiterunt, archiepiscopo Cantuariensi incipiente, "Nos archiepiscopus "Cantuariensis, juramus ad sacrosancta Corpus Dominicum et "Evangelia, firmiter servare penes nos pacem et concordiam "firmatas inter reges, et nullo modo in contrarium venire." Quibus expletis, singuli suas schedulas regiis notariis tradiderunt. Rex autem Francorum, cum suis nobilibus, idem præstitit juramentum. Sicque firmata pace inter duo regna, liberatus est rex Johannes. A.D. 1361. The treaty confirmed in parliament.

Eodem anno, sexto die Maii, in meridie fuit eclipsis solis. Eclipse of the sun.

Prodigium.

Eodem mense, Burgundiæ cecidit pluvia sanguinea, et sexto kalendas Junii, in festo Corporis Christi, Boloniæ apparuit crux sanguinea in aere, a mane usque ad horam sextam, eam multis videntibus; et tunc se movebat, et in medio mari cecidit. Consequenter, in partibus illis egressi vulpes de silvis villas petierunt, et vivos quosdam homines devoraverunt. Et in æstivo tempore hujus anni, in Anglia et in Francia, in locis desertis et planis, pluribus sæpe videntibus, subito apparuere duo castella, de quibus duo exercitus egrediebantur armatorum, quorum unus signis militaribus coronabatur,[3] alter nigro colore vestiebatur; et congredientes, milites vicerunt nigros. Iterumque adunati, nigri milites superabant, et regredientes in castella omnia disparuerunt. Prodigies.

---

[1] J. Trellek, B.; Johannes Trelek, F.

[2] Supplied from B. F. W.

[3] *coronabatur*] ornabatur, F. W.

A.D. 1361. Et hoc anno, post festum Sancti Michaelis, rosaria protulerunt rosas colorem et odorem perfectum habentes. Corvi quoque et aucæ, et aves aliæ, pullos produxerunt. Wals. Hist. i. 295.

A.D. 1362. John of Gaunt created duke of Lancaster. Dominus J[ohannes] de Gaunt, comes Rychemundiæ, hoc anno factus est dux Lancastriæ, jure uxoris suæ et filiæ et heredis quondam ducis Lancastriæ, qui eodem anno diem clausit extremum.

Nota duas magnas comitivas.

A.D. 1361. Free companies in France. Eodem anno, illa magna et famosa comitiva de diversis nationibus adunata, cujus duces pro majori parte erant Anglici, partes Franciæ versus Avinionem invaserunt, et villam Sancti Spiritus ceperunt, cum villis et castellis multis in Francia; quos nulla virtute vel arte potuit rex Franciæ expellere de terra sua.

The White Company. Eodem tempore surrexit et alia societas, quæ Alba Comitiva vocabatur; quæ transiit per Provinciam in Lumbardiam; et duces hujus comitivæ erant Anglici; [qui][1] aliquando erant stipendiarii, aliquando ex proprio capite discurrerunt, accipientes redemptionem de diversis villis et castellis ac civitatibus; nec pene secure vixit quisquam in illis regionibus, qui non istorum benevolentia fruebatur. f. 133 b.

The Black Prince marries Joan of Kent. Isto anno, Edwardus princeps Walliæ desponsavit Johannam comitissam Canciæ, relictam domini Thomæ de Holand, quæ olim fuit separata a comite Sarisburiæ, militis prædicti causa.

Secunda pestilentia.

The second pestilence. Hoc etiam anno fuit grandis pestilentia, quæ viros potius consumpsit quam feminas. Quo in tempore obiit Regynaldus Wigorniensis, Michael Londoniarum, et Thomas Eliensis, episcopi. Quibus successerunt, provisione papæ, J[ohannes] Barnet ad Wygorniensem, Simon [Langham][1] abbas Westmonasterii ad Eliensem, et magister Simon de Sudbury ad Londoniensem, ecclesias. De nobilibus vero decesserunt dominus Henricus dux Lancastriæ, Reginaldus Cobham, W[illelmus] Fitz-Waryn, et J[ohannes] Moubray.

De magno vento.

A.D. 1362. A hurricane. Tenuit rex Natale apud Wyndeshore; et quinto-decimo die sequente ventus vehemens, Nothus, Auster, Affricus, tanta [vi][1]

[1] Supplied from B. F. W.

Wals. Hist. i. 296.

erupit, quod flatu suo domos altas, ædificia sublimia, turres et campanilia, arbores et alia quoque durabilia et fortia, violenter prostravit, pariter et impegit, in tantum quod residua quæ modo exstant [sunt][1] hactenus infirmiora. A.D 1362.

Hoc anno vendebatur libra ceræ [pro][1] octodecim denariis.

Quo etiam anno, magna societatis, quæ prævaluerat in Francia et excreverat, commisit bellum cum Francis, et vicit, plures nobiles captivando [et][1] multa fortilicia capiendo. The great company victorious in France.

Eodem tempore, cardinalis Andrinus, abbas Cluniacensis, tertio die in fine Aprilis, venit Londonias, tractaturus cum rege et concilio suo pro redemptione regis Franciæ minuenda, obsidibus liberandis,[2] et matrimonio contrahendo cum sanguine regis Angliæ et Karoli Bloys; sed de his pauca vel nulla expedivit. The French attempt to reduce their king's ransom.

Eo tempore fiebant Londoniis in Smythfeld hastiludia, quinque primis diebus Maii, præsentibus rege, regina, et majori militia Angliæ et Franciæ aliarumque terrarum. Ad quæ venerunt Hispani, Ciprii, et Armenii milites, auxilium regis Angliæ requirentes contra paganos, qui invaserant fines suos. Tournaments in Smithfield.

Stapula lanarum, non obstante sacramento regis et aliorum majorum Angliæ, mutatur ad Caleys. The Staple of wool moved to Calais.

In festo Apostolorum Petri et Pauli, rex E[dwardus] apud Westmonasterium obtulit vestes in quibus Beatus Petrus Apostolus celebravit, et dedit per chartam suam abbati et conventui Westmonasterii duos cervos de venatione sua, capiendos annuatim in foresta de Wyndeshore. Royal offerings to Westminster.

Edwardus princeps Walliæ fit princeps Aquitanniæ.

Edwardus regis primogenitus, eo tempore, circa festum Sanctæ Margaretæ, apud Westmonasterium, præsentibus regni majoribus, suscepit a patre suo principatum Aquitanniæ, fidelitate prius et homagio sibi factis; sed tamen principatum Walliæ, ducatum Cornubiæ, comitatus Cestriæ sive Kanciæ non reliquit. Qui, circa festum Purificationis Beatæ Mariæ proximo sequens, [cum uxore][1] et tota sua militia in Vasconiam transfretavit. The principality of Acquitaine conferred on prince Edward.

Dies festi sanctorum abrogantur penes plebanos.

Symon Islep, Cantuariensis archiepiscopus, devotionem multorum aut infecit aut subtraxit, literis suis patentibus, sub Simon Islep's decrees for labour

[1] Supplied from B. F. W.

[2] *liberandis*] liberandum, H.

A.D. 1362. on saints' days.

pœna excommunicationis, præcipiens universis ecclesiæ rectoribus et vicariis suæ provinciæ, et illorum subditis, ut de cetero non abstineant in festis quorundam sanctorum ab operibus manualibus et servilibus, quæ prius in talibus festis fieri non licebant. Si tamen benefecerit, judicet hoc caput sanctorum, cum membris, qui mortem quondam [regis Angliæ][1] Willelmi Rufi tradidit in manus et arbitrium Sancti Albani protomartyris hujus regni. Idem insuper archiepiscopus assignavit et statuit, non plus dari sacerdotibus pro annuali stipendio quam sexaginta sex solidos et octo denarios: quod plures furari coegit. Wals. Hist. i. 297.

Clerical stipends regulated.

Parliamentum et jubilæus regis Edwardi.

Parliament.

Eodem anno cœpit parliamentum Londoniis, septimo-decimo kalendas Novembris; quod continuatum est usque ad[2] festum Sancti Brici, quo die rex natus fuerat, annis ætatis suæ quinquaginta expletis. Unde, in suo jubilæo populo suo se exhibuit gratiosum, reis majestatis suæ regiæ offensas indulgendo, vinctos libere abire permittendo, et exsules revocando; ad petitionem etiam communitatis, placita in lingua materna, et non Gallica, versari jussit. Leonellum quoque, filium suum, fecit ducem Clarenciæ, et Edmundum comitem Cambrigiæ. In dicto parliamento, concessum erat regi recipere per tres annos sequentes viginti septem[3] solidos et octo denarios de quolibet sacco lanæ transvehendo ultra mare. Ordinatum est insuper, nullum in regno præter regem, reginam, ac duces, in posterum provisores habere victualium; nec ut aliquid caperent nisi denariis præsolutis, et [ut][1] hæc transgredientes stricto judicio puniantur.

Pardons and creations on the king's jubilee.

Talliage on wool.

Statute against purveyors.

Papal succession.

Obiit hoc anno, mense Augusti, papa Innocentius sextus; cui successit dominus Gillerinus, abbas ordinis Sancti Benedicti Marcialicus,[4] patre Anglicus, doctor egregius, et auditor in curia; et secundo kalendas Novembris consecratur, et vocatur Urbanus quintus. Hic cum[5] longum tempus in curia transegisset, et nullum a papa gradum accepisset, cuidam amico suo conquestus, dicens, "Puto," inquit, "veraciter, "o amice, etsi omnes ecclesiæ mundi caderent, [nulla cade-"ret][6] super caput meum." Cum coronatus fuisset, accedens ad illum dictus amicus suus quondam, ait, "Dudum conquesti "estis, pater beatissime, dicentes, etsi omnes ecclesiæ mundi

Anecdote concerning Urban V.

---

[1] Supplied from B. F. W.
[2] *ad*] in, B. F. W.
[3] *septem*] sex, B. F. W.
[4] Marciliacus, B. F.
[5] *cum*] non, H.
[6] Supplied from F. W.

Wals. Hist. i. 298.

" caderent, nulla caderet super caput vestrum. Ecce! quomodo[1] A.D. 1362.
" Deus disposuit in hac parte. Omnes siquidem ecclesiæ mundi
" modo super caput unum[2] pariter ceciderunt."

Obiit eodem anno J[ohannes] episcopus Lincolniensis, cui successit per provisionem J[ohannes] de Bukigham; et Robertus episcopus Cicestriæ, cui successit, provisione domini papæ, magister Willelmus de Lenne. Episcopal changes.

Eodem anno obiit domina Johanna regina Scotiæ, et Londoniis sepelitur. Death of the queen of Scotland.

Mulierum pestilentia et bestiarum.[3]

Moriebantur etiam plures morbo litargiæ, multa infortunia prophetantes; mulieres insuper decessere multæ per fluxum, et erat [communis][4] pestis bestiarum. Pestilence.

Rex Edwardus tenuit Natale suum apud Wyndeshore. A.D. 1363.

Quo anno papa pluralitates revocavit, decernens facto decretali horribilis sufficere [clerico][4] rectoriam cum quatuor præbendis, minoribus vero minus. Iste papa fratrem suum episcopum Avinoniæ ordinavit; et sequenti proxima Parasceve, Johannem regem Franciæ, cum aliis regibus et proceribus, cruce signavit. f. 134. Pluralities revoked. The king of France assumes the cross.

Prope tempus illud, quidam, spiritu diabolico instigati, corpus cujusdam sacerdotis Londoniis in quatuor partes diviserunt; quas per quatuor partes dictæ civitatis contemptibiliter projecerunt; auctores vero hujus sceleris usque ad præsens latent. Murder of a priest in London.

Parliamentum et nova statuta.

Eodem anno, mense Octobri, tenuit rex parliamentum Londoniis, a quo nullus magnus se potuit absentare. In quo omne ornamentum, aureum sive argenteum, erat dampnatum, scilicet in cultellis, cingulis, monilibus, annulis, et ceteris corporis ornamentis, [nisi][4] in talibus qui possent per annum expendere decem libras. Ordinatum est ibidem etiam, ne mercatores Angliæ cum suis mercimoniis, vel ad vina quærenda, de cetero transfretarent; et ut singuli artes singulas exercerent; et ut nulli pannis pretiosis aut pellura uterentur, nisi qui possent expendere per annum centum libras; et ut plebeii operarii et agricultores non vescerentur cibis delicatis aut potibus. Sed hæc omnia nullum effectum capiebant. Parliament. Sumptuary laws, which fail.

---

[1] *quomodo*] quo, H.

[2] *unum*] vestrum, B.

[3] This title is misplaced at the end of the paragraph, H., B., and F.

[4] Supplied from B. F. W.

Tres reges visitant regem Angliæ.

A.D. 1363. Visit of three kings.

Eisdem diebus venerunt tres reges, scilicet Franciæ, Cipriæ, et Scociæ, visere et alloqui dominum regem Angliæ; a quo plurimum honorati et donis donati, reges Cipriæ et Scociæ ad sua reversi sunt; sed rex Franciæ, gravi morbo correptus, Londoniis apud Savey diem clausit extremum. Sed hoc contigit anno sequenti. De obitu regis hujus exsequias rex Anglorum in diversis locis fecit solemniter [celebrari],[1] ac usque Doveriam suis sumptibus per viros reverendos corpus ejus, more regio, conduci fecit; qui tandem sepultus est juxta Parisium apud Sanctum Dionysium; et regnavit pro eo Karolus, filius suus major. Wals. Hist. i. 299.

Death of John of France at the Savoy (A.D. 1364).

Long frost.

Eodem anno, septimo idus Decembris cœpit gelare; perduravitque gelu fortissimum usque quartum-decimum kalendas Aprilis.

The king of Cyprus robbed.

Rex Cipri itinerando [in][1] Anglia perdidit plura per latrones. Ob quam causam rex Edwardus concessit Londoniensibus potestatem impios malefactores justificandi, et incarceratos infra civitatem liberandi, justiciariis regis, ut prius solebant, ad hoc non vocatis.

Episcopal changes.

Hoc anno obiit bonæ memoriæ dominus Radulphus de Schrouesburia, episcopus Bathoniensis; ad quam sedem translatus est magister J[ohannes] de Barnet de ecclesia Wygorniensi; et Johannes Wyttelesey[2] de Roffensi translatus est ad ecclesiam Wygorniensem; cui successit Thomas Trillek in Roffensem ecclesiam.

Dearth of corn.

Hoc anno fuit tanta frumenti caristia, ut venderetur summa frumenti quindecim solidis.

General chapter of the Benedictines at Northampton.

Generale capitulum nigrorum monachorum fuit hoc anno apud Northamptoniam, præsidente domino Thoma abbate Sancti Albani; in quo statutum est, inter cetera, perpetuam fieri jugemque memoriam per totum ordinem pro vivis et defunctis, in omnibus horis diurnis pariter et nocturnis.

A.D. 1364.

Tenuit rex E[dwardus] Natale apud Wyndeshoure.

Nota libertates abbatis de Bello.

Privilege of the abbat of Battle.

Quo tempore abbas de Bello, itinerando versus Londonias, obviavit cuidam dampnato ad furcas in marescalcia regis; quem, virtute libertatum et privilegiorum suorum, ereptum et liberatum a mortis periculo secum abduxit. Et quamvis rex et

---

[1] Supplied from B. F. W. | [2] *Wyttelesey*] de Witteleseye, B.

Wals. Hist. i. 300.

magnates alii ferrent graviter factum istud, chartas tamen suas per placitum ibidem habuit approbatas. A.D. 1364.

Bellum et captio Karoli Bloys.

Charles de Blois defeated and slain.

In festo Sancti Michaelis, Karolus le Bloys cum gente multa bellica, ad numerum trium millium sexcentorum, irruit subito super Johannem de Monte Forti et [dominum][1] Willelmum Latimer, dum obsiderent villam cum castro Daveroy, qui vix mille sexcentos de Anglis et Britonibus et omni gente habuerunt; ubi facto congressu absque deliberatione, ceciderunt ex parte ducis septem viri, et, ex parte Karoli intrusoris, ipse Karolus cum domino de Rychforde[2] et Willelmo Vango, militibusque etiam armigeris pene mille. Et capti sunt de parte Karoli, duo comites, viginti septem domini, et armati viri strenui mille quingenti.

Death of John, king of France.

Hoc anno, quinto idus Aprilis, obiit, ut prædicitur, J[ohannes] rex Franciæ; cujus mors utrumque regnum non modicum perturbavit.

The Lombard merchants charged with dishonesty.

Eodem anno, Longobardi [mercatores][1] sunt accusati per socios suos de magna infidelitate in mercimoniis suis facta regi; unde major pars illorum in turri Londoniarum recluditur, quousque finem regi fecissent ad ejus beneplacitum.

The king of France prevents the marriage of Edmund of Langley.

Eisdem diebus, Edmundus de Langley, filius regis Edwardi, filiam et heredem desponsasset comitis Flandriæ, nisi propinquitas consanguinitatis prohibuisset. Unde, pro habenda dispensatione missum est ad[3] papam; sed rex Franciæ Karolus ne matrimonium istud procederet callide impedivit. Quæ filia expost copulata est Philippo fratri regis Franciæ, duci Burgundiæ, qui quondam patri suo in Anglia fuerat concaptivus.

Bellum inter Turkos et Christianos.

Defeat of the Turks.

Sub eodem tempore, in planis Turkyæ, in die Omnium Sanctorum, [commissum est bellum][1] atrocissimum[4] inter Christicolas et paganos; ubi Christiani [quamvis gravi][1] dampno suo fuere victores. Attamen de Christianis ibidem cecidere princeps J. rex Hungariæ, Suwardus rex Gorgoniæ, et magister hospitalis insulæ de Rodes, et Christiani ad numerum

---

[1] Supplied from B. F. W.
[2] Richeford, B.
[3] *ad*] in, H. B.
[4] *atrocissimum*] sacrotissimum, H. F.

A.D. 1364. quinque millium ducentorum et decem. De paganis vero missa sunt ad Tartara virorum quadraginta millia robustorum; quæ perempta sunt ibidem, cum aliis popularibus quorum numerus non potuit comprehendi. Et fuerunt principes paganorum soldanus Babiloniæ, rex Turkyæ, rex Baldach, rex Belmarinus, rex Tartarorum, et rex de Lettowe; ex quibus f. 134 b. tres interfecti fuerunt, ut hi qui interfuerant dicto prœlio referebant. Wals. Hist. i. 301.

A.D. 1365. Birth of a son to the prince of Wales; who dies young. Natus est Edwardo, principi Walliæ et Aquitanniæ, apud Angelismum filius, et vocatus est nomine patris Edwardus. Hic anno ætatis suæ septimo diem clausit extremum, non tamen præmature, ut plurimi asserebant.

Marriage of the princess Isabella. Eodem anno Ingehamus, dominus de Couuci, apud Wyndeshoure desponsavit Isabellam, filiam regis Edwardi tertii, cum magna solemnitate.

Civitas Alexandriæ capitur.

Capture of Alexandria. Hoc etiam anno rex Cipriæ cepit Alexandriam magnam, quæ [1] clavis est Egipti, perempta illic [non] [2] modica multitudine paganorum. Principes igitur prædictorum, cum soldano, illud factum indigne ferentes, innumeros adunantes Satanæ satellites, venerunt contra eum. Quorum multitudini rex et sui se cernentes omnino impares, cum non haberent exercitum qui custodire posset tertiam partem civitatis, usi [3] consilio sapienti, deprædati sunt illam partem quam ceperant, auferentes spolia et divitias quæ quemlibet exsaturare voluissent. Nempe non ceperunt nisi unam partem urbis, ex una parte fluvii, quia brachium quoddam marinum urbem secat. Reliquam partem tenuere pagani. Ditati nihilominus omnes fuerunt a maximo usque ad minorem. Et postquam spolia collegissent ad placitum, quarto die captionis ejus, vel quinto, recedentes illæsi [4] civitatem [deprædatam] [2] incredulis reliquerunt. Omnia vero genera specierum transmarinarum diu post hæc et rariora et cariora fuere, quamvis soldanus, in despectum Christianorum, proclamari fecisset in partibus, ne mercatores se subtraherent ab eadem urbe, sed more solito illuc advenirent, habituri tam bonum forum rerum venalium sicut ante captionem dictæ civitatis; sed tamen non ita evenit. Interfuerunt [autem] [2] huic captioni, cum rege Cipriæ, plures Anglici et Aquitannici; [referentes] [2] tam in Angliam quam Aquitanniam pannos

Sack of part of the city.

Some of the spoil brought to England.

---

[1] *quæ*] qui, H.
[2] Supplied from B. F. W.
[3] *usi*] visi, H. B.
[4] *illæsi*] illæ, H.

Wals. Hist. i. 302.

aureos holosericos, splendoresque gemmarum exoticos, in testimonium tantæ victoriæ illuc factæ. A.D. 1365.

Comitiva magna bacchatur in Francia.

Natus est domino Edwardo, principi Walliæ et Aquitanniæ, apud Burdegaliam, Ricardus, filius suus secundus; quem Ricardus rex Majoricarum de sacro fonte suscepit. A.D. 1366. Birth of Richard of Bordeaux.

Circa idem tempus, rex Franciæ et majores regni interpellaverunt auxilium regis Angliæ contra magnas comitivas quæ debacchantur in Francia; quarum ductores erant Angli pro majori parte, vel saltem de dominio regis Anglorum. Qui primo jussit eis per suas literas ut exirent Franciam, et [non] præsumerent illud regnum infestare ulterius. Qui valde ridiculose talia mandata ferentes responderunt, se nihil ibidem tenere a rege Angliæ, nec velle pro eodem suas munitiones relinquere, sive victum suum, quæ tantis laboribus acquisissent. Quorum responsis exacerbatus rex Angliæ paravit se ad transfretandum. Sed rex Franciæ, cum audisset de tanto regis apparatu, timuit, putans fortassis se regnum amissurum, si contingeret regem Angliæ fore victorem. Quapropter misit ad regem, rogans ut a cœptis[1] desisteret, et domi se contineret. Quæ quidem jussio regem Edwardum iterum in tantum contristavit, ut juraret per Sanctam Mariam se nunquam surrecturum in auxilium regis, licet dictæ comitivæ regem, cum suis omnibus, nitantur expellere regno suo. Nihilominus, expost, ad jussum regis Angliæ, redditis regi Franciæ villis et castellis, per dictas comitivas diu possessis, Bertrandus Cleykyn, miles insignis et belliger, cum magna comitiva processit contra dominum Petrum regem Hispaniæ, ut illum deponeret, fretus auxilio et favore papæ. Fuit utique iste Bertrandus semper quietis impatiens, bellum diligens plus quam pacem. Dicebatur de isto rege, quod vixit inter suos tamquam pessimus malificus et tyrannus, proscribens et interficiens suos naturales homines; et, quod pejus est, spreta religione Christiana, cum quadam se Judæa femina miscuisset.

The king of France calls on Edward to aid him against the free companies;

but alarmed at Edward's preparations, he refuses help.

Edward's anger.

Bertrand Du Guesclin leads the great company against Pedro of Spain.

Petro rex Castellæ fugit ad principem Edwardum.

Qui cum audisset adventum illius terribilis comitivæ, mox timore perterritus fugit in Vasconiam ad dominum principem

Pedro takes refuge in Gascony.

[1] *a cœptis*] acceptis, H. B.

A.D. 1366. Henry the Bastard, king of Spain.

Walliæ, poscens ab eo subsidium et juvamen. Quo fugato, Henricus, frater ejus bastardus, assensu majoris partis dominorum Hispaniæ, sive communium, et auxilio comitivæ prædictæ, factus est rex ibidem. Erat autem numerus comitivæ circiter sexaginta millia bellatorum. Wals. Hist. i. 303.

Episcopal changes.

Hoc anno obiit Simon Islep, archiepiscopus Cantuariensis, cui successit Simon de Langham, episcopus Eliensis, provisione domini papæ; magister J[ohannes] Barnet de ecclesia Bathonensi translatus [est] ad Eliensem ecclesiam; magister J[ohannes] Harewelle, contemplatione domini E[dwardi] principis Walliæ, confirmatus est a papa in episcopum Bathonensem. Item, hoc anno obiit Willelmus de Edyngdone, episcopus Wintoniensis; cui successit per electionem, domino rege procurante, dominus Willelmus de Wykham, portitor privati sigilli.

Bellum Hispanicum apud Nazar.

A.D. 1367. The Black Prince advances into Spain in aid of Pedro.

Princeps Edwardus, condolens calamitatibus domini Petronis, regis Hispaniæ, profectus est in regnum illud cum perfecta[1] multitudine bellatorum Angliæ, Scotiæ, Navariæ, Aquitanniæ, et Britanniæ, et aliarum gentium plurimarum; ad quem cum multis accessit dominus Hugo de Calverley, deserto Henrico Bastard, eo quod noluit stare contra dominum principem, primogenitum regis sui. Venit insuper ad principem dominus Robertus Knollis, cum electa multitudine magnæ comitivæ prædictæ. Qui duo cum sua militia multum auxerunt, confortaverunt, et animaverunt, partem ejus. De Anglia venit ad eum dominus Johannes dux Lancastriæ, cum multis valentibus militibus et armigeris, aliisque armatis; eratque cum eo rex Navarriæ, cum multis de gente sua. Ex adversa parte venit Bastardus intrusor[2] et cum eo Bertrandus Cleykyn, cum magna parte illius magnæ comitivæ, quæ ipsum secuta est non tantum amore quantum spe prædæ. Venerunt insuper cum Bastardo pene omnes domini et potentes Hispaniæ, et de Gallicis infiniti, partim missi per regem Franciæ, partim venientes lucri contemplatione. Saraceni præterea, et ulteriores Hispani, sed increduli, confluxerunt cum intrusore prædicto, qui præ multitudine dinumerari non valebant. Igitur post paucos dies adventus principis in Hispaniam, rex Navarriæ, se gerens [incaute],[3] captus est repente a militibus Bertrandi Cleykyn. Qui tamen domino principi expost cito fuit redditus; capto

Arrival of John of Gaunt.

f. 135.

Enumeration of Henry the Bastard's partisans.

The king of Navarre captured, but afterwards exchanged

[1] *perfecta*] electa, B. F. W.
[2] *intrusor*] et intrusor, B. F.
[3] Supplied from B. F. W.

Wals. Hist. i. 304.

eodem Bertrando, qui mortis incurrisset supplicium, nisi eum protinus judicasset. Remansit tamen idem Bertrandus captivus postea per longum tempus; captus quippe fuerat antequam acies convenirent ad feriendum, initio belli hujus. A.D. 1367. against Du Guesclin.

Cito post hæc, acies ad invicem percusserunt, sagittariis Anglicanis laudabiliter rem agentibus, et Hispanos undique cum incredulis ferientibus. Dominus J[ohannes] dux Lancastriæ et dominus J[ohannes] Chaundos, miles famosissimus, quibus assignati fuerunt illi qui de magna comitiva adhæserunt principi, primam aciem habuerunt. Super hos pondus belli stetit, super hos Sarazenica [phalanx][1] incubuit, super hos Hispanorum innumera multitudo diu sævit. Sed tandem superveniente domino Roberto Knollis, cum electa gente quæ[2] eum secuta fuerat, et nostra pars augetur et animatur, et pars adversa debilitatur et terretur. Tunc retrocedunt Hispani, corruunt Saraceni, et ad inferna properant per centenos. Ipse dux partis adversæ pavefactus, his visis, et maxime de sagittis quæ eum undique circumvolaverunt, reliquit sonipedem quem insederat, et equum velociorem insiliens festinavit ad fugam; non tamen illæsus, quia, prout dicebatur, erat in inguine sagittatus. Cognita autem fuga ducis sui, Hispani ultra resistendi spiritum non habentes, in fugam cuncti illico convertuntur. Quos nostrates insequentes percutiunt, perforant, et prosternunt, quosdam captivantes, plurimos perimentes. Captus est ibidem siquidem comes de Dene, cum multis ex nobilioribus illius regni. Captus [est][1] insuper, ut prædicitur, ipse Bertrandus Cleykyn, qui fuerat principalis consiliarius ex parte Bastardi, et dux primæ aciei. Victory of the Black Prince at Najera.

Numerus occisorum.

In hac pugna, etiam [et][1] in fuga prædicta, occisi sunt ex gente Hispanica et auxiliariis plures quam septem millia bellatorum. In fluvio nempe de Nazar suffocati sunt multi rapaci gurgite illius aquæ; in tantum ut unda appareret rubra et[3] sanguinea per spatium milliarii, præ numerositate vulneratorum, vel illic se præcipitantium vel ibidem per Anglicos peremptorum. Commissum est istud prœlium tertio die Aprilis, vel, ut quidam volunt, in vigilia Dominicæ Annunciationis. Losses of the defeated army.

Igitur obtenta tanta victoria, princeps illustrissimus præfatum dominum Petronem restituit in regnum suum; qui expost in- Pedro reinstated.

---

[1] Supplied from B. F. W.

[2] *quæ*] qui, H.

[3] *et*] vel, B. F. W.

A.D. 1367. He breaks his engagements.

gratus et infidelis eidem principi, non tenendo promissa,[1] initium magnorum dolorum fuit illi. Revera cum sperasset[2] de eo recepisse pecuniam, cum qua satisfecisset suis conducticiis, et præcipue magnæ comitivæ quam de Galliis[3] accersiri fecerat, deficiente ipso in promissis, confringi et comminui fecit vasa sua aurea et argentea, et monetam exinde fieri; quam suis stipendiariis erogavit, ipso paupere remanente. Misit præterea quendam ex suis militibus, ut caperet nomine suo seisinam in comitatu de Algorira[4] et aliis terris [quas][5] idem rex Petro sibi præconcessit, sed tamen nunquam fuit in possessione pacifica de eisdem; et ita regressus est in Aquitanniam depauperatus nimium, quia consumpserat omnes thesauros [suos][5] in hac expeditione, ut præfertur. Ob quam causam compulsus est manus mittere ad bona subditorum suorum, et in toto dominio Vasconiensi novas taxas exigere et insuetas. Quamobrem cito postea defecerunt ab eo, et rebellare cœperunt. Sed hæc postea.

Wals. Hist. i. 305.

Prince Edward forced to tax the people of Acquitaine, with bad results.

De perfidia B[ertrandi] Cleykyn.

Per idem tempus, Bertrandus Cleykyn solvens redemptionem suam a captivitate liberatur, et pergens in Hispaniam regi Petro reconciliatur. Persuasit ergo sibi, tamquam communis amicus et pacis mediator, ut reciperet Henricum Bastardum, fratrem suum, in gratiam; quem promisit futurum fidelem sibi. Cujus verbis credens, idem Petro jussit ut eum adduceret, spondens se omnem rancorem et cunctas forisfacturas remissurum. Procuravit proinde idem Bertrandus, ut dictus Henricus adveniret cum armata manu, eo tempore quo rex sedebat in prandio, et subito præoccupatum lancea perforaret. Quod et factum est; et mox Bastardus invasit regnum iterum, partus proditione quod non potuit aperto Marte.

Du Guesclin instrumental in the assassination of Pedro.

Edwardus princeps, per idem [tempus],[5] ut dicebatur, intoxicatus fuit; a quo quidem tempore usque ad finem vitæ suæ nunquam gavisus est corporis sanitate. Sed [et][5] plures strenui et valentes, post victoriam Hispanicam, fluxu ventris et aliis infirmitatibus perierunt ibidem, ad magnum detrimentum Anglicani regni.

The Black Prince said to be poisoned.

Losses of the English in Spain.

---

[1] *promissa*] præmissa, H.
[2] *sperasset*] præparasset, H. B.
[3] *Galliis*] gladiis, H. B.
[4] Algezira, B. F. W.
[5] Supplied from B. F. W.

Wals. Hist. i. 306.

Papa se transfert Romam.

A.D. 1367. Pope Urban V. moves his court to Rome.

Eodem anno, circa principium mensis Maii, papa Urbanus quintus de Avinonia, cum plena curia, se transtulit versus Romam; quo circa festum Sancti Lucæ Evangelistæ sanus pervenit, et summo cum honore ab omnibus est receptus; quia a tempore papæ Bonefacii octavi ibidem visus fuerat papa nullus. Statimque loca sancta collapsa et ecclesias dirutas reparavit, reliquias sanctorum auro, argento, et gemmis pretiosis pulcherrime decoravit, et multa bona fecit ibidem; propter quæ, infinitas benedictiones post mortem ab omni populo reportavit.

Leonellus ducit filiam Galias in uxorem.

A.D. 1368. A comet. f. 135 b.

Mense Mayo[1] visa est stella comata inter partes septentrionales, et occidentales, quæ versus Franciam radios suos porrexit.

Marriage of Lionel, duke of Clarence.

Quo anno, mense Aprilis, Leonellus dux Clarenciæ, regis Edwardi tertii filius, cum electa multitudine nobilium Anglicorum, transivit versus Mediolanum, ad accipiendum in uxorem filiam domini Galias, domini Mediolani, cum qua medietatem ejusdem dominii fuerat habiturus. Sed tamen modico tempore super conjuge vel dominio gaudere permissus est, morte, quæ cuncta disjungit et separat, mox præventus. Celebrato nempe inter eos cum maxima gloria matrimonio, Leonellus, circa festum Nativitatis [Beatæ Mariæ][2] proximo sequens, diem clausit extremum.

His early death.

Franci frangunt pacem.

The French invade the English territory in France.

Eodem anno Franci pacem fregerunt, equitantes in terras regis Angliæ in comitatu de Pountyf, castella, villas, et oppida et munitiones ex insperato capientes [partim vi,][2] partim proditione; homines vero regis quosdam peremerunt, quosdam captivaverunt, rege Angliæ hæc omnia ignorante. Et ad circumveniendam regis Angliæ innocentiam, rex Franciæ versutus et dolosus misit ei nuncios, qui dicerent eum fore paratum solvere quod residuum fuerat [de redemptione][2] patris sui, quondam regis Franciæ, Johannis; et omnes conditiones pacis, apud Caleys factas, observare. Interea princeps Walliæ direxit nuncios ad patrem suum de Vasconia, mandans per lit-

---

[1] Martio, W. and F.; *Maio* altered into *Marcio*, B.

[2] Supplied from B. F. W.

A.D. 1368. cras [suas][1] ne Francorum regi fidem daret, qui proculdubio paratus fuit ad decipiendum eum, et jam pacem fregerat vastando [terras][1] suas. Sed rex Angliæ, quorundam ductus consiliis, qui dicebant principem temerarium et quietis impatientem, quippe qui nihil magis quam bella cupivit, et ob id infamarat regem Francorum satis innocentem, filii sui literas monitorias parvipendit. Wals. Hist. i. 306.

Edward, learning the treachery of the king of France, refuses his presents.

Eo tempore, rex Franciæ, ad decipiendum plenius regem Angliæ, misit ei vina de Boemia, et alia donativa, indicia bonæ fidei et dilectionis. Et factum est, huc Gallicis nunciis cum rege exsistentibus, nova deportantur ad regem, quod rex Franciæ diripuisset hostiliter pagum Pontinum,[2] villas vastasset, et homines captivasset. [Insuper et magnam villam et fortem de Abvyle cepisset,][1] et prædas multas cepisset ibidem. Cum autem audisset rex de captione Abvyle, contristatus [est][1] valde, et nunciis quidem præcepit cum donis redire, nolens [eis][1] dampna inferre. Sed jussit eis [ut][1] referrent regi suo, ejus se infidelitatem quam maxime detestari, quam proculdubio lueret in futurum. Quibus domum properantibus Calesienses facti sunt obviam, et vina diripientes Calesiam adduxerunt.[3] Franci nihilominus, ut erant semper fraude et falsitate pleni, causam fractionis pacis Anglis cautelose et subdole imposuerunt.

Cardinalis Anglicus.

Simon Langham made cardinal.

Hoc anno, mense Octobris, dictus[4] Simon de Langham, archiepiscopus Cantuariensis, creatus est in cardinalem, et sequenti anno, mense Aprilis, versus curiam cœpit iter. Igitur papa transtulit magistrum Willelmum de Wyteleseye,[5] episcopum Wygorniensem, ad ecclesiam Cantuariensem;[6] magistrum [Willelmum] de Lenne, episcopum Cicestriæ, ad ecclesiam Wigorniensem, et magistrum Willelmum Red ad episcopatum Cicestrensem, promovit.

De profectione ducis in Franciam sine fructu.

A.D. 1369. Parliament.

Circa finem mensis Maii, rex Edwardus tenuit parliamentum Londoniis apud Westmonasterium, in quo tractavit de rupto fœdere inter ipsum et regem Francorum. Qua-

[1] Supplied from B. F. W.
[2] Pontinumque, H.
[3] *adduxerunt*] advexerunt, B. F.
[4] *dictus*] dominus, F. W.
[5] Witteleseye, B. F.
[6] *ad . . Cantuariensem*] de ecclesia Cantuariensi, H. B.

Wals. Hist. i. 307.

propter, sicut olim, totum regnum Franciæ iterum vendicavit. In cujus rei negotium, circa festum [Nativitatis][1] Beatæ Mariæ, misit filium suum J[ohannem] ducem Lancastriæ, et Umfridum de Boun comitem Herfordiæ, cum valida manu militum, in Franciam, ad pugnandum pro jure. Qui ducentes exercitum versus montem Morianum, qui vulgo vocatur le Chalkhul, prope Calesyam, in quo consederat Francorum exercitus adventum Anglicanæ militiæ præstolando, ad oppositum montis illius tentoria fixerunt. Dux igitur, adhibitis illic certis custodiis[2] ad corporis sui custodiam, qui noctium vigilias inter se diviserant, pro tutela sua, diu moram ibi protelavit, tam inutilem quam probrosam.[3] Erant ibi [tunc][1] multi valentes barones et milites, qui cernentes plebem Anglicanam[4] cotidie fame pesteque perire, nam dux nullum sinebat[5] pabulatum egredi, decreverunt pugnare cum Gallicis priusquam gens Angliæ dicta peste seu fame nimis infirmata fuisset. Sed prædicti duces satis timidi atque vecordes[6] hujusmodi[7] noluerunt consilio consentire, causantes se non habere sufficientem manum ad congrediendum cum tanta multitudine pugnatorum; cum veraciter non eis virtus hominum sed audax[8] animus defuisset.[9] Dominus Thomas Bechaumpe, comes Warwicensis, belliger animosus, audiens quod die statuto Franci pugnare vellent cum nostratibus illic exsistentibus, mox electa valida virorum fortium comitiva, pervenit ad mare, et ascensis navibus quas paratas reperit, cœpit [versus][1] Calesiam navigare.

A.D. 1369. Edward renews his claim to the French crown.

John of Gaunt sent into France.

He effects nothing.

Probitas comitis Warwycensis.

De cujus adventu Francorum exercitus ita stupefactus exstitit, quod relinquerent[10] latenter tentoria cum suis victualibus, et clam aufugerent antequam terram attingeret idem comes. Cum applicuisset, ducum quos ibi reperit ignaviam multum redarguens, detestatus est; qui consuluerunt sibi ne progrederetur.[11] Ipse vero commotus, "Ego," inquit, "progredi et

Exploits of the earl of Warwick.

---

[1] Supplied from B. F. W.

[2] *custodiis*] dominis, B. F. W.

[3] *probrosam*] dampnosam, R. F. W.

[4] *cotidianam* is added after *Anglicanam* in H.

[5] *nam . . . sinebat*] nam duces nullum sinebant, F.; eo quod primum nullum sinebant, R. W.

[6] *satis . . vecordes*] om. F.; sed tamen ductores, ut fertur, R. W.

[7] *hujusmodi*] hujus, H.

[8] *audax*] ut dicitur, F.

[9] *cum . . . . defuisset*] Dubium quoque fuit, utrum eis virtus hominum aut audax mens defuerat, R. W.

[10] *relinquerent*] reliquerunt, H.

[11] *progrederetur*] progrederet, H. B. F.

A.D. 1369. His death.

"pugnare volo, dum adhuc panis Anglicanus in virorum "meorum ventribus remanet indigestus." Et sine mora cum suis progrediens, Normanniam properavit, et insulam de Cauws ferro flammaque vastavit, nemine sibi audente resistere. Sed [heu!][1] in redeundo versus Calesiam morbo pestilentiali correptus repente de medio est sublatus, parem sibi in armorum strenuitate, virili animositate, et regis regnique fidelitate, superstitem minime derelinquens. Ceteri duces, ut præfertur, exercitum fere[2] universum quem eduxerunt, quo nunquam ullus validior nostris temporibus electus fuit de terra Anglicana, miserabiliter amiserunt fame, et peste quam[3] ex fame contraxerat in partibus transmarinis. Wals. Hist. i. 308.

Total failure of the expedition. f. 136.

War between the pope and Milanese.

Per idem tempus, papa fovebat gwerram contra dominos Mediolanenses, quia ipsi tyrannice et injuste terras, redditus, et castella de patrimonio Beati Petri longo tempore detinebant. Pro papa vero militavit dominus de Spenser, qui laudabiliter se gessit ibidem post mortem ducis Clarenciæ, cum quo pervenit ad partes illas.

Johannes Hawkewode.

Fame of John Hawkwood and the White Company.

Eodem tempore floruit ille miles egregius et famosus J[ohannes] Haukwod, Anglicus natione, habens secum illam albam comitivam prætactam superius; qui [nunc contra papam,][1] nunc contra præfatos dominos Mediolani, arma gerebat; cujus pars, quocumque se verteret, semper vincebat. Multaque[4] facta egregia ibidem operatus est cum suis, immo mirabilia inaudita, si quis vellet ejus gesta per singula enarrare.

Death of queen Philippa.

Eodem anno, mortua est domina Philippa, regina Angliæ, in die Assumptionis Beatæ Mariæ, mulier nobilissima et Anglorum amatrix constantissima; quæ apud Westmonasterium honorifice tumulatur, fundente sumptuosas expensas rege Edwardo marito suo circa ejus exsequias et sepulturam.

Episcopal changes.

Obierunt hoc anno insuper Thomas Percy Northwicensis episcopus, Lodowicus Cherltone Herfordensis, et J[ohannes] Graunsone Exoniensis, episcopi; quibus, provisione papæ, successere Willelmus Courtenay ad Herfordensem, Henricus le Spencer ad Norwycensem, et Thomas Branthyngham, favore literarum domini regis Edwardi, ad Exoniensem,[5] ecclesias.

Plague, and

Hoc anno fuit magna pestilentia hominum et grossorum[6]

---

[1] Supplied from B. F. W.

[2] *fere*] vere, H.

[3] *quam*] quem, H. B. F.

[4] *Multaque*] Multa itaque, B. F. W.

[5] Oxoniensem, H. B.

[6] *et grossorum*] ingrossorum, H. B.

Wals. Hist. i. 309.

animalium, et [per][1] inundationes aquarum sequebatur magna bladi dampnificatio, in tantum ut sequenti anno modius frumenti tribus solidis venderetur. A.D. 1369. dearth of corn.

Obiit Blanchia ducissa Lancastriæ, et in ecclesia Sancti Pauli Londoniarum sepelitur. Death of the duchess of Lancaster.

Hoc etiam anno tenuit rex parliamentum apud Westmonasterium, in quo regi conceduntur decimæ triennales, in tribus annis sequentibus persolvendæ. Et a laicis triennalis quintadecima conceditur pari modo. Parliament. Aids granted.

De profectione Roberti Knollis in Franciam, et infortuniis contingentibus per discordiam.

Rex Edwardus, sinistro usus consilio, magnas summas pecuniæ a prælatis, dominis temporalibus, ac mercatoribus, aliisque divitibus, mutuo petiit et accepit, asserens quod in defensionem ecclesiæ et regni illas expenderet; sed tamen nihil inde profecit. A.D. 1370. Edward raises money.

Expost vero, circa festum Natalis Sancti Johannis Baptistæ, rex Edwardus congregari fecit exercitum magnum valde, de valentioribus [viris][1] et magis expertis in bello, qui in regno poterant inveniri. Inter quos erant domini de Garnusoun, de Fuwater,[2] et plures, tam armigeri quam milites, nobiles et valentes. His præfecit ducem dominum Robertum Knollis, virum providum et audacem, qui bella transmarina tractaverat perante multotiens gloriose; cujus discretione et industria voluit eos totaliter regulari, et ejus imperio in omnibus obedire. Qui tandem, mari transito, in regnum Franciæ pervenerunt, ubi quamdiu fuerunt unanimes Franci eos aggredi non audebant. Demum, circa principium hiemis, orta est discordia inter dictos dominos juvenes et Robertum Knollis ducem eorum; qui de propriis virtutibus nimis confidentes, æstimabant se multum humiliatos, quod ejusdem Roberti consiliis et mandatis eos oportuit obedire. Erat[3] tunc inter eos quidam miles stipendiarius, dictus J. Menstreworthe, qui unam aciem prædicti ducebat exercitus; manu quidem promptus, sed mente fallax et perversus, Roberto Knollis, cui tenebatur maxime, infidelis. Hic multum instigavit dictos dominos contra Robertum, dicens in eorum grande redundare dedecus quod ei subjecti essent; satis scientem et fortem quemlibet eorum astruens, ad perficiendum injunctum negotium sine consilio Roberti Knollis, An expedition sets out for France under Robert Knollis. Dissensions raised by J. Menstreworth.

[1] Supplied from B. F. W.
[2] de Graunsoun, de Fitzwater, B. F.
[3] *Erat*] Et, H.

A.D. 1370. quem vispilionem veterem appellavit. Unde factum[1] est, cum prædictus[2] Robertus consuleret eos egredi Franciam eo tempore hiemali, et in Britannia hiemare, noluerunt ei consentire vel acquiescere, sed ibidem dixerunt se velle per totam hiemem exspectare. Quapropter se in diversas turmas pueriliter dividentes, hiemationis loca quæsiverunt. Robertus vero Knollis, ut prudens et exercitatus miles, cum non posset eis persuadere salutem, divertit cum suis in Britanniam, et in castello suo se cum suis prudenter recepit. Gallici vero, sine mora, in ceteros sic divisos et nondum in locis [tutis][3] constitutos, irruerunt acriter, duce Bertrando Cleykyn, et pro majori parte [vel occidunt][3] vel capiunt universos, in magnum regno[4] Angliæ dedecus et detrimentum. Dictus vero J. Menstreworthe, multis de suis amissis, vix evasit, veniensque in Angliam dominum Robertum Knollis accusat instantius, imponens illi infortunii totius causas, eum insuper asserens proditorem. Sed nomen antiquum et probitas viri nota cunctis Anglicis id fecere, ut idem J. mendax reputaretur, et ingratus illi Roberto diceretur ab omnibus, et crederetur. Rex Edwardus nihilominus subtraxit ab eodem Roberto dona quædam quæ perante sibi contulerat; unde contigit ut dictus Robertus Angliam non auderet[5] intrare, antequam regis gratiam magna pecunia comparasset. Sed hæc inferius plenius innotescent. Igitur dictus J. Menstreworthe, cernens suam fraudem non posse procedere, et se cognoscens deprehensum in mendacio, fugit ad regem Franciæ, domini sui effectus proditor infandissimus, ut infra patebit.

Wals. Hist. i. 310.

The army breaks up.

Successes of Du Guesclin.

Knollis accused by Menstreworth as the cause of failure.

Menstreworth takes refuge at the French court.

Sanctus Urbanus quintus papa.

Death of Urban V.

Hoc anno Urbanus papa de Roma rediit Avynionem, ea de causa, ut reges Anglorum et Francorum ad concordiam invitaret. Sed, proh dolor![6] ante pium opus inceptum, morte præventus, vicesimo secundo die Decembris ab hac luce instabili est subtractus; sepultusque fuit ibidem ad tempus in ecclesia cathedrali, juxta magnum altare, sed post anni spatium ejus ossa ad abbatiam Sancti Victoris juxta Maciliam,[7] ubi
f 136 b. quondam abbas fuerat, deportantur, et in ecclesia, quam ipse pro majori parte de novo construxerat, juxta principale sepeliuntur altare. Et in utroque loco, Deo cooperante, fiunt clara

---

[1] *factum* repeated after *cum*, H.
[2] *prædictus*] præfatus, B. F. W.
[3] Supplied from B. F. W.
[4] *regno*] regnum, H.
[5] *auderet*] audebat, H.
[6] *proh dolor*] prothdolor, H. B. F.
[7] Marciliam, F. W.

Succession of Gregory XI.

Wals. Hist. i. 311. miracula, ex quibus cujus meriti fuerit apud Deum cunctis fidelibus apertissime declaratur. Huic successit Gregorius undecimus, diaconus cardinalis, prius Petrus Rogeri[1] nuncupatus. A.D. 1370.

Excidium Lemovicensium.[2]

Rebellion of Limoges against the Black Prince,

Eodem anno, civitas Lemovicensium[2] contra principem rebellavit, sicut et plures aliæ villæ cum castellis in Vasconia, propter graves exactiones et impetitiones,[3] ac alia quodammodo importabilia, per dominum principem et suos, ut dicebatur, eisdem imposita. Quamobrem se separantes a principe, regi Franciæ adhæserunt; unde commotus princeps, Lemovicensium[2] rebellionem primo disposuit vindicare crudeliter, nisi maturius resipiscerent, et ejus gratiam quærerent humili satis prece. Sed ipsos, quos tutabant muri fortes, victualium abundantia, et bellicosorum virorum copia, nihil terruit legatio principis jubentis eos ad pacem redire. Quorum cernens princeps obstinatiam, per nuncios mandat eis, dicens se totam civitatem funditus destructurum, et omnes inventos in ea igne vel gladio perempturum, nisi citius se sibi submitterent, et traderent civitatem. Sed indisciplinatum vulgus nihil horum audire voluit; sed et nuncios [oculo][4] superbo despexit, et civitatem artius undique communivit. Mox ergo dominus princeps, plantata[5] obsidione, diris oppugnationibus et insultibus civitatem circumquaque fatigat, nullam inclusis requiem indulgendo. Demum, arte fodientium corruentibus muris, illam capit, et captam solo tenus fere destruxit, inventosque in ea peremit, paucis captis et reservatis ad vitam.

who storms the town and slays the inhabitants.

Princeps redit in Angliam.

The prince returns to England.

Quibus ita gestis, festinavit Angliam remeare, tum propter juges infirmitates quibus vexabatur, tum propter defectum pecuniæ qua bellatores conduceret ad refrenandum[6] rebelles. Igitur, circa principium mensis Januarii, cum uxore et parvulo filio suo Ricardo, et obsequente familia, apud portum de Plummouthe applicuit, relinquens post se in Vasconia duos fratres suos, Johannem ducem Lancastriæ et Edmundum comi-

---

[1] Rogerii, B. F.

[2] Lemovicencium, H. B.

[3] *impetitiones*] impositiones, F. W.

[4] Supplied from B. F. W.

[5] *plantata*] planta, H.

[6] *refrenandum*] reservandum, H.; refrenandum, B. F.

A.D. 1370. tem Cambrigiæ, cum aliis viris strenuis et militibus bellicosis. Qui mox, ut venit ad patrem, totum dominium Vasconiæ in ejus manibus resignavit. Wals. Hist. i. 312.

Adventus regis Navarriæ.

The king of Navarre visits Edward.

Eodem anno venit ad regem Edwardum, ipsum accersientem, rex Navarriæ apud Claryndonam, ubi tractaverunt de certis negotiis tangentibus warram regis Angliæ; ad cujus adventus securitatem dimissi sunt in Normannia obsides, quidam episcopi, et comites ac barones, de Anglia, usquedum idem rex rediret. Sed post multos tractatus, ab ipso hoc quod petiit non potuit obtinere rex noster Edwardus; attamen dictus rex recessit, magnis a rege nostro denariis oneratus.

Sir John Chaundos slain in Gascony.

Hoc anno ille famosus, sapiens, et strenuus miles, et bellicosus, Johannes Chaundos, interfectus est ab hostibus in Vasconia quos [prius][1] superaverat, dum incaute caput suum discooperuisset; ad magnum detrimentum utriusque regni. Nempe ferunt regem Franciæ, audita morte sua, maxime doluisse et asseruisse quod, eo mortuo, non fuit ullus miles superstes, qui esset habilis ad faciendum pacem inter Franciæ et Angliæ reges et regna; tantum metuebatur, tantus æstimabatur, tantum ab hominibus[2] amabatur.

f. 150.

[3]*De parliamento facto Londoniis, quod bonum a pluribus vocabatur.*[4]

MS. Bodl. 316.

A.D. 1376. The meeting of the Good Parliament.

Anno Dominicæ incarnationis millesimo trecentesimo septuagesimo sexto, mandato regis, factum est parliamentum Londoniis, quod incepit circa octavas Sancti Georgii et duravit fere continue per novem hebdomadas; ubi instanter postulatum est regi subsidium de communi plebe.

The commons refuse a supply before a conference with the magnates.

Milites vero de comitatibus, ut creditur divinitus inspirati, super hoc tractatu diligenti habito, noluerunt hujusmodi petitionibus respondere sine consilio magna-

[1] Supplied from B. F. W.

[2] *hominibus*] omnibus, B. F. W.

[3] This and the two following chapters are taken from MS. Bodl. 316, collated with MS. Cotton., Otho C. ii.

[4] *quod . . vocabatur*] quod multum bonum a quibusdam dicebatur O.

MS. Bodl. 316.

torum. Igitur prædicti milites petierunt sibi concedi certos episcopos, videlicet episcopum Norwicensem,[1] et episcopum Roffensem, et episcopum Londoniensem, et episcopum Carliolensem,[2] quorum consiliis informati regiis petitionibus circumspectius responderent.[3] Episcopi vero militum acciti[4] consiliis, auditis eorum allegationibus et cognitis petitionibus quas ipsi milites proponere intendebant, rem esse arduam prævidentes quæ in manibus versabatur, et ad effectum sine magno et gravi consilio non posse perduci, enimvero res[5] forte brachium exposcebat, responderunt viis omnibus et modis fore laborandum, ut quatuor barones regni fidelissimos, qui ipsum regem et regiam dignitatem præcordialiter diligerent,[6] ipsi milites suis inceptis accirent;[7] quorum muniti patrociniis evaderent liberius, si qui eis pararentur, laqueos æmulorum, et animosius instarent pro regni totius utilitate, regis quoque[8] commodo et honore; quamquam rex dure foret accepturus quicquid pro salute corporis ejus et animæ, necnon pro utilitate et commodo regni sui, essent tractaturi. Milites ergo, episcoporum adhærentes monitis salutaribus, cum præfatis episcopis petierunt a concilio barones quatuor, sine quibus asseruerunt se nihil velle nec posse tractare. Igitur electione eorum prævia[9] mittuntur eis quatuor barones, scilicet, dominus Henricus Percy, dominus Ricardus de Stafforde, dominus Guido de Bryan,[10] et dominus Rogerus de Bello Campo. Quos omnes milites [suis][11] jurare fecerunt consiliis, et ut eis efficax auxilium impenderent, si contingant[12] indigere. Barones autem suprascripti, mox ut inno-

A.D. 1376. Four bishops appointed to advise them.

Four barons added to the committee.

[1] Norwycensem, O.
[2] Carleosensem, B.
[3] *circumspectius responderent*] et circumspectius responderunt, B.
[4] *acciti*] O; aut, B.
[5] *res*] rex, B.
[6] *diligerent*] O.; diligenter, B.
[7] *accirent*] accersirent, O.
[8] *regis quoque*] regisque, O.
[9] *prævia*] O.; privia, B.
[10] Bray, O.
[11] Supplied from O.
[12] *contingant*] contingeret, O.

A.D. 1376. f. 150 b.

tuere eis quæ milites salubriter moliebantur,[1] non sine Dei nutu, ut creditur, consilium fidele et auxilium promiserunt; sed non, nisi tot comites fideles regno, animo fortes, potentes divitiis, eorum cœptis et consiliis aggregarentur. Communi ergo decreto decernunt quatuor comites eligendos, comitem videlicet Marchiæ dominum Edmundum Mortimer,[2] comitem Warwyci[3] dominum Thomam Beuchampe, comitem Southfolchiæ dominum [Willelmum][4] Ufford, et comitem Staffordiæ dominum Radulphum de Stafforde. Petunt igitur milites cum episcopis et baronibus supradictos comites, et accipiunt; quos confestim in sua consilia jurare compellunt. Nec erat difficile ab eisdem juramentum extorquere, cum omnes et singuli honorem regium, regni commodum, pacem populi ardentissime affectarent. MS. Bodl. 316.

Four earls elected and added to their number.

Itaque, quam pium, quam sanctum, quam commendabile fuit quod mente conceperant, patuit in ipso initio parliamenti per quandam visionem factam cuidam militi de eorum collegio, viro bonæ opinionis et fide digno, cujus nomen erat dominus Thomas de la Hoo; qui etiam jurejurando mihi retulit hoc quod narro.[5] Hic, cum nocte quadam in stratu suo quiesceret et de instantibus negotiis cogitaret, qualiter videlicet vel quibus mediis rex ad correctiorem vitam reduci posset et consilio perfrui saniori, necnon quomodo abusiones in regno hactenus usitatæ valerent radicitus exstirpari, quo plenius populus terræ pace et justitia frueretur, hujusmodi curis anxius et turbatus, dimissa vigilia, somnium cœpit. Et ecce! videbatur sibi in somnio se cum prædictis militibus constitutum esse in capitulo Sancti Pauli, ubi de prædictis negotiis tractaverunt. Interque tractandum, demissis oculis in pavimentum,

Vision of one of the members in encouragement of their action.

---

[1] *moliebantur*] O.; monebantur, B.

[2] Mortymer, O.

[3] Derbeyæ, B.

[4] Supplied from O.

[5] *qui . . narro*] om. O., and added in the margin of B. by the original hand.

MS. Bodl. 316. visum est sibi invenisse septem aureos, [quos][1] florenos sive nobiles appellamus. Quos in manu accipiens, et autumans eos aliquos e sociis [suis][1] per incuriam amisisse, circuiens si aurum perdidissent a singulis requisivit. Quibus cunctis negantibus, chorum intravit, ut sciret si quis illud ibidem exsistentium perdidisset. Visumque est sibi in eodem choro monachos invenisse, quorum personæ honestæ, [ater][2] habitus, et religio commendabilis videbatur. Quos etiam sciscitatus est de auro perdito diligenter. Quibus aurum perdidisse negantibus, unus eorum, qui ætate provectior, habitu[3] et persona honestior, et ceteris visus est eminentior, sibi prædictum militem advocavit. Cui ita dixit, "Fili," inquit, "quid est quod manibus circumportas?" Cui miles, "Aurum," inquit, "circumfero, scire cupiens "ejus dominum et debitum possessorem." Cui monachus, "Videam,"[4] ait, "aurum tuum." Cui demonstranti aurum quod tenebat in manu, "Nequaquam," inquit, "est istud aurum perditum, ut tu credis. Sed quis sit numerus aureorum scire volo." Cui miles, "Septem," ait, "sunt in numero." Et monachus ita ait, "Septem aurei, fili, quos manu[5] tenes, sunt septem "[Spiritus][1] Sancti dona, collata tibi et collegis tuis, "qui in præsenti[6] congregamini[7] pro utilitate et re- "formatione status regni. Auro sapientia designatur "vobis collata, qua indagare[8] possitis reformanda et "exprimere gratiosius in conspectu principum hujus "regni." Expergiscens[9] autem miles secum revolvit in[10] animo somnium et interpretationem ejus; et visionis suæ seriem[11] sociis intimavit. Unde iidem A.D. 1376.

[1] Supplied from O.

[2] *ater*] Supplied from O.; a blank space in B.

[3] *habitu*] hantu, B.

[4] *Cui . . Videam*] Cui monachus in fit ita videam, B.; corrected by O.

[5] *manu*] in manu, O.

[6] *præsenti*] presentiarum, B.

[7] *congregamini*] congregati sunt, O.

[8] *indagare*] dagare, B.

[9] *Expergiscens*] Expergefactus, O.

[10] *in*] et, B.

[11] *seriem*] aeriem, B.

A.D. 1376. milites lætificati fiduciam conceperunt de divino adjutorio obtinendo. Hæc iccirco scripsimus, ut in dubium nulli veniat, quin ea, quæ pro emendatione regni ex parte militum sunt prolata, familiari consilio Spiritus Sancti sint suggesta. Sed ad materiam revertamur. MS. Bodl. 316.

Ut Petrus de la Mare fit prolocutor a sociis suis.

The members agree to refuse the grant before redress of grievances.

Cum igitur supramemorati nobiles cum militibus super petitione regia tractatum habuissent, convenit inter eos ut unanimiter regi petita negarent, donec certi corrigerentur abusiones et defectus, necnon personæ quædam, quæ videbantur ipsum regem et regnum depauperasse,[1] et ejus famam viliter denigrasse, et multipliciter potentiam infirmasse, eliminarentur, excessibus eorum juxta eorum qualitatem condigne punitis. His ita se habentibus, inter eos oritur justa quæstio, quis militum verba pro rege regnoque et communi populo foret facturus. Timebant[2] enim quosdam ex regis secretariis captiosos, qui regis obtinebant[3] plene gratiam et favorem; quos sciebant sibi tensuros[4] insidias, eo quod ipsorum defectus in primis palam facere cogitabant. Sed dum solicitarentur circa talia, suscitavit Deus spiritum cujusdam militis ex eorum collegio, cui nomen erat Petrus de la Mare,[5] infundens cordi suo[6] sapientiam abundantissimam de thesauris suis, et audaciam proferendi quæ mente conceperat, atque facundiam insperatam. Perseverantiam insuper et constantiam tantam dedit eidem, ut nec minas adversantium pertimesceret,[7] nec ullis turbaretur insidiis æmulorum; sed semper paratus exsistens pro veritate et justitia cuncta[8] pati, utpote qui supra

Peter de la Mare elected speaker.

[1] *depauperasse*] O.; depausasse, B.

[2] *Timebant*] O.; q̃ nuebant, B.

[3] *obtinebant*] O.; optin subant, B.

[4] *tensuros*] tonsuros, B.

[5] *de la Mare*] O.; ille amare, B.

[6] *suo*] sue, B.

[7] *pertimesceret*] pertimescerent, B.

[8] *cuncta*] cuncti, B.

MS. Bodl. 316. firmam petram juxta nomen suum fundamentum acceperat, se suis cunctis adversariis[1] præbuit formidabilem. Nullis flecti potuit magnatorum minis, nullis muneribus emolliri, quin rectam orbitam justitiæ sequeretur. A.D. 1376.

Peroratio[2] *domini Petri de la Mare.*

Petrus ergo supradictus de Dei confisus[3] adjutorio onus[4] verbi suscepit; et astans cum sociis suis coram proceribus, quorum maximus erat dominus Johannes dux Lancastriæ, [cujus facta suo nomini semper exstitere contraria, nam semper gratia carebat divina, ut creditur, et humana,][5] taliter fari cœpit:— His speech. f. 151.

"Domini," inquit, "et proceres, quorum fide et in-
"dustria regi debent moderamina regni, nequaquam
"ambigo vestram latere prudentiam quantis talliarum
"vexationibus depressa fuerit plebs communis, nunc
"quintam-decimam persolvendo, modo decimam tribu-
"endo, modo vero nonam regis usibus concedendo.
"Quæ omnia ferret æquanimiter, si dominus noster
"rex sive regnum istud exinde aliquid commodi vel
"emolumenti sumpsisse[6] videretur; etiam plebi tole-
"rabile, si in expediendis rebus bellicis, quamvis gestis
"minus prospere, tanta pecunia fuisset expensa. Sed
"palam est, nec regem commodum nec regnum ex hac
"fructum aliquem[7] percepisse. Et iccirco, quia nulla-
"tenus innotuit communitati qualiter tanta sit expensa
"summa pecuniæ, rationem compoti ab his, qui eam
"receperunt, efflagitat plebs communis; non enim est
"credibile regem carere infinita thesauri quantitate,
"si fideles fuerint qui ministrant ei."

Talia Petro dicenti non habentes quid responderent[8]

---

[1] *adversariis*] adversarii, B.

[2] *Peroratio*] Porro, B. Peroratio domini Petri de la Mare in principio parliamenti. Title in O.

[3] *confisus*] confusus, B.

[4] *onus*] O.; ejus, B.

[5] Supplied from O.

[6] *sumpsisse*] sumpsissent, B.

[7] *aliquem*] alium, B.

[8] *responderent*] responderunt, B.

A.D. 1376. ipsi judices siluerunt.[1] Dux igitur et ejus complices, quoniam pene omnes magnates et communis populus eos habuere suspectos, pro tunc omissa responsione, concilium dimiserunt, alias super hujusmodi negotiis tractaturi. MS. Bodl. 316.

De [verb]is ducis Lancastriæ et moribus ejus.[2]

The duke of Lancaster takes counsel with his followers against the commons.

His boastful words.

He is rebuked by one of his retainers.

Seq[uenti] nocte dux [cum] suis privatis hominibus fertur habuisse consilium, qualiter quæ in infamiam s[uam] manifeste et dedecus redundabant propulsare valeret. Ubi post diversorum sententias prolatas diver[se, dein]de, cum nullius ratio sibi placuisset, dixisse fertur, "Quid," inquit "isti degeneres et sepium mili- "tes moliuntur? Num putant esse terræ istius reges "sive principes; vel unde eis tantus tumor et super- "[bia]? Puto cujus sum potestatis ignorant. Ego "igitur summo mane eis tam gloriosus apparebo, et "tantam inter illos excitabo potentiam, et eos tanta "severitate terrebo, [quod] nec ipsi nec illis similes au- "debunt majestatem meam de cetero lacessere." Taliter glorianti et [v]an[a] sibimet pollicenti quidam ex suis armigeris dicitur respondisse; "Domine," ait, "non "latet vestram magnificentiam quibus et quantis aux- "iliis isti milites, non plebei, ut asseruistis, sed armi- "poten[tes et] strenui, fulciuntur. Namque favorem "obtinent dominorum, et in primis domini Edwardi "principis, fratris [vestri], qui illis consilium impendit MS. Cott. Otho C. ii.

[1] *siluerunt*] Otho C. ii. has an additional passage here, but it is so much injured by fire that it cannot be fully read. The words which can be deciphered are, "et in primis, "ut ita dicam, non dux . . . . . "cum Lancastre . . . . . us "Anglorum dominus, id est inco- "ronatus, qui in parliamento locum "regium pro . . . . . ut crede- "batur, ipse unus exstitit ex regiis "toribus qui [non] solum "ejus . . . . . verat quod habi "tum ejus pro vero . . . . . quæ "in usus regios debuis- "sent . . . . ferre tantam . . . ."

[2] This chapter occurs only in Otho C. ii., from which the text is taken. The words and letters within brackets supply defects caused by fire in the MS.

MS. Cott. Otho C. ii.

" efficax et juvamen. Londonienses etiam omnes et " singuli et commune vulgus tantum penes eos affi- " ciuntur, quod non permitterent eos vel probris præ- " gravari vel minima injuria molestari. Sed et ipsi " milites, accepta contumelia, cogantur contra personam " vestram et amicorum vestrorum cuncta extrema mo- " liri, quæ fors[ita]n alias minime molirentur." A.D. 1376.

His monitis animus ducis sibi male conscius perturbatur. Verebatur revera quod eveniret sicut armiger sibi dixit, et sic maculam sua contraheret gloria indelebilem; cum nec ipse, si palam fieret mentio de suis sceleribus, pro aliqua purgatione populo se sciret satisfacere, nec pro vecordia et infirma conscientia, licet bellum contra suos æmulos suscitare vellet, id auderet, cum esset inops animi et diversis sordium et peccatorum spurcitiis maculatus. Quippe, relicto licito matrimoniali thoro, tam primam uxorem suam, domini et nobilissimi Henrici primi ducis Lancastriæ, quam domini Petri regis Hispanorum filiam mœchus infamis decepit et adulter. Et non solum in abdito talia et occulto præsumpsit, sed in earum lecto meretrices iniquissimas, ipsis dolentibus sed non audentibus contradicere, collocavit. O [d]ucem infortunatum et miserum! O qui quos ducis ad bella prodis tua proditione et vecordia, et quos in pace duceres per operum bonorum exempla ducis per devia, et ad interitum pertrahis et perducis! Tum enim, cum tibi sive Deus, sive, ut ita dicam, mater omnium rerum, natura dederit animam et discretionem, quibus nihil est præstantius, sic te ipse projicies atque prosternes, ut nihil inter te et pecudem interesse putes. Respice, miserrime, qui te florentem putas, qui te beatum credis, qualiter te tuæ premunt miseriæ, libidines torquent; cui nec satis est quod habes, et illud ne non diuturnum futurum times. Te maleficiorum tuorum conscientiæ stimulant; sed utinam te metus legum, sicut alios populares, et judicii exterreret. Profecto tunc errata corrigeres vel invitus.

The duke is alarmed.

Accused of gross licentiousness.

A.D. 1376. [1] *Deposita contra dominum Latimer et Ricardum Liounes et alios.*[2] MS. Bodl. 316.

Unexpected graciousness of the duke in the Commons.

Igitur, [ut prælibavimus,][3] dux, [punctus asperrimis conscientiæ suæ stimulis et suorum responsis territus vehementer,][3] animi rigore[4] deposito, sequenti die intravit cœtum[5] militum; et, contra spem omnium, se eisdem præbuit tam favorabilem, tam benignum, ut cunctos in admirationem duceret et stuporem. [Noverant enim quam superbus Moab exstiterit abhinc nudius tertius, quamvis parvipenderent ejus arrogantiam et

Ps. lxxvi. 11.

dicebant, "Num hoc[6] est mutatio dexteræ Excelsi?"][3]

His hypocritical words.

Sed et ipse dux [modestiam simulans][3] eos [fallaciter][3] visus est confortare, dicens se bene nosse[7] quam pia forent vota militum laborantium pro regni statu; et iccirco quicquid censuerunt corrigendum dicerent, et ipse remedium apponeret adoptatum. Milites vero sibi [quamvis scirent infidelem[6] exsistere, illi][8] gratias reddiderunt.[9]

Impeachment of lord Latimer.

Perinde intrantes parliamentum et suis astantes tribunalibus deposuerunt contra dominum de Latimer,[10] cubicularium domini regis, per os domini Petri de la Mare, quod inutilis regi et regno fuit. Unde petierunt instantissime ut ipse suo privaretur officio, eo quod ipse regem sæpius decepisse diceretur et falsum eidem domino suo regi, ne dicam proditorem, fuisse.

Charges against him.

In primis, cum missus a rege fuisset, ut Armoricam Britanniam custodiret et regeret vice regis, quæ tunc temporis fuerat terra pacis, non solum injuste populares afflixit, sed civitates, villas et castella, quo plus nullus fecisset in terra hostili, coegit ad redemptionem gravissi-

---

[1] This and the next chapter are taken from MS. Bodl. 316, collated with MS. Otho C. ii.

[2] Dominus de Latymer suo privatur officio; et deposita contra eum. Title in O.

[3] Supplied from O.

[4] *rigore*] rigorem, B.

[5] *cœtum*] centum, B.

[6] *hoc . . infidelem*] Damaged by fire in O.

[7] *nosse*] noscere quod, O.

[8] Supplied from O., which omits *sibi*.

[9] *reddiderunt*] responderunt, O.

[10] Latymer, O.

MS. Bodl. 316.

mam. Quam nimirum pecuniam non regis[1] sed propriis usibus conservabat; et, ut dicitur, domino rege egente, ipse adeo[2] est ditatus, ut cados impleret de fulvo metallo et ad loca sua in Angliam destinaret. Et horum[3] omnium [eum][4] convictum fuisse nullus ambigit; cum eo tempore pro his omnibus merito incurrisset indignationem regiam, et condempnatus fuisset ad solutionem triginta millium marcarum satis juste. Sed amicis se interponentibus, dominus rex remisit ei culpam, non perdonans[5] pecuniam. "Igitur petimus," ait dominus Petrus, "ut domino nostro regi de propriis "succurratur. Et si ea, quæ sibi juste debentur, ejus- "dem indigentiæ non sufficiant, libenter concedimus "ut de communi populo regiis necessitatibus satis fiat. "Noverit quoque dominus noster rex quod si per suos "fideles communes regi ducique voluerit, quod id "efficiemus ut sua sibi sufficiant[6] abundanter, quam- "vis ad bona suorum communium nullatenus manus "extendat." A.D. 1376.

Item deposuerunt iidem milites, per os ejusdem domini Petri, contra dominum de Latimer,[7] quod vendidit castellum Sancti Salvatoris, ut patet per [accusationem][4] Thomæ de Katringtone,[8] custodis[9] ejusdem loci.

Item quod impedivit succursum de Becherel; quia cum naves Anglicanæ refertæ fuissent sufficienti armata manu, quæ ad succurrendum suffecisset obsessis, et ob hanc causam pecuniam a domino rege[10] susceperant [stipendiariam][4] idem dominus de Latimer[7] eandem profectionem impedivit; et sic tam villa regis quam pecunia perdebantur.

Item, cum naves fuissent captæ jure belli, quarum

---

[1] *regis*] O.; regnans, B.
[2] *adeo*] O.; deo, B.
[3] *horum*] O.; horis, B.
[4] Supplied from O.
[5] *perdonans*] O.; per condonavit, B.
[6] *sufficiant*] sufficient, B.
[7] Latymer, O.
[8] Kateryngtone, O.
[9] *custodis*] cui custodis, B.
[10] *a domino rege*] Expuncted in B., but stand in O.

A.D. 1376. bona in usus regis et regni et eorum, qui eas ceperant, converti debuissent, ipse eas abire dimisit, accepto ab eisdem vino et pecunia; quod idem ipse negare non potest. MS. Bodl. 316.

Item, cum dominus Robertus de Knolles incurrisset iram regiam pro minus prospere gesta militia in regno Franciæ, quod non sibi debet ascribi sed suorum indisciplinatæ inobedientiæ et superbiæ, idem dominus Robertus, pro obtinenda pace regia, de decem millibus marcarum, per manus ejusdem domini de Latimer,[1] eidem domino regi finem fecit; de quibus quidem[2] decem millibus marcarum constat dominum regem habuisse nisi solum duo millia, ut asserere thesaurarius est paratus. Et sic patet eum dominum regem de octo millibus marcarum defraudasse.

Item, cum cives de Bristollia, pro tuitione libertatum suarum quas pene[3] perdiderant, domino regi obtulissent per manus ejus decem millia librarum, dominus rex non percepit nisi solum duo millia, octo millibus librarum in usus ejusdem domini de Latimer[1] fraudulenter conversis.

Richard Lyons implicated.

Item, cum dominus rex non indigeret pecunia, ipse et Ricardus Liounes[4] finxerunt se mutuo suscepisse de mercatoribus ad usum regium[5] viginti millia marcarum. Quare oportuit dominum regem, ut asseruerunt, re-

f. 151 b. solvere eisdem mercatoribus usuariis viginti millia librarum; quam pecuniam constat pro vero[6] eos non de alienis mercatoribus, sed de proprio suscepisse. Unde patet eos nequiter dominum regem de decem marcarum millibus decepisse.

Item deposuerunt milites, per os supradicti domini Petri, quod[7] idem dominus de Latimer[1] et Ricardus Liounes,[8] ad dampnum commune omnium mercatorum

---

[1] Latymer, O.
[2] *quidem*] O.; idem, B.
[3] *pene*] fere, O.
[4] Lyowns, O.
[5] *regium*] regem, B.
[6] *vero*] eo, O.
[7] *deposuerunt . . quod*] om. O.
[8] Lyons, O.

MS. Bodl. 316.

Angliæ et totius populi, fere omnia mercimonia in Angliam venientia coemerunt, pretia statuentes pro suæ arbitrio voluntatis. Unde fecerunt tantam karistiam in hac terra rerum venalium, quod vix potuit vivere plebs communis. [f] A.D. 1376.

Hæc et pene alia infinita cum contra eosdem milites protulissent, petierunt judices ut eorum excessibus juste libratis correctionis remedium adhiberent.

The duke from unworthy motives, defers judgment.

Dux vero, quamvis sciret tales defectus dignos mortis mulctatione, [advertens tamen quod, si mortis proferret sententiam contra eos, eorum bona cessura in usus non suos sed regios,] [1] elegit tamen dilationem prolationis sententiæ, [ut de bonis eorundem suæ subveniret hydropisi; quia ardentissime eorum pecuniam sitiebat,[2] et quod est nequius, ut dicebatur, eorum scelerum particeps exsistebat;] [1] et dimissa [3] pro tunc concione, alias eorum causam [4] examinaturus, et utinam juste judicaturus, abcessit.

[*Ricardus Lyones mittit exennia principi, ut ei faveret.*] [1]

Richard Lyons sends presents to the prince of Wales, who refuses them.

Interea Ricardus Liounes,[5] audiens se taliter accusatum, timens pelli suæ, misit domino Edwardo principi mille libras cum aliis exenniis et donativis. Credidit enim nequaquam se de mortis periculo eruendum, nisi ejusdem domini principis interventu, vivente eodem. Et revera si idem dominus princeps vixisset, procul dubio, ut dignus fuit, mortis sententiam excepisset. Sed idem princeps, libra justitiæ ponderans ejus scelera, aurum sibi missum renuit acceptare, remittens sibi omnia quæ idem Ricardus sibi obtulit, præcipiens ut colligeret fructus viarum [6] suarum et potaret

[1] Supplied from O.
[2] *sitiebat*] sciebat, O.
[3] *et dimissa*] Dimissa igitur, O.
[4] *causam*] causas, O.
[5] Lyownes, O.
[6] *viarum*] varium, B.

A.D. 1376. qualia pandoxavit. Dominus[1] tamen princeps, post- MS. Bodl. 316.
quam ei remisit exennia sua, multum doluit et tristabatur, dicens, "Heu!" inquit, "cur modo mihi sensus "defuit? Cur discretio non affuit? Nunquam enim "[fui][2] in tantum sapientia[3] destitutus. Si," ait, "misissem ejus munera militibus qui pro regno labo- "rant, bonam utique rem fecissem." Ricardus autem,

He offers presents to the king; who accepts them. videns dominum principem sua refutasse munera, misit eadem et uberiora domino regi, ejus gratiam implorando. Quæ dominus rex gratanter accepit, dicens jocose se ea accipere in partem solutionis pecuniæ sibi

Edward's jocular remark. debitæ. "Quoniam hæc,[4]" ait, "et plurima ab eo mihi "debentur, et nihil nobis obtulit nisi nostra."

Lord Latimer canvasses for supporters. Lord Nevill speaks in his favour. Dominus etiam de Latimer,[5] per amicos circuiens, quæsivit tam prece quam pretio, qui pro eo verba facere potuerunt. Unde dominus[6] de Nevyle, cupiens ejus favorem et pecuniam, convenit dominum Petrum de la Mare et ejus socios, super accusatione domini de Latimer,[5] verba grossa et ampullosa; et dicens indecens fore tantum parem regni a talibus impetiri, qui, non obstantibus eorum insimulationibus, par regni et dominus de Latimer[5] esset permansurus. Et adjecit quod forsan essent præcipitandi in foveam quam fecerunt. Cui dominus Petrus ita respondit, "Desine," inquit,

He is silenced by Peter de la Mare. "domine, sollicitari pro aliis, qui forsitan pro te ipso "satis difficulter in proximo respondebis. Nondum "enim inter nos habitus est tractatus de persona tua, "non adhuc facta tua contigimus. Satis habebis de "te ipso credas in proximo faciendum." Quibus verbis idem dominus de Nevyle, velut fulmine repercussus, loqui desiit, exspectans cum silentio examinationis suæ tempus. Qui in brevi postea accusatus de

---

[1] *Dominus*] Dominus Ricardus, B.

[2] Supplied from O.; *in*, om. O.

[3] *sapientia*] seu sapientia, B.

[4] *hæc*] O.; hoc, B.

[5] Latymer, O.

[6] A blank in O. for the Christian name.

MS. Bodl. 316. officio suo est depositus, (nam fuerat domus regiæ senescallus,) et ad solutionem octo millium marcarum juste compulsus. A.D. 1376.

MS. Harl. 3634. *De quodam in carcere strangulato per dominum Latimer, ne ejus proditiones proderet; et de difficultate inveniendi prædictum incarceratum.*[1] f. 136 b.

A messenger from La Rochelle illegally imprisoned by lord Latimer.

Sub eisdem diebus nunciatum est domino Percy, qui unus fuerat de parte militum, quendam armigerum, qui cum literis venerat ad dominum regem de villa de Rochel, absque[2] responso conjectum fuisse in vincula, literis quas apportaverat de conspectu domini regis subtractis; et hæc omnia dominum de Latimer[3] injuste fecisse. Dominus ergo de Percy, cui ardens in principio fuerat desiderium regno succurrere,[4] proditores deprehendere, qui in tali voluntate usque in finem utinam perseveraret,[5] proximo die parliamentali petiit instanter ut idem armiger suis responsis astaret, quo melius scire valerent causas incarcerationis. Missum est igitur, duce et judicibus annuentibus, ut carcer requireretur in quo idem armiger tenebatur, [et][6] incarceratus coram duce et judicibus scisceretur. Quod audiens, dominus de Latimer,[3] ut dicitur, per occultos nuncios procuravit ut idem incarceratus posset minime reperiri, cunctis carcerum custodibus negantibus se aliquem talem in sua custodia detinere. Sed commune vulgus Londoniensium, quibus erat satis incarceratio ejus nota, non ferentes[7] confusionem domini de Percy, (confundebatur enim quod verba fecisset pro tali qui non potuit inveniri,) cum clamore et minis juraverunt

Lord Percy lays the case before parliament.

The man is hidden away.

The Londoners rise.

[1] Dominus de Latymer quendam armigerum incarcerat de Rochel venientem. Title in O.

[2] *absque*] O. B.; ab, H.

[3] Latymer, O.

[4] *succurrere*] O. B.; succrere, H.

[5] *perseveraret*] O.; perseveret, H. B.

[6] Supplied from O.

[7] *ferentes*] O.; ferentem, H. B.

A.D. 1376. se hospitia omnium vicecomitum incensuros,[1] nisi is[2] produceretur, quem bene noverant in eorum custodiis detineri. Vicecomites igitur, timentes furorem populi, prædictum armigerum laxaverunt. Cui dux et judices præfixerunt diem quando suam causam diceret coram illis. Populus vero Londoniensis, audiens quod pro tunc differebatur ejus examinatio, edidit tantum strepitum et clamorem, ut ipse dux et cuncti sui complices turbarentur; et compescere cupientes tantum tumultum, inquisierunt quid[3] inter se haberent. Quibus Londonienses responderunt, se timere plurimum ne iste homo, cujus dederant examinationi dilationem, interim furtive jugularetur, sicut nuper quidam[4] alius jugulatus fuerat in custodia carcerali, ne [per][5] responsa sua aliorum crimina nudarentur.

The prisoner is produced, but his examination is deferred.

Anger of the Londoners.

They declare their fear that the man will be murdered.

His auditis, pene cuncti qui aderant[6] de diversis regni provinciis, tam domini quam populares viri, scire cupierunt quid portenderent[7] ista verba. Quibus ab eminentioribus viris plebis et sapientioribus est responsum; "Eo tempore," inquiunt, "quo dominus "noster rex et dominus rex Navariæ in ista terra "tractatum habuissent secretissimum, de quibusdam "fœderibus feriendis inter illos, (cui consilio tres "tantum personæ aderant, videlicet dominus[8] noster "rex, et dominus rex Navariæ,[8] et dominus de "Latimer,[9] qui omnes præstiterunt juramentum de "tegendo supradicto consilio,) et contigisset dominum "regem Navariæ postea habuisse colloquium cum rege "Franciæ, objurgatus est idem dominus rex Navariæ "turpiter a rege Franciæ de pactis initis[10] cum domino

f. 137.

Account of the supposed murder of a messenger who had betrayed state secrets.

---

[1] *incensuros*] O.; incensuris, H. B.

[2] *is*] O.; hiis. H.; his, B.

[3] *quid*] O.; qui, H. B.

[4] *quidam*] O.; plorari, H. B.

[5] Supplied from O. B.

[6] *aderant*] adherant, H.

[7] *scire . . portenderent*] scire quid portenderent, O.; sciri quid protenderent, H.

[8] *dominus . . . Navariæ*] illi duo reges, O.

[9] Latymer, O.

[10] *pactis initis*] pace inita, O.

" nostro rege. Qui æstimans omnino latere consilium, A.D. 1376.
" cui tantum tres supradicti juraverant, constanter
" negabat quod sibi rex Franciæ imponebat. Cui rex
" Franciæ, 'Non potes,' ait, 'ista negare. Ecce literæ
" 'quæ continent ea quæ dico.'[1] Et tradidit ei literas
" perlegendas, demonstrans sibi nuncium qui eas detu-
" lerat, 'Ecce!' inquiens, 'has literas iste portavit.'
" Dominus igitur rex Navariæ, non habens quid re-
" sponderet, erubuit vehementer; et notata competenti
" hora, advocavit [quendam militem][2] dominum Wil-
" lelmum Helingham,[3] nondum de proditione infama-
" tum,[4] qui tunc jussu domini regis Angliæ in obsequio
" ejusdem domini regis Navariæ fuerat. 'En!' ait,
" 'domine Willelme, quanta probra vestrum fidele
" 'consilium Angliæ, nunc potius infidele, me facit a
" 'rege Franciæ sustinere;' [et][2] demonstravit ei literas
" indorsatas. Cui dominus Willelmus, 'Habeam precor,'
" ait, 'domine mi, copiam literarum.' 'Non,' inquit
" rex, 'habebis; quoniam dominus rex Franciæ jurare
" 'me compulit ne literas revelarem. Sed videbis,'
" ait, 'eum qui literas apportavit;' et demonstravit ei
" personam ejus. 'Vide,' ait, 'ut habeas bonam noti-
" 'tiam personæ suæ.' Hunc ergo idem dominus Wil-
" lelmus, cum venisset in Angliam, et in hac civitate
" reperisset, apprehensum commendavit custodiæ car-
" cerali. Qui cum duceretur ad carcerem, ut fieri
" solet, plebs Londoniensis in eum probra multa et
" maledicta congessit, cum tamen nescirent cur idem
" captus fuisset. Ille vero turbatus et confusus, 'Deus
" 'bone,' inquit, 'quid mihi accidit, quod populus iste
" 'penes me adeo est infestus? Quid feci; quid male
" 'perpetravi? Certe nullius conscius sum latrocinii,
" 'nullius proditionis, nisi quod jussus sum regi Fran-
" 'ciæ literas deferre, quarum tenorem penitus igno-

[1] *quæ dico*] omitted in O.
[2] Supplied from O.
[3] Helmham, O.
[4] *nondum . . infamatum*] om. O.

A.D. 1376. " ' ravi. Et si hujus rei causa morte dignus sum,
" ' certe illi plus mortem meruerunt qui literas con-
" ' scripserunt,[1] qui me fore earum bajulum compu-
" ' lerunt.' Cumque plebs Londoniensis de ista materia
" plus audire concupisceret, compulsus [est][2] festi-
" nanter a ministris carcerem subintrare; et eodem
" die est inventus mortuus in eodem, ut creditur,
" strangulatus. Quare populus iste rogat ut iste ar-
" miger in salva custodia teneatur, ne strangulatus
" intereat, antequam responsa reddiderit coram vobis."

The prisoner is delivered into safe keeping.

Hac ergo oratione, et armiger est fideli custodiæ deputatus, et fama domini de Latimer est multipliciter merito denigrata. Erat utique [non secus quam dux][2] adulteriis deditus, avaritiæ serviens et rapinis. Quippe, relicta generosa sponsa sua, consuevit pernoctare cum meretricibus Londoniis in contubernio lupanari, ponens ibidem portionem suam cum adulteris, et prodigaliter expendens quæ per avaritiam a suis tenentibus pauperibus extorquebat. Avaritia siquidem ei fidem subtraxit, quam domino regi atque regno debuit, probitatem ademit, ceterasque bonas artes subvertit. Pro his autem superbiam, crudelitatem, Deum negligere, omnia venalia habere edocuit. Qui, quamvis nobili genere natus fuisset, ingenium tamen ei malum atque pravum inerat, quod naturam suam turpiter inficiebat. Ad bella [plus quam ipse dux][2] nihil valuit, nam corpus ejus impatiens inediæ et algoris exstitit. In terra [hostili][2] et inter hostes vigilias agere nec audebat nec potuit, cum tamen in pace inter [suas][2] pellices plerasque noctes insomnes transigere[3] consuesset. Animus ei mendax subdolus atque varius,[4] cujuslibet rei simulator ac dissimulator[5] exstitit, aliena appetens sua inexorabilibus claustris claudens, nisi quatenus in ædi-

Bad character of lord Latimer.

---

[1] *conscripserunt*] conscripserant, O.

[2] Supplied from O.

[3] *transigere*] transfigere, H.

[4] *varius*] vanus, O.

[5] *ac dissimulator*] om. O.

ficiis faciendis et circa [ducem et][1] alios infideles, pro suis tuendis maleficiis, eum expendere oportebat. Satis habuit eloquentiæ, parum sapientiæ possidebat. Sed jam ista sufficiant. Hoc tamen scripsimus ut posteris luceat quibus consiliis dominus rex est usus; qui quamquam esset natura benignus, pius, et misericors, talium tamen consiliis est [nequiter][1] seductus, qui ei assidue assistebant. Et revera quisquis, licet a culpa vacuus, in amicitiam pravorum inciderit, cotidiano usu atque illecebris par talibus efficietur. His ergo omissis, stilum ad materiam, de qua digressi sumus paululum, convertamus. A.D. 1376.

[*Armiger venit ad responsum.*][1]

Venit interim dies in quo prædictus armiger responderet, qui, ut dicitur, ita est tam minis quam pulchris pollicitis emollitus, ut nullum penitus fructuosum[2] responsum ab eodem judices extorquere valerent. Eodem etiam modo contigit de Thoma de Katringtone,[3] custode Sancti[4] Salvatoris, qui primo se excusaverat per dominum [de][1] Latimer de venditione ejusdem castelli. Nam cum dies præfixus suæ responsioni venisset, qui perante, cum in carcerem truderetur, promisisset se demonstraturum literas privatas[5] regis et etiam magnam chartam ejusdem, quibus ostenderet se compulsum fuisse ad venditionem ejusdem castelli, jam non solum literas non ostendebat, sed nec responsum quidem ad propositum ullum reddebat; sed per ambages evadere cupiens, coram judicibus diem et amplius[6] protrahebat. Unde ambo iterum carceri mancipantur. Creditum est ducem eis impunitatem, intercedente pecunia domini de Latimer, promisisse, si ab ejus accusatione cessarent; sed nec dominus de Latimer

The prisoner is bribed to keep silence.

Thomas de Katrington refuses to appear against lord Latimer.

f. 137 b. The duke of Lancaster and lord Latimer suspected of bribery.

[1] Supplied from O.
[2] *fructuosum*] O.; fluctuosum, H.
[3] Kateryngtone, O.
[4] *Sancti*] Sanctæ, H.
[5] *privatas*] privata, H.
[6] *amplius*] amtus, H.

A.D. 1376. populi suspicionem evasit de eisdem collata pecunia pro eadem causa.

Dominus de Latimer suo privatur [officio][1] et ejus bona confiscantur.[2]

The duke forced to give sentence against lord Latimer.

Dux interea, adventante die judicii præfixo causis domini de Latimer et Ricardi[3] Liounes,[4] ponderans articulos depositos[5] contra eundem dominum de Latimer et Ricardum Liounes,[4] et qualitatem librans[6] et eorum numerum, (nam amplius quam sexaginta defectus notabiles contra eosdem[7] sunt depositi, de quorum majori parte coram duce et judicibus sunt convicti,) [quamquam ab eis pecuniam grandem, ut dicitur, suscepisset, tamen][8] cupiens sedare populum, quem sciverat eisdem[9] infestum, et metuens majestatem principis, quem bene novit favere populo et militibus, judiciali sententia dominum de Latimer de suo privavit officio. Fuerat enim camerarius domini regis. Et confiscavit regi omnia perquisita sua, ut tantum avita hereditate contentus esset. Corpus etiam ejus, quod noluit, quia par regni fuerat, publico carceri deputare, jussit sub salva lictorum [custodia][8] observari, donec voluntatem domini regis agnoscerent de eodem. Statutum insuper est communi parliamenti decreto, ut idem dominus de Latimer infamis de cetero haberetur, et ut ad concilium regis vel regni nullatenus admitteretur. Ricardum vero Liounes[4] extorrem fecit de omnibus terris et tenementis, quæ in Anglia possidebat; et corpus ejus mandavit custodiri in turri Londoniensi. Sed istum rigorem dissolvit cito subsecuta domini Edwardi principis mors

Lord Latimer deprived of his office, and his goods confiscated.

Richard Lyons imprisoned.

[1] Supplied by a late hand.
[2] Perquisita domini de Latymer et Ricardi Lyones regi confiscantur. Title in O.
[3] Ricardus, H.
[4] Lyons, O.
[5] *depositos*] dependentes, O.
[6] *librans*] libras, H.
[7] *eosdem*] eodem, H.
[8] Supplied from O.
[9] *eisdem*] eis, O.

immatura. Nam post mortem ejus licuit duci quic- A.D. 1376.
quid [voluit et][1] libuit; [et ideo, velut judex qui nec Deum timuit nec homines verebatur, postea cuncta gessit],[1] ut patebit in pagina sequenti.

Dominus Ricardus Stiri propter mendacium separatur a rege.[2]

Eodom tempore quidam miles, regi familiarissimus, nomine Ricardus, cujus erant rictus ad ardua semper patuli, cognomento Stiri,[3] quia velut stiria frigebant in eo fides et bona conscientia, quia deprehensus fuerat in mendacio, eliminatus est a curia et præsentia regis ad horam. Hic namque factus fuerat per regem[4] referendarius, ut illius vota ad milites, et militum ad eundem, referret; sed, ut creditur, corruptus pecunia, militum facta pro posse et dicta depravavit, dicens regi eos niti ad depositionem ejus, ut facerent cum eo, sicut quondam fecerant cum patre suo; ac ideo[5] obsistendum eis fore in principio, antequam, adjuti communibus plebis viribus, valerent ad effectum perducere vota sua. Hac igitur ejus oratione commotus rex piissimus; jam non erat cum militibus mens ejus sicut heri et nudius tertius; sed vehementer cœpit cavere de illis, dubitans de illorum fide et vulgi mobilitate. Sed tandem diligenti inquisitione vix rei veritate cognita, illum, ut diximus, mendacem et discordiarum seminarium a suo concilio sequestravit. Dux autem, parvipendens talem defectum, cito postea[6] persuasit regi, ut eundem Ricardum reciperet in gratiam suam, sicut prius; quod et factum est.

Sir Richard Stury banished from court.

He is charged with making mischief between the king and commons.

The duke of Lancaster obtains his recall.

---

[1] Supplied from O.

[2] Ut Ricardus Stury capitur cum mendacio et sequestratur a regis curia, sed cito rediit. Title in O.

[3] Stury, O.

[4] *per regem*] a rege, O.

[5] *ac ideo*] et, O.

[6] *postea*] om. O.

A.D. 1376.

Capitulum de morte principis.[1]

Death of the Black Prince.

Circa idem tempus in festo Sanctæ Trinitatis, quod accidit sexto idus Junii, obiit cultor Trinitatis, invictissimus princeps Walliæ, dux Cornubiæ et comes Cestriæ,[2] Edwardus de Wodstok,[3] domini regis Edwardi tertii a conquæstu primogenitus; cujus animus sicut in hostes et ad bella, ita et in mortem invictus fuit. Nam valedicturus seculo tamquam non moriturus[4] obiit; sed velut de peregrinatione ad patriam, velut de morte ad vitam, velut de servitute transiturus esset ad gloriam, ut mori posset, sanctissimam Trinitatem suppliciter exoravit, "Trinitas," inquiens, "benedicta,[5] "cujus nomen semper in terris colui, cujus honorem "ampliare studui, in cujus fide, quamquam alias "sceleratus et peccator fui, semper degi,[6] Te deprecor, "ut, sicut ego Tuum istud festum magnificavi in "terris, populum etiam ob honorem Tuum vocavi ut "idem festum mecum lætus ageret, Tu me liberes de "corpore mortis hujus, et vocare digneris ad festum "illud[7] dulcissimum, quod Tecum in cœlis agitur in "hac die." Cujus preces, ut credimus, a Domino sunt exauditæ; namque eodem die, circa horam tertiam, ex hoc mundo transivit.

His prayer to the Trinity.

Account of his last days.

Decubuerat autem, fere a tempore quo parliamentum incepit, orationibus vacans et eleemosynis et aliis pietatis operibus, sed[8] exspectans[9] vocationis suæ tempus. Et non solum illud tempus a Deo datum est sibi ad pœnitentiam, sed per quinque annos continuos et amplius gravi infirmitate et corporis incommodo laboravit. Revera toto illo[10] tempore, fere singulis mensibus, passus est utrumque fluxum, seminis vide-

His great sufferings.

---

[1] De morte domini Edwardi principis. Title in O.

[2] *Walliæ . . Cestriæ*] Misplaced at the end of the last chapter, H.

[3] Wodestoke, O.

[4] *moriturus*] mortuus, O.

[5] *benedicta*] si benedicta, H.

[6] *degi*] degui, O.; digni, H.

[7] *illud*] istud, O.

[8] *sed*] om. O.

[9] *exspectans*] pectans, H.

[10] *toto illo*] tot ille, H.

licet atque sanguinis. Quæ infirmitates multotiens eum reddiderunt ita invalidum, ut sæpissime obiisse a suis famulis credebatur. Sed hæc omnia[1] ita patienter sustinuit, ut nunquam audiretur verbum murmurationis contra Dominum edidisse. Ante mortem vero suam distribuit larga dona, tam in[2] terris quam rebus aliis, suis omnis conditionis famulis, rogans patrem suum dominum regem, ut dona sua ratificaret, et eos diligeret et[3] foveret, "Quoniam," ait, "hæc et "multa alia, tam de vestra, quam de mea largitione "meruerunt." Supplicavit etiam domino regi, ut debita sua permitteret solvi de rebus propriis festinanter. Quod etiam dominus rex repromisit;[4] tertiamque petitionem petenti annuit, videlicet, ut faveret heredi suo, et ei consilium impenderet et munamen. Post hæc, vocato filio suo, quamquam parvulo, præcepit, sub interminatione maledictionis suæ, ne unquam immutaret dona vel auferret,[5] quæ ipse moriturus suis famulis tribuisset.

A.D. 1376.

He bestows gifts on all his servants.

The king takes prince Richard under his special protection. f. 138.

Accidit vero eadem hora [qua hæc omnia ordinaverat, et a cunctis dissolutio sui corporis exspectaretur ut adveniret,][6] ad[7] eum videndum supramemoratus dominus Ricardus Styri.[8] Præceperat namque dominus princeps, ut nulli ostium suæ cameræ clauderetur, nec quidem minimo garcioni. Unde idem Ricardus fiducialius subintravit. Princeps vero in agonia mortis positus, elevatis ut valebat oculis et videns eundem Ricardum, ait, "Veni, Ricarde, veni; accede pro-"pius, visurus quod diu cernere concupisti." Cumque ille cum juramento assereret se nunquam desiderasse visum mortis [ejus],[6] "Aliter est," inquit, "timuisti "pelli tuæ, conscientia tua tibi suggerente, me quando-

Sir Richard Stury's interview with the prince.

[1] *omnia*] nomina, H.
[2] *in*] de, O.
[3] *et*] atque, O.
[4] *repromisit*] promisit, O.
[5] *auferret*] auferrit, H.
[6] Supplied from O.
[7] *post* between *hora* and *ad*, H.
[8] Stury, O.

A.D. 1376.

" que puniturum excessus tuos et malum consilium, " quod regi suggerere non omittis. Et utique ita " accidisset, si vita mihi data fuisset,[1] reperissesque " illud proverbium fuisse verum, quia malum con- " silium pessimum consultori.[2] Sed transeo quo Deus " vocat, quem exoro suppliciter ut tuis maleficiis, si " manus hominum desint, Ipse finem imponat." Cumque ille fleret et veniam precaretur ab illo, "Deus," ait, "justus secundum tua merita tibi reddat. Nolo " quod amplius me conturbes. Recede a conspectu " meo, faciem meam amplius non visurus."

The prince in his last moments is attended by the bishop of Bangor.

Post egressum ejus cœpit vehementer deficere, viribusque[3] destitui, ut vix in eo halitus remaneret. Quod cernens episcopus Bangorensis, qui tum[4] ibi aderat, accessit ad eum dicens, "Domine," ait, "cernitis " jam quod mors instat indubitata, et transiturus estis " quo Deus disposuerit. Iccirco consulo ut his,[5] qui " vos offenderint, omnem rancorem remittatis. Et " quia manifestum est vos offendisse Deum et plures " mortales, in primis a Deo petatis veniam, et se- " cundarie ab omnibus quos scienter sive[6] ignoranter " voluntarie offendistis." Cui ille, "Bene," inquit, " volo." Et episcopus, "Non," ait, "sufficit dicere " tantum, 'Volo;' sed cum habeatis potestatem id " verbis exprimendi, expresse debetis veniam postu- " lare." Sed ille nihil aliud respondit, nisi solum, " Volo." Cumque hoc multotiens fieret, episcopus dixit, " Æstimo aliquos malignos spiritus esse præsentes, qui " ejus linguam impediunt, quo minus valet verbis " suam exprimere voluntatem." Et arrepto aspersorio sparsit aquam benedictam per quatuor angulos[7] domus, in qua jacebat. Et ecce! subito princeps, junctis

[1] *fuisset*] fuissent, H.
[2] Cf. Varro, De Re Rust., iii. 2.
[3] *viribusque*] viribus itaque, O.; viribusque ita, Add. MS. 12,118.
[4] *tum*] om. O.
[5] *his*] om. O.
[6] *sive*] vel, O.; voluntarie, om. O.
[7] *angulos*] angelos, H.

manibus et erectis in cœlum oculis, "Deus,[1] gratias," inquit, "Tibi ago de cunctis beneficiis Tuis. Tuam "pietatem omnibus votis expostulo, ut mihi concedas "veniam delictorum eorum,[2] quæ contra Te nequiter "perpetravi. Sed et a cunctis mortalibus, quos scienter "sive ignoranter offendi, remissionis gratiam toto corde "posco." Cum hæc dixisset, in plena fide catholica spiritum exhalavit, transiturus, ut credimus, ad Ejus convivium, cujus festum tantum venerabatur in terris. Quo obeunte omnis[3] obiit spes Anglorum; quoniam, eo vivente, nullius hostis incursum, eo præsente, nullius belli congressum timuerunt. Nunquam, eo præsente, passi sunt probra male gestæ sive desertæ militiæ; et, ut dicitur de magno Alexandro, nullam gentem adiit quam non vicit, nullam civitatem obsedit quam non cepit. Testantur quæ dico bellum de Cressy, obsidio Calesiæ, bellum Pictaviæ, ubi rex Franciæ fuit captus; bellum Hispaniæ, ubi illius regni invasor Henricus Bastardus fuit fugatus et dompnus Petro,[4] justus rex regni, suo dominio restitutus; et novissime obsidio illa maxima civitatis Lemovicensium[5] et ruina urbis ejusdem, ubi quamquam tanta valitudine premeretur, ut vix equo insidere valeret[6] ad horam, suos tamen homines adeo animavit, ut impossibile reputarent civitatem aliquam eorum resistere posse virtuti. Corpus Cantuariam est delatum, ut ibidem, sicut vivens mandaverat, tumularetur, deflendus[7] toti regno Angliæ. O mors immatura nimis, quæ tollis quicquid Anglorum esse subsidii videretur! O quam mœstum reddis vetulum regem patrem, auferens ab eo non solum ejus desiderium sed totius populi, ut scilicet ejus primogenitus sederet post eum super ejus solium et judicaret populum in æqui-

A.D. 1376. His last words.

Lament for his death.

He is buried at Canterbury.

[1] *Deus*] Deo, O.
[2] *eorum*] meorum, O.
[3] *omnis*] omnino, O.
[4] Petrus, O.
[5] Leovicensium, H.
[6] *valeret*] posset, O.
[7] *deflendus*] defluendus, H.; O. obitus deflendus, O.

A.D. 1376. tate! O quantos[1] et quales das luctus patriæ, quæ se ejus absentia protectore nudatam credit! Quas das lacrimas civibus privatis tanto principe, exultationes hostibus, defensoris tanti remoto timore! Certe, nisi Deus, qui eum inter bella juvit[2] et jam eum de mundo tulit, ut forsitan majorem spem[3] in Domino Deo Anglici poneremus, ne miseri Angligenæ collidantur, supponat manum suam, credendum est quod inimici nostri, quibus undique circumvallamur, usque ad interitum in nos desævient et tollent nostrum locum et gentem. Exsurge, Domine, adjuva nos, et protege nos propter nomen Tuum!

Quid dux egit, principe mortuo.[4]

The commons discouraged by the prince's death.

Mortuo, ut diximus, domino Edwardo principe, cum adhuc parliamentum duraret, crevit desperatio militibus de comitatibus, tumor et superbia [duci et][5] malefactoribus. Interim[6] dux concionem[7] intrans militum, constanter petiit ab eisdem,[8] ut, adhuc durante parliamento, in quo regni negotia tractabantur, ipsi milites et domini atque barones eis associati deliberarent, quis regnum Angliæ, post mortem regis et filii principis, hereditare deberet. Petiit insuper ut exemplo Francorum legem statuerent, ne femina fieret heres regni; consideravit enim senectutem regis, cujus mors erat in januis,[9] [et][5] juventutem filii principis, quem, ut dicebatur, impotionare cogitabat, si aliter ad regnum pervenire non posset; quoniam hi duo si de medio tollerentur, et hujusmodi lex in communi parliamento sanciretur, ipse futurus esset proximus heres regni. Nam nullus masculus supererat proximior eo regno.

The duke of Lancaster proposes to settle the succession in case of prince Richard's death.

He seeks to set aside female claims.

[1] *quantos*] quantas, H. O.
[2] *juvit*] muniit, O.; imunit, H.
[3] *spem*] O.; ipse, H.
[4] Ut dux scire cupiebat quis foret rex futurus. Title in O.
[5] Supplied from O.
[6] *Interim*] Quare idem, O.
[7] *concionem*] perconcionem, H.
[8] *eisdem*] eis, O.
[9] *januis*] annis, O.

A.D. 1376. f. 138 b.

The claims of the earl of March, in right of his wife, cause him to be feared by the duke.

Hæc eo tempore in ore omnium volvebantur.[1] Quippe dominus Edmundus Mortimer,[2] comes Marchiæ, duxerat filiam domini Lionelli,[3] fratris sui, qui erat senior eo; ad quem, ratione uxoris suæ, spectabat jus regni hereditarium, si unicus filius principis sine herede discederet. Quem maxime dux metuebat, sciens eum virum bonum et justum; et iccirco omni nisu[4] elaboravit ne ad eum regni hereditas volveretur. Inito ergo concilio, responsum est ei, supervacuum esse circa talia laborare, cum alia graviora adhuc in manibus haberentur, quæ tractatu ampliori indigebant, "et præcipue," aiunt,[5] "cum dominus noster rex, sanus adhuc et in-
"columis præter senectutem, diutius possit vivere quam
"nos omnes. Et dato quod [dominus][6] rex discederet,
"adhuc nos non caremus herede, vivente filio domini
"nostri principis jam decenni. Quibus viventibus,
"non est opus nobis circa hujusmodi negotia laborare."
His auditis siluit dux confusus.

The commons decline to discuss the question of succession.

[*Deposita contra Adam Bury, civem Londoniensem; et de fuga ejus.*][6]

The commons complain of the freedom allowed to lord Latimer and Richard Lyons.

Postquam hujusmodi responso[7] [ducis ingluvies potius irritata quam satiata fuisset],[8] præceptum est militibus ut,[9] si aliqua adhuc corrigenda censerent,[10] dicerent more solito coram duce. Qui responderunt, oportere ea primo debite exsecutioni mandari, quæ deposuerant coram eo. Viderunt namque dominum de Latimer[11] nimia perfrui libertate, et Ricardum Liounes[12] non more incarcerati in Turri degere, sed ad modum regis luxuriosa convivia celebrare. Et non solum hæc secum in secretis agere, sed palam, convocatis compli-

[1] This sentence omitted, O.
[2] Mortymer, O.
[3] Leonelli, O.
[4] *nisu*] visu, O.
[5] *aiunt*] omitted in O.
[6] Supplied from O.
[7] *responso*] responsum, with a blank space following, H.
[8] Supplied from O.
[9] *ut*] O.; pt, H.
[10] *censerent*] O.; concesserent, H.
[11] Latymer, O.
[12] Lyons, O.

A.D. 1376. cibus suis, cum omni strepitu tubarum et ceterorum musicorum instrumentorum, tam[1] eorum accusationes omnino parvipendens. Igitur correptus [est][2] idem Ricardus a duce, sed non correctus,[3] quia pro forma solum musicus strepitus est ablatus ab eo, solitis conviviorum et luxuriæ apparatibus sibi relictis. Milites vero et vulgus commune videntes talia doluerunt.

Charge brought against Adam de Bury of dishonesty as to the money paid for the French king's ransom.

Sed milites, ne nihil interim viderentur egisse, deposuerunt contra Adam de Bury, civem Londoniensem, quod minus fidele obsequium præstitisset regi in examinatione auri, pro redemptione regis Franciæ persoluti. Dictus Adam vero confestim, ut audivit talia deposita contra eum, sibi male conscius fugam inire temptavit. Fugit ergo ut impius, nemine persequente, in Flandriam, ibidem moram facturus, donec sibi aura serenior arrideret. Noverat enim nebulas iræ regiæ sine [ducis][2] auro non[4] posse fugari. Et iccirco auri nitorem tantis nebulis opponere attemptavit;[5] sensitque postea verum esse, quod gaudet "donis Jupiter ipse "datis."[6]

He escapes into Flanders.

Charta concessa ȝernemuthensibus revocatur.[7]

Complaint against the privileges granted to the people of Yarmouth in the sale of herrings.

Considerantes etiam [ipsi][2] milites excessus civium de Gernemuta, et incommoda quæ regno parturissent, deposuerunt contra eos, quod, in dampnum commune totius populi,[8] chartam impetrassent a rege, [ne][9] ullus alienigena allec venderet in eorum villa; sed, si quis illuc more solito allec advexisset, venditionem ad[10] pretium villanis committeret, et ipsi incolis pretia statuerent juxta eorum arbitrium voluntatis. Unde accidit quod multi mercatores alienigenæ de terra ista se subtrax-

Foreign merchants driven from the market.

---

[1] *tam*] tamquam, O.
[2] Supplied from O.
[3] *correctus*] correctis, H.
[4] *non*] omitted in O.
[5] *attemptavit*] temptavit, O.
[6] Cf. Ovid, Ars Am. iii. 654, "Pacatur donis," etc.
[7] Cives de ȝernemowthe perdunt cartam suam. Title in O.
[8] *populi*] vulgi, O.
[9] Supplied from O.; inserted in a late hand in H.
[10] *ad*] O.; et, H.

erunt, in aliis terris vendituri sua mercimonia; et ipsi Gernemutenses tantam causaverunt karistiam in ultima Quadragesima, ut duo allecia pro denario venderentur. Postulatum est igitur a[1] militibus, vice plebis, ut charta hujusmodi tolleretur, quæ in dampnum publicum resultabat. Dux autem, [quia minus favit populo quam pecuniæ,][2] diu renuit annuere postulatis. Victus est tamen postremo rationis verecundia, et ideo, ne omnino nullam videretur implesse justitiam, fecit ut illa charta absurdissima tolleretur. A.D. 1376. High price of herrings in Lent. The privilege cancelled.

Alicia Perris accusatur.[3]

Erat in Anglia eadem tempestate quædam mulier impudica, meretrix procacissima, appellata Alicia cognomento Perrys,[4] genere infima, quippe quæ tectoris cujusdam de villa de Henneye fuerat filia, sed illata[5] fortuna, neque formosa neque pulchra, sed quæ sciret hos defectus supplere blanda lingua. Quam cæca fortuna ad tantum fastigium elevavit, ut eam de ancilla et pellice cujusdam insani,[6] et quæ solebat, ad usum domus ejusdem[7] necessarium, aquam a conductu propriis suis humeris comportare, ad familiaritatem regis plus quam debitam promoveret; et adhuc vivente[8] regina, eidem ab[9] eodem rege in amore præferret. Hæc postquam in familiaritatem[10] regis incidit, adeo eum infatuavit, ut permitteret ardua[11] et maxima regni negotia ejus consilio definiri. Quæ postquam semel regi cœpisset illudere, et percepisset eundem mente captum, cœpit omnia injuste exercere, causas falsas manutenere, ubique Account of Alice Perrers. Her great influence with the king.

[1] *a*] de, O.
[2] Supplied from O.
[3] Facta Aliciæ Pereres. Title in O.
[4] Pereres, O.
[5] *illata*] elata, O.
[6] Lumbardi, O.
[7] *ejusdem*] cujusdam, H.
[8] *vivente* appears to be the reading of O.; but the word is almost effaced. H. has *vindicte*.
[9] *ab*] O.; ad, H.
[10] *familiaritatem*] amorem, O.
[11] *ardua*] O.; arma, H.

A.D. 1376. possessiones illicite ad suos usus acquirere, et, si alicubi sibi resistentia parabatur, regem adire, cujus mox sive juste sive injuste adjuta patrocinio est voti compos effecta.[1] Hanc jam toleraverant Anglici[2] multis annis, eo quod regem præcordialiter diligerent et eum offendere præcaverent. Etenim inest eis erga regem suum, plus quam aliis nationibus, naturalis affectio, et quem semel admiserint ad regale fastigium[3] semper, licet [læsi][4] graviter, venerantur. Igitur, quia sciverunt prædictam meretriculam a rege ultra justum dilectam et honestum, ut diximus, tolerarunt, donec regis famam pene inter omnes gentes denigrasset,[5] potissimos et ex Anglicis quosdam injuriose exheredasset, et fere totum regnum Angliæ suæ procacitatis dedecore maculasset. Ad tantum enim ejus excrevit in verecundia procacitas, et Anglorum hæc[6] patientia abundavit atque humilitas, ut illa apud Westmonasterium solium judicum ascendere non erubesceret; et ibidem, sive pro se, sive pro suis, vel pro rege, tamquam promotrix ejus negotiorum, verba facere, et sententias definitivas pro causis suis ibidem publice a judicibus petere non timeret. Qui nimirum judices, ducti timore regio, sive, quod verius est, metu meretricio, aliter quam ipsa definierat judicare multotiens non audebant. Hæc et alia multa pene incredibilia cum populus Anglicanus diutissime, non sine conscientiæ scrupulo et manifesto dedecore, tolerasset, elegerunt offendere regem quam Deum suum. Quem satis noverant dure accepturum quicquid contra eandem Aliciam deponerent sive statuerent, quamquam non ad dampnum, sed ad commodum regium cederet, quod contra eam statuere nitebantur.

The loyalty of the English makes them slow to interfere.

f. 139.

Alice Perrers meddles in law cases.

Supradicti igitur milites comitatuum, ex parte communitatis, per os domini Petri de la Mare, petierunt

The commons at length pray for her removal.

[1] *effecta*] affecta, O.
[2] Anglia, H. and O.
[3] *fastigium*] O.; fastidium, H.
[4] Supplied from O.
[5] *denigrasset*] demergisse, H.; obliterated in O.
[6] *hæc*] omitted in O.

ut dux et sui conjudices apponerent correctionis[1] remedium tantis ejus excessibus, et ut, tam pro honore regis quam commodo, eam ab eo facerent sequestrari; quoniam ejus honorem, tam in hac terra, quam in cunctis adjacentibus regnis, diminuerat. Et non solum suis illecebris ceperat circumventum, sed in illicitum ejus amorem, ut dicitur, magicis artibus tantum illexerat, ut senile ejus corpus, humore naturali per causas venereas desiccato, redderet cunctis viribus enervatum; et ita sibi parturierat dampnum duplex, nam reddidit eum opprobrium omnium gentium vicinarum, et omnibus pene viribus destitutum. A.D. 1376. She is said to have maintained her influence over the king by the aid of magic.

Per idem [etiam][2] tempus diligenti communitatis inquisitione compertum est eam affidatam fuisse domino Willelmo de Windeshore,[3] qui tunc in Hibernia morabatur. Unde idem communitas nitebatur eam pellere in Hiberniam, si fortuna permitteret, ne regiam simplicitatem ulterius astu meretricio circumveniret; sed primo regi notificare curarunt, qualiter compererunt eam esse alterius viri sponsam, et quomodo ipse in adulterio longo tempore degisset. Quibus auditis [rex vehementer expavit, jurans per Dominam suam Sanctam Mariam, (hoc enim erat juramentum suum,) quod nescivit eam esse desponsatam, et, si scivisset eam habuisse maritum, nequaquam ejus incesta communione usus fuisset.][4] Tamen significavit parliamento se nullatenus velle eam[5] morti pro suis sceleribus subjacere; sed quod[6] mitius cum ea agerent, ob amorem regium pariter et honorem. She is found to have been married to Sir William de Windsor. Edward declares his ignorance of this fact; but interferes to protect her against an extreme sentence.

[1] *correctionis*] O.; te rixionis, H.
[2] Supplied from O.; a blank in H.
[3] Wyndesore, O.
[4] Supplied from O. "Quibus "auditis, etc.," H.
[5] *eam*] O.; causam, H.
[6] *quod*] omitted in O.

A.D. 1376. *De mago Aliciæ Perrees capto et incarcerato.*[1]

A magician said to be in league with Alice Perrers.

Dum talia agerentur, nunciatum est in parliamento dictam Aliciam secum a multis temporibus quendam fratrem de ordine Prædicantium detinuisse, qui speciem prætulit physici et artem profitebatur eandem; sed erat magus iniquissimus,[2] maleficiis deditus, cujus experimentis eadem Alicia dominum regem allexerat in suum illicitum amorem, vel, quod est verius, in furorem. Nam juvenis luxuriosus peccat, senex vero luxuriosus insanit. Dicebatur insuper[3] eundem fratrem cereas fecisse effigies, regis videlicet et ejusdem Aliciæ, quibus, per herbarum potentium succos et incantamina sua loquens,[4] ut quondam fecit ille magus famosissimus, rex Egipti Nectanabus, effecit ut dicta Alicia potuit a rege quicquid voluit obtinere. Anulos etiam, ut quondam Moyses fecerat, oblivionis et memoriæ, et ita iste frater imaginaverat, quibus rex quamdiu uteretur prædictæ meretricis recordatione nunquam careret. Mandavit ergo dux ut frater ille adduceretur, si uspiam posset reperiri. Igitur duo ex militibus de provinciis, dominus videlicet Johannes de la Mare et dominus Johannes Kentwod, mutato habitu, perrexerunt ad locum ubi dictus frater morabatur, in prædio ejusdem Aliciæ, dicto Palange Wyk, fingentes se illuc venisse opis petendæ gratia, quærentes[que][5] ubi foret talis qui novit infirmitates curare. Frater vero ille stans in solario, cum vidisset homines ferentes in manibus urinalia, ratus[6] se lucraturum grandem pecuniam, mox fatetur se esse medicum[7] quem quærebant. Illi autem promiserunt se sibi satisfacturos, si descendere dignaretur, et eis aliquid remedium providere. Qui mox ut

His magical arts described.

Account of his capture by stratagem.

[1] Magister Aliciæ Pereres capitur et parliamento presentatur. Title in O.

[2] *sed . . . iniquissimus*] sed magis erat nequissimus, O.

[3] *insuper*] enim, O.

[4] *loquens*] et loquens, H.

[5] Supplied from O.

[6] *ratus*] ratus est, O.

[7] *medicum*] modicum, H.

descendit, peste captus avaritiæ, captus est ab eisdem. A.D. 1376.
Cum[que][1] irremediabiliter doleret se captum, dixit quædam ancilla, "Quid est, frater ,[2] quod tantum "doletis? Numquid habetis causam timendi? Numquid "non potuistis ista providere, qui aliis futura prædicere[3] "solebatis?" Cui ille, "Providi[4] ista utique, sed quando "contingerent ignoravi. Nam parliamentum præscivi, "et prædixi futurum, in quo contingeret tam me quam "dominam adversa ab æmulis multa pati." Adductus est [ergo][1] ad præsentiam ducis et magnatum, ubi diem per ambigua responsa inaniter protelavit. Tandem archiepiscopus Cantuariensis, qui erat conservator ordinis fratrum Prædicatorum, vix obtinuit a duce et magnatibus ut fratribus sui ordinis commendaretur, nonnullis reclamantibus et decernentibus ut ignibus cremaretur. Sicque, interventu archipræsulis, fratres sui eum susceperunt in arta custodia conservandum. Alicia vero prædicta, quæ semper antea et ubique frontem prætulerat meretricis, audita captione fratris supradicti, cœpit timere vehementissime; et concidit vultus ejus.

The archbishop of Canterbury has him committed to the care of his order.

Alicia Perres juravit se non accessuram ad regem ulterius.

Interea dux [ut creditur, plus pendens patris infamiam, qua dicebatur adulter, quam suam propriam, quamvis et ipse luxuriosus exsisteret, tamen ut videretur hoc vitium detestari,][1] vocari fecit eandem Aliciam, et super illicitis acquisitis et aliis ejus defectibus coram proceribus convenire. Cumque multis objectionibus respondere nequiret, et ob hoc rea multorum judicio clamaretur, [dimiserunt][1] tamen eam hoc pacto, ut de

Alice Perrers is banished from court.

[1] Supplied from O.
[2] A blank space both in H. and O.
[3] *prædicere*] predictore, H.
[4] *Providi*] O.; Providere, H.

A.D. 1376. cetero non præsumeret [domino][1] regi appropinquare; adjicientes pœnam, si contrarium facere attemptaret, scilicet quod amitteret omnia quæ in Anglia possidebat, et ipsa perpetuum exsilium subire cogeretur. Ad majorem quoque securitatem habendam, fecerunt eam jurare super crucem Cantuariensis archiepiscopi, se bona fide[2] servaturam pactum prælocutum; eundemque archiepiscopum cum suis suffraganeis deprecati sunt, ut eam anathematis vinculo innodarent, si ipsa in futurum faceret aliter quam jurasset. Archiepiscopus vero[3] et omnes, qui aderant ibidem, episcopi præstito juramento affirmarunt, se perjurium ejusdem Aliciæ anathemate vindicaturos, si eam contingeret illud incurrere quovismodo.

She swears to observe the conditions of her banishment. f. 139 b.

Ordinantur domini qui assistant regi, sine quorum consilio non liceret regi quicquam grande facere.

The commons propose the nomination of twelve peers as a council to advise the king.

His ita se habentibus, cum jam finis parliamenti instaret, milites, considerata domini regis imbecillitate, et quorundam suorum familiarium libera facultate, quam habuerant, ad appropriandum regnum istud, ne prætextu regiæ voluntatis eis licerent quæ perante libuerant, petierunt, vice plebis, ut duodecim domini, pares regni, fideles et discreti et cupiditate vacui, regni et regiis consiliis continue assiderent; ut saltem sex semper ex eis, pro minoribus negotiis, vicissim cum eodem rege manerent; et, quotiens aliqua ardua tractanda forent, omnes duodecim tenerentur adesse. Movebat namque eos quorundam cupiditas Anglicorum,[4] quibus dominus rex nimiam facultatem tribuerat ad expediendа regni negotia, qui sequentes retributiones et munera post avaritiam declinarunt; et apud quos etiam erant omnia venalia, videlicet fides et justitia quam regi et

[1] Supplied from O.
[2] *fide*] fides, H.
[3] *vero*] autem, O.
[4] *Anglicorum*] amicorum, O.

populo debuerunt. Unde maximus murmur populi est exortus, quoniam omnem carentem pecunia fecerunt recta carere justitia; et qui eisdem nihil obtulit, vacuus et ignobilis ad propria remeavit. Hac ergo de causa milites petierunt dominos numero supradicto. A.D. 1376.

Dux vero eorum petitionem justam judicans [oretenus, quamquam aliud in corde secreto revolveret,][1] adjudicavit petitionem eorum fieri, præcipiens ut iidem domini eligerentur a plebe. Electi sunt ergo[2] The duke of Lancaster supports the proposal. The council is elected.

Et statutum est in parliamento eodem, ut si aliquis dictorum dominorum deprehensus fuisset munera suscepisse, vel regi sive communitati minus fidele obsequium præstitisse, quod ex tunc idem amoveretur ab administratione hujuscemodi, et omni tempore haberetur infamis, persoluturus regi quintuplum quod acceperat, et corpus ejus subjiceretur regiæ voluntati. Et ut hæc omnia firmitatem perpetuam obtinerent, missi sunt [3] ex militibus parliamenti ad regem, qui ejus impetrarent assensum et confirmationem omnium statutorum in parliamento prædicto; et quod idem parliamentum, more parliamenti, ratificaretur, et hoc nomine censeretur.[4] Quæ universa dominus rex rata et grata se habiturum[5] promisit. Et hic finis parliamenti præscripti. The king's assent to the statutes of this parliament required, and granted.

Florentini venientes in Angliam deceperunt regem.[6]

Circa istud tempus venerunt in Angliam Florentini, Longobardi videlicet de civitate Florencia, quæ una est de Italiæ civitatibus et est juris domini nostri papæ, ferentes secum literas ad dominum nostrum regem, in The Florentines obtain Edward's protection against the pope.

[1] Supplied from O.

[2] A blank space is left in both H. and O. for insertion of names.

[3] Blank in H.

[4] *censeretur*] O.; conservetur, H.

[5] *habiturum*] O.; habebit usum, H.

[6] Florentini veniunt in Angliam et regi se submittunt. Title in O.

A.D. 1376. excusationem civium Florentinorum, eo quod contra papam viderentur non insurrexisse, sed libertatem propriam conservasse viribus; declarantes se injuste fuisse vexatos per papam, et multis molestationibus impetitos. Quare dominum regem deprecati sunt, ut ipse interponeret partes suas in favorem eorum, si quo modo valeret, et ut liceret eis moram trahere in hac terra, donec eis serenior aura papalis gratiæ arrideret. Dominus autem rex, ut erat hominum piissimus, simpliciter intelligens quæ petebant, et dans fidem dictis eorum, concessit eis licentiam conversandi in terra ista, promittens se adjuturum,[1] ut nulla sententia contra eos publice promulgaretur, nisi prius iidem Florentini inducias sex mensium præhaberent. Et ita permissi sunt Londonias habitare.

Dux reconciliat regi abjudicatos in parliamento, censens illud non vocandum parliamentum.[2]

The duke obtains the recall of lord Latimer.

Dux vero Lancastriæ per idem tempus, [ut nulli veniret in dubium se in ultimo parliamento favisse regiis proditoribus,][3] simplicitatem regis circumveniens, egit cum eo, ut dominum de Latimer,[4] qui judicio parliamentali infamis judicatus exstiterat, in pristinam gratiam reciperet; et ei omnium, non solum[5] suorum scelerum sed debitorum, quibus domino regi obligatus fuerat, remissionem et veniam indulgeret. Creditum est enim ducem ob hanc causam ab eo infinitam summam pecuniæ suscepisse. Rex vero, qui jam, sit[6] ob nimiam senectutem, curam regni deposuerat et tradiderat omnia in manus ducis, permisit cuncta fieri quæ ipse volebat. Dominus autem de Latimer,[4] hoc modo adeptus regis

[1] *adjuturum*] id acturum, O.

[2] Dux recipi facit dominum de Latymer in pristinam regis gratiam. Title in O.

[3] Supplied from O. H. has *ut dice*, followed by a blank space.

[4] Latymer, O.

[5] *solum*] solum extiti, H.

[6] *sit*] om. O.

gratiam, in brevi, ob levitatem mentis regiæ, ipsi regi carior est effectus quam fuerat, antequam iram regiam incurrisset. Nam dominus rex eum exsecutorem constituit inter alios bonorum suorum, et, contra statutum parliamentale, suis consiliis accersivit. Dux enim, postquam reacquisivisset regiis tractatibus[1] dominum de Latimer,[2] animatus per eum, eo quod divitiis abundabat, ac etiam quia nullum in regno cerneret, qui se ejus auderet opponere voluntati, sumpsit audaciam et erexit cornua, et dominos, qui deputati fuerant concilio regis[3] regnique tractatibus in parliamento præcedenti, dimovit a rege, præcipiens ut ad propria remearent; asserens regem eorum consiliis minime indigere. Post hæc, ut colorem suis factis apponeret, dixit non vocandum esse parliamentum ultimo celebratum, nec in rei veritate[4] parliamentum fuisse, et ideo nihil debere observari eorum quæ ibidem fuere statuta. Sicque unius libidine frustrata est spes communis; et commodum universitatis sibi soli cessit, dum solus delevit quod universitas statuit. Unde infinitas maledictiones super caput suum communis plebs congessit in mentis amaritudine magna nimis. [Formidandum quoque sibi est, eas quandoque inituras super caput ejus, nisi corrigat vias suas.][5]

A.D. 1376.

The king appoints lord Latimer one of his executors, and summons him to the council.

The duke dissolves the council established by the late parliament, which he declares to be no parliament. He annuls the statutes lately passed.

f. 140.

His consequent unpopularity.

Alicia Perres redit ad regem; et de lenitate episcoporum, et incarceratione Petri de la Mare.[6]

Rex autem, quem nimia diu oppresserant incommoda senectutis, cito post parliamentum prædictum sibimet incommodior est effectus. Decidit enim in languorem, non ut creditur ægritudinis senibus natura-

The king becomes very feeble.

---

[1] *tractatibus*] O.; tractabitur, H.

[2] *dominum de Latimer*] sibi similem, O.

[3] *regis*] regis et, H.

[4] *veritate*] O.; varietate, H.

[5] Supplied from O.

[6] Petrus de la Mare sine responso mittitur in carcerem. Title in O.

A.D. 1376. lis, sed qui plerumque juvenibus, ob inordinatum affectum Veneris, dicitur accidentalis. Sed illius morbi longe difficilior est curatio senis quam juvenis, propter diversas causas, senilis scilicet frigoris et juvenilis caloris. Unde dominus rex, quia jam consumpta erant pene in eo naturalis humor et nutritivus calor, debilitabatur multo amplius, et defecit virtus ejus. Revera affirmatum est a multis eum hanc ægritudinem incurrisse ob desiderium illius meretriculæ, A[liciæ] scilicet P[erres];[1] quia ab ejus præsentia fuerat separata. Quod expost verum fuisse patuit; quia eandem Aliciam, contra statutum prædictum et sacramentum, quod eadem in parliamento fecerat, ad familiaritatem pristinam revocavit. Ex quo factus est[2] murmur in populo, et prodiit regiæ personæ detestatio;[3] et eidem Aliciæ optata est totius vulgi maledictio, cum viderent nullum remedium maleficiis ejus apponi, [sed][4] cernerent impiam maleficam[5] super cedros Libani exaltari et plus solito elevari, cujus casum tam ardenter communis regni populus affectarat.[6] Archiepiscopus [vero][4] et ejus suffraganei, qui contra eam, si contra decretum parliamentale venire contingeret, sententiasse debuerant, facti sunt ut canes muti non valentes latrare. Quippe qui, ut verum dicam, non pastores sed depastores erant et mercenarii, et ideo lupi timore ovium desertores. Non de omnibus quidem loquor, quia forsitan reliquit sibi quosdam Dominus, qui non curvaverunt genua ante Baal, quorum virtus fortassis suo tempore denonstrabitur; sed de illis, qui cum suscepissent gladium Petri,[7] per quem hujusmodi morbos resecare valebant,

Alice Perrers returns to him.

The writer denounces the prelates who should have excommunicated her.

[1] Perers, O.

[2] *factus est*] facto ortus est, O.

[3] *detestatio*] O.; testatio, H.

[4] Supplied from O.

[5] *impiam maleficam*] O.; impia malefacta, H.

[6] *cujus . . affectarat*] cujus casum omnis regni populus ardenter affectabat, O.

[7] *Petri*] om. O.

ulcera peccatoris palpare potius quam pungere maluerunt. Sicque prælatorum negligentia recrudescunt cicatrices in ove erratica; et ad vomitum revertitur Alicia supradicta. A.D. 1376.

Factaque est cum suis complicibus adeo vicina regi, scilicet domino de Latimer[1] et Ricardo Styri,[2] ut ad nutum eorum rex negotia regni disponi permitteret, et illis sui ipsius regimen committeret disponendum. Qui, vicem suis accusatoribus reddere cupientes, non cessarunt donec, auctoritate regia [et ipsius][3] ducis, [qui semper eorum impietatibus exstitit favorabilis,][3] dominum Petrum de la Mare ad regiam curiam invitassent; quem sine responso, omni justitiæ obviantes, ad Notingham castellum miserunt, carcerali custodiæ mancipandum. Fueruntque qui dicerent ducem jussisse [illum][3] in proxima silva decollari; factumque ita fuisse,[4] nisi dominus de Percy ducem suis monitis impedisset. Itaque vir bonus et innocens illius meretriculæ et ipsi faventium consiliis iniquissimis, quia veritatem reticere noluit, multipliciter est gravatus. Cœpitque eadem malefica iterato, contra vota populi, obtinere cum favore regio dampnabile incrementum. O toti Angliæ dolendam regiam levitatem, cupidinem, et improbitatem! O regem ultimæ conditionis servum, non dominum, appellandum![5] Cum enim servitus sit obedientia fracti animi et abjecti et suo carentis arbitrio, quis neget omnes leves, omnes cupidos, omnes denique improbos esse servos? An ille censendus est liber, cui mulier imperat impudica, qui nihil imperanti negare potest, nihil audet recusare, ne delicias suas et Veneris castra contristet? Æstimo istum non solum servum, sed etiam nequissimum servum, cujuscumque dignitatis exstiterit, appellandum. Quomodo enim juste libero imperabit, qui non potest

Peter de la Mare is summoned to appear at court.

He is sent prisoner to Nottingham castle.

The duke said to have wished to take his life.

Lament over the king's infatuation.

[1] Latymer, O.
[2] Stury, O.
[3] Supplied from O.
[4] *fuisse*] fuisset, O.
[5] *appellandum*] vocandum, O.

A.D. 1376. suis cupiditatibus imperare. Refrenet primum libidines, spernat voluptates, coerceat avaritiam, et repellat ceteras animi sui labes; et tunc juste incipiat aliis imperare, cum ipsis improbissimis dominis dedecorari ac turpitudini parere desierit. Quibus dum obedierit non rex aut liber, sed servus, ut diximus, habendus erit. Et quia nusquam est istis[1] temporibus tuta fides, præsentem materiam resecamus.

Dux infert dampna episcopo Wintoniensi.[2]

The duke brings charges against the bishop of Winchester.

Dum [vero][3] isto modo circa regem res, ut scripsimus, se haberent, dux [intra se contentum serpentium virus evomuit, et levavit aculeos suæ malitiæ][4] contra episcopum Wintoniensem, dominum Willelmum Wikham,[5] quærens nodum in scirpo et occasionem dampnificandi eum viis omnibus et modis quibus potuit. Tandem, inter multa quæ [ut dicitur, false][3] deposuit contra ipsum, imposuit sibi quod falsus domino regi fuisset, tempore quo cancellarii officio fungebatur. Et quamquam idem episcopus satis probabiles testes et rationes pro se adducere paratus fuisset, ad pandendam suam innocentiam, nihilominus, assidente Willelmo Skipwit[6] [injusto][3] justiciario, absque responso eum condempnari fecit, et auctoritate regia auferri ab eo bona temporalia episcopatus sui. Et, ut qualem gratiam assequeretur populi, institit penes regem, ut eadem bona filio principis, domino Ricardo de Burdegalia, [comiti][3] Cestriæ, qui et nuper acceperat dono regis principatum patris sui et idem nomen, ad ejus auxilium donarentur. Præterea inhibuit eidem episcopo, vice regis, ne [per][3] viginti milliaria regiæ præ-

Disgrace of the bishop.

His confiscated goods assigned to prince Richard.

[1] *istis*] O.; hostis, H.

[2] Ut episcopus Wintoniensis a rege sequestratur, et temporalia suâ perdidit. Title in O.

[3] Supplied from O.

[4] Supplied from O. H. has only *dux egit contra.*

[5] Wykham, O.

[6] Skypwyth, O.

sentiæ appropinquare præsumeret. Isto quoque modo vindicatus [est][1] in episcopum supradictum. A.D. 1376.

Occasio vero totius mali fuit, ut fertur,[2] quod idem episcopus dixisset eum non fuisse filium regis aut reginæ; sed tempore quo regina prægnabat apud Gaeunt,[3] edidisse non filium sed filiam, quam et eadem oppressit; et metuens iram regiam, cujusdam Flandrensis feminæ filium, natum eodem tempore, sibi[4] supponi jussisset; et ita fovisse quem non peperit, videlicet hominem,[5] ducem Lancastriæ memoratum. Et hæc omnia reginam, cum in extremis ageret, eidem episcopo sub sigillo confessionis retulisse; orasseque obnixius, ut si aliquando contingeret ipsum vel affectare regnum, vel idem regnum devolvi ad ipsum quovismodo, ut idem episcopus palam faceret genus suum, ne hereditaret regnum Angliæ falsus heres. Alleged reason for the duke's malice. f. 140 b.

Quomodo comes Marchiæ declinavit astutiam ducis Lancastriæ.[6]

Inter hæc regis languor accessit, et cœpit a medicis desperari, quamvis omni nocte supradicta meretrix, una cum Isabella filia sua, cum eo cubaret. Dux vero, qui omnia jam negotia regni tractabat, [sub specie sollicitudinis, quam pro regno gerebat,][1] indixit comiti Marchiæ, Angliæ marescallo, ut iter arriperet transmarinum, asserens suo pertinere officio omnia ibidem regis castella perlustrare, diruta renovare, infirma firmare, et ea victualibus instaurare. Primo igitur præcepit sibi adire Calesiam; qua bene deposita, alia castella diligenter non procul cuncta circuiret. Comes vero, ut erat homo satis ingenii, consideravit tempus The duke of Lancaster designs to send the earl of March abroad on official duties.

---

[1] Supplied from O.
[2] *ut fertur*] om. O.
[3] Gaunt, O.
[4] *sibi*] O.; si, H.
[5] *hominem*] Johannem Gaunt, O.
[6] Comes Marchiæ reddidit virgam marescalciæ duci Lancastriæ. Title in O.

A.D. 1376. esse periculosissimum; libravit etiam contra eum ducis inveteratum odium, creditque[1] sibi propinatum mel nequaquam felle carere; revolvitque secum in animo, quomodo senescallum suum dominum Petrum de la Mare incarcerasset injuste, vel qualiter episcopum Wintoniensem etiam oppressisset, et quod talia in eum facere affectabat, si ei opportunitas præberetur. Timuitque pericula, quæ in mari ducis procuratione sibi provenire possent, et quæ ejusdem factione in ultramarinis partibus a falsis fratribus evenire. Et ideo maluit perdere virgam quam vitam; reddiditque virgam marescalliæ suæ, dicens se nolle pro modico magnis periculis implicare. Dux autem gaudens, eo quod aliquem posset honorem præstare domino Henrico Percy, illico tradidit ei virgam, et fecit eum Angliæ marescallum. Et hoc facto patuit eundem dominum Henricum Percy [diu][2] duci et ejus [nequam][3] consiliis adhæsisse. Unde tantum odium incurrit totius populi, quantum perante amorem fuerat assecutus. Fuitque sibi initium magni mali, quod cessisse sibi crediderat ad inæstimabile commodum et profectum; et unde sibi infinitam gloriam credidit accessuram, sensit evenisse ignominiam insperatam. Perdidit enim penes se, ut dicitur, conscientiam, et apud totius regni populum bonam famam.

The earl resigns his office of marshal;

which is conferred on lord Henry Percy.

Summonitio ad parliamentum futurum.[4]

Summons for a parliament.

Per idem tempus dux, [qui semper regnum Angliæ suppeditare studebat,][3] utens regia potestate, direxit brevia cunctis regni baronibus, ut, transacto Natali Dominico, proximo die Lunæ post quindenam Sancti Hillarii, eo studiosius curarent venire Londonias, ad parliamentum quod tunc futurum erat, quo ibidem

[1] *creditque*] creditur, H.; *creditque* appears to be the reading of O.

[2] Supplied from O.; placed wrongly in H. between *totius* and *populi*.

[3] Supplied from O.

[4] Brevia diriguntur pro parliamento futuro. Title in O.

erant de maximis regni negotiis tractaturi. Interim vero ipse cum domino Henrico Percy tractavit sollicite de his, quæ nomine regis a clero et communi populo petere intendebat; firmatoque super his consilio inter eos, discesserunt ad loca ubi erant dies natalicios celebraturi. A.D. 1376.

De vinorum copia et aquarum abundantia in Anglia post Natale.

Anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo septimo fuit rex ad Natale apud Havering-atte-Boure, ubi pro tunc gravi corporis incommodo laborabat. Princeps vero juvenis[1] A.D. 1376-7.

Quo anno tanta vinorum copia in Angliam est advecta, quanta a multis annis retroactis in his partibus minime visa fuit. A.D. 1377. Much wine brought to England.

Wals. i. 323. Circa idem vero tempus tanta excrevit aqua in partibus Northumbrorum de resolutione nivium, quæ petentes[2] terram in magna densitate operuerant, ut aqua de superciliis montium descendendo, mixta cum maximis frustis glaciei, domos colonorum[3] subverteret; bona quæ super terram acervaverant, sicuti carbones, lapides molares, ligna, vel segetes, auferret suo impetu. Et insuper descendens in mare, per vim et collisionem dictorum frustorum[4] glacialium, naves quasdam tam violenti collisione glaciei aut inutiles reddidit aut omnino demersit. Floods in Northumberland.

Papa mittit bullas declarantes Florentinos excommunicatos propter enormes injurias ecclesiæ irrogatas.

Circa istos dies misit dominus papa in Angliam bullas suas, mandans episcopo Londoniensi, ut exseque- The Florentines excommunicated.

[1] These words appear to be the beginning of a new sentence, left incomplete by the carelessness of the scribe. The translator in Archæol., vol. xxii. p. 247, has tried to make sense of the passage by reading *in venis* for *juvenis*, and connecting the words with the preceding sentence.

[2] A correction by a 15th century hand from *parentes*.

[3] *colonorum*] colonum, H.

[4] *dictorum frustorum*] dictarum frustrarum, H.

A.D. 1377. retur mandata sua, et easdem bullas in civitate Londoniarum faceret solemniter publicari. Contenta vero bullæ fuere, qualiter, ob injurias sibi illatas [et][1] ecclesiæ, et enormia plura scelera, Florentini fuerunt excommunicati, cum communicantibus et alumnis[2] ecclesiæ sequestrati. Interque ceteras multas causas excommunicationis eorundem, ostendit dominus papa, qualiter iidem Florentini, in despectum sacræ Romanæ ecclesiæ, quendam monachum, missum a domino papa ad partes eorum, nequiter et crudeliter occiderunt.

Account of their cruel murder of a papal envoy.

Nam, cum idem monachus ibidem voluisset exsequi injunctum sibi a domino papa mandatum ibidem, Florentini, injicientes manus in eum, non solum interfecerunt, sed morte turpissima necaverunt. Imponentes utique eum in rheda, quatuor ignes circum sedem vehiculi[3] accenderunt, in quolibet videlicet angulo unum ignem; et, fuscinulis ferreis dictis ignibus incandentibus, cum eisdem ejus carnes, qui nudus in medio ignium residebat, ab ossibus ejus per quatuor partes

f. 141. sui corporis discerpserunt. Nec contenti tantæ crudelitatis et immanitatis operibus, supradictum monachum tali modo per totam civitatem Florenciæ circumducentes, cum perventum fuisset ad locum ubi delatores patriæ sive fures mortis sententiam subire solent, eundem monachum nondum mortuum deponentes, foderunt in terram manus et pedes ejus; et sic quodammodo eum vivum mandaverunt exsecrabili sepulturæ.

Talibus vero multis causis dominus papa eos excommunicationis sententia fulminavit. Fautores vero eorum, cujuscumque gradus aut dignitatis exsisterent,[4] sic pari vinculo innodavit; supponens interdicto civitates et villas, in quibus, post sententiam in eos latam, scienter sive voluntarie, in injuriam sanctæ Romanæ

---

[1] *et*] om., H.
[2] *alumnis*] alumnibus, H.
[3] *circum . . vehiculi*] H. has *r⁹m sedem vehiculo*, for which the reading in the text is conjectured.
[4] *exsisterent*] existere, H.

ecclesiæ, fovebantur. Adjectum tamen erat in bulla, quod si iidem Florentini vellent devenire servi, quales nos nativos in his partibus appellamus, cum omnibus bonis et catallis suis mobilibus et immobilibus, dum tamen istam conditionem nullo modo ficte susciperent vel ad horam, quod extunc bene licuit dominis, qui eos in servitutem taliter susceperunt, eos ut nativos suos tractare, et in suis obsequiis quibuscumque tenere, pro suæ arbitrio voluntatis. Et insuper liceret eisdem Florentinis expost morari in eisdem regionibus, in quibus susceperint servitutis jugum, et dominis suis mores obsequi nativorum. Episcopus autem Londoniensis, non segniter implens injunctum sibi a domino papa mandatum, solemniter mandata papalia publicavit, et Florentinos excommunicatos fore publice denunciavit. Florentini igitur territi, audito tanto tonitruo, habita deliberatione in præsentes, quod fere papales[1] nuncii in omnibus terris, ecclesiæ Romanæ subjectis, eosdem cum mandatis similibus prævenissent, elegerunt de duobus malis, ut sibi videbatur, minus malum: servire videlicet, sub præmissa conditione, domino regi Angliæ, quam subdi[2] Romanorum arbitrio quovismodo.

A.D. 1377. They are granted leave to become bondmen of foreign princes.

The Florentines in England become villeins.

Parliamentum in quo nova petuntur.

Instabat per idem tempus [dies][3] parliamento præfixa; et barones cum nobilibus Angliæ sunt, ut eis mandatum fuit, Londoniis congregati. Advenerat etiam illuc dominus Ricardus de Burdegalia, princeps juvenis, cum magna nobilitate dominorum et militum; quem in adventu suo Londonienses donis variis et honoribus respexerunt. Dux vero dominum principem plus aliis visus est honorare. Collocavit ergo eum in regia sede honorifice, et posuit verba sua in ore ejus. Petiitque,

Parliament at London.

Prince Richard present.

The duke of Lancaster demands an extraordinary aid.

[1] *papales*] papalem, H.
[2] *subdi*] subidi, H.
[3] *dies*] om. H.

LONDON PUBLIC LIBRARY CENTRAL

A.D. 1377. ut didicerat, disjunctive dari regi duas decimas uno anno; vel de omni mercimonio vendendo per annum in regno Angliæ, quod se extenderet ad viginti solidos, unum solidum; vel de omni domo, in quo per annum ignis accenditur, unam grossam; vel de omni feodo militari in regno Angliæ unam libram argenti. Et mox subjunxit dux quod unum horum oportuit omnino fieri, eo quod jam inimici definierant werram movere et invadere istud regnum; et ideo melius fore voluntarie dare pauca, quam per adversarios amittere universa.

The commons ask leave to deliberate.

Milites vero de comitatibus, quos dux pro arbitrio surrogaverat, (nam omnes, qui in ultimo parliamento viriliter pro communitate steterant, procuravit pro viribus amoveri; ita quod non fuerunt ex illis in hoc parliamento præter duodecim, quos dux amovere non potuit, eo quod comitatus, de quibus electi fuerant, alios eligere noluerunt,) petierunt inducias, ut super his eis cum deliberatione respondere valerent. Igitur præfixus est eis dies. Erant autem, ut dixi, omnes fere per ducem surrogati; unde pauci de fidelioribus, qui remanserant, tantæ multitudini non poterant prævalere.

Sir T. Hungerford elected speaker.

Electus est igitur a majori parte, ad pronunciandum verba communia, dominus Thomas Hungerfordh, miles duci familiarissimus, utpote senescallus ejus; qui nil aliud voluit quod pronunciaret admittere, quam quod scivit oculis sui domini complacere.

The remaining members of the Good Parliament seek the liberation of Peter de la Mare.

Pauci autem, qui, ut dixi, remanserant, cum magna instantia extorquere nitebantur a sociis, unanimiter domini Petri de la Mare deliberationem peterent; quia idem Petrus paratus erat respondere ad omnia objecta contra eum, in præsentia dominorum, qui ad parliamentum convenerant; et insuper, si reperiri valeret in culpa, subire judicium ibidem exsistentium judicum et magnatorum. Sed nihil prævalebat instantia inclitorum[1]

[1] *inclitorum*] inclitum, H.

propter eum; nam cum quidam eorum instaret ceteris animosius, præmunitus est ut cessaret, amissurus alias vitam suam. Quibus novis tam ipse quam socii sui nimirum præterriti, præposuerunt vitæ dulcedinem amaritudini mortis suæ, et propria negotia necessitudinibus alienis. A.D. 1377. They are silenced by threats.

Callida cautela ducis.

Dux autem, ut præmisimus, cum præfixisset militibus comitatuum responsionis suæ diem, timens ne animositate eorum, qui in ultimo parliamento utiliter steterant pro communi plebe, et jam cum eis erant de instantibus negotiis communiter tractaturi, etiam ipsi quos ipse surrogaverat impedimentum paterentur, quominus ad effectum perduci valerent, quæ mente conceperat, callido usus consilio, assignavit eisdem militibus tamquam auxiliares dominos,[1] quorum suffragiis fulcirentur, sicut in priori parliamento milites sunt suffulti: quatuor scilicet episcopos, et quatuor comites, totidemque barones. Qui omnes erant ei vel obnoxii beneficiis, vel pro familiaribus causis ejus auxilium exspectabant, ut fertur. Hæc iccirco fecerat non ad solatium militum, sed ad totius communitatis incommodum; ut videlicet milites et commune vulgus mole eorum magnitudinis premerentur, et ad persistendum pertinacius terrerentur; quos omnes scivit nihil aliud permittere[2] velle eosdem milites definire, quam ipse dux optabat. The duke associates with the commons certain peers, his creatures.

Clerus instat pro revocatione episcopi Wintoniensis.

Dum hæc agerentur, petitum est etiam domino regi a regni clero subsidium, et injunctum est ne nimia dilatione parliamentum protraherent et regni commo- f. 141 b. An aid demanded of the clergy.

[1] The mark of contraction has been omitted, so that for *dominos* the translator in Archæol. has read *duos*.

[2] *permittere*] promittere, H.

A.D. 1377. They remonstrate against the disgrace of the bishop of Winchester.

dum impedirent. Igitur episcopi, tractatu super istis habito, in primis communem querelam deposuerunt coram archiepiscopo Cantuariæ, tamquam coram omnium communi patre, de injuria illata eorum confratri et coepiscopo, domino Willelmo Wicham, episcopo videlicet Wintoniensi; et quomodo non solum sibimet in ipso, sed omnibus illis est et toti libertati ecclesiæ derogatum. Unde constanter asseruerunt se de instantibus negotiis nullatenus[1] effectualiter tractaturos, donec coadjuvarentur singula cleri membra. Affirmarunt revera instans negotium eum cum illis communiter tangere, et quod omnes tangeret debere ab omnibus approbari. Commiserati sunt enim casum ejus et illatas sibi injurias; et commoti sunt contra archiepiscopum, ut audebant, eo quod ipse esse partium ducis maximus videbatur. Videbant enim quanta permisit eum a duce severitate tractari, et quod non solum pro se sed contra eum potius verba facere nitebatur. Insistebant igitur pertinaciter pro revocatione ejus. Et quamquam archiepiscopus diceret eundem episcopum[2] a rege prohibitum, ne ejus præsentiæ ullo modo appropinquare præsumeret, et ob hanc causam se excusare contenderet, ne compelleretur literaliter mittere pro eodem, propter pericula quæ possent emergere tali facto; tamen eorum improbitate compulsus, et laudabili persuasu Londoniensis episcopi, misit ad eum, mandans ut veniret ad cleri convocationem, Londoniis congregatam. Qui, nullas moras nectens, venit Londonias cum exili numero famulorum; qui perante omnes alios in obsecundantium populositate præcellere videbatur. Exceptusque est a coepiscopis lætantissime, et ut tantam personam decuit honoratus.

They summon him to convocation.

He is received with great respect.

[1] *nullatenus*] ullatenus, H. | [2] *episcopum*] $\overline{\text{spm}}$, H.

Ut dux accivit ad consilium suum Johannem Wiclif; et ut citatus est ad respondendum. A.D. 1377.

Interea non cessavit dux, ut fertur, cum suis imaginari complicibus, vel qualiter ecclesiam ancillaret, vel quomodo regnum quoquo pacto sibi submitteret; quo liberius et licentius ad effectum perduceret, quod diu mente revolverat. Enimvero perspexit, stante ecclesia in integro suo statu, difficile sibi fore assequi præconcepta; et periculosissimum attemptare publice quæ suo gestavit in animo, stantibus viribus[1] et consuetudinibus Londoniensis urbis. Unde tam ecclesiæ quam illius urbis in primis libertates subvertere laboravit. The duke plots against the church.

Aggregaverat ideo sibi quendam pseudo-theologum, sive, ut melius eum nominem, verum[2] theomachum, qui jam a multis annis in scholis in singulis actis suis contra ecclesiam oblatraverat; eo quod juste privatus exstiterat per archiepiscopum Cantuariensem quodam beneficio, cui injuste incubuerat, in universitate Oxoniensi situato. Et multas ac novas opiniones adinvenerat, fundamento quidem [carentes],[3] sed quæ aures audientium inaniter occuparent, et simplices auditores, semper nova cupientes, ut moris est eorum, ad ejus audientiam invitarent. Dicebatur iste Johannes, sed immerito; quia gratiam, quam sibi Deus dedit, abjecerat, avertens se a veritate quæ Deus est, ad fabulasque convertens. Inter cetera vero non loquenda quæ dixit, negavit dominum papam quemquam excommunicare valere. Et si quidem concederetur ab aliquo, dominum papam posse in quemquam excommunicationis ferre sententiam, asseruit quemlibet sacerdotem absolvere talem in tantum posse, quam ipse papa. Dixit præterea nec regem nec aliquem dominum secularem He chooses Wycliffe to aid him. Wycliffe's opinions.

[1] *juribus* suggested in a later marginal note.

[2] *nominem, verum*] nomine muerum, H.

[3] Added in a later hand.

A.D. 1377. aliquid posse cuicumque personæ sive ecclesiæ dare perpetualiter, quia a talibus personis peccantibus habitualiter possent temporales domini auferre meritorie præconcessa. Quod, ut asseruit, in tempore Willelmi Rufi, fuit in Anglia practizatum. Pro quo, sicut pro aliis regibus Angliæ, non obstante quod tulit bona ecclesiæ, orat ecclesia Anglicana; quæ, si talia fecit licite, bene facit orando pro ipso, si illicite, errat;[1] quod dicere est absurdum. Asseveravit insuper quod temporales domini, si indiguerint, licite vendicare possunt possessionatorum bona, ad suam inopiam relevandam.

He gains many followers among the nobles.

Hæc et his multo graviora cum palam non tantum Oxoniis tractasset in scholis, sed etiam in civitate Londoniarum publice prædicasset, ut ibidem vel assequeretur favorem ducis et aliorum, quos pronos scivit ad suam sententiam contuendam; invenit, quod diu quæsiverat, videlicet quosdam regni dominos, vel magis recte diabolos, qui ejus amplecterentur deliramenta, et eum ad hebetandum gladium Petri, si quomodo possent, indurarent, et, ne publice percuteretur eodem, protegerent brachio seculari. Quorum suffultus patrociniis multo audacius et animosius communicavit excommunicatam materiam, ita ut non solum dominos, sed et simplices quosdam Londoniensium cives secum attraheret in erroris abyssum. Erat utique non solum facundus sed simulator et hypocrita solidissimus, ad unum finem intendens omnia, ut videlicet ejus fama et opinio se inter homines dilataret. Simulabatque se spernere temporalia, tamquam instabilia et caduca, pro æternorum amore; et ideo non erat cum possessionatis ejus conversatio, sed, ut magis plebis mentes deluderet, ordinibus adhæsit Mendicantium, eorum paupertatem approbans, perfectionem extollens, ut magis falleret commune vulgus. Qui profecto nullis argumentis,

Converts among the citizens of London.

[1] *errat*] erat, H.

nulla scientia a Deo fulciebatur; et floruit, ut opiniones suas probabiles demonstraret, sed sola compositione verborum, quæ satis eructavit. Unde[1] intricavit minus doctorum aures audientium, et ventos pavit inaniter sine fructu. Dux tamen et dominus Henricus Percy ejus sententias collaudabant, et scientiam et probitatem cœlotenus extollere satagebant. Acciditque ut, eorum elatus favore, suas vanitates multo amplius dilatare non pertimesceret, sed de ecclesia in ecclesiam percurrendo auribus insereret[2] plurimorum insanias suas falsas. A.D. 1377. f. 142. He is supported by John of Gaunt and lord Henry Percy.

Unde, licet sero,[3] episcopi stimulati excitarunt patrem suum archiepiscopum quasi de gravi somno, et quasi potentem crapulatum a vino, vel potius mercenarium avaritiæ inebriatum toxico, ut ovem errantem revocaret a tam manifestæ perditionis pabulo, et curandum committeret stabulario; aut, aliud si res exigeret, uteretur abscisionis ferro. Archiepiscopus vero, quamquam in bonis decrevisset dies suos ducere nec vigilias agere circa gregem suum, quo liberius lupus et pastor mercenarius, qui in unam convenere sententiam, ut agni videlicet Dominici amborum aviditati exponerentur, tamen ne a compastoribus et collegis suis notari posset desertor ovilium, et per hoc pateretur dispendium suæ famæ sive nominis, misit qui invitaret filium prodigum ad respondendum his quæ de eo dicebantur: si videlicet discedens a patre, ut patri innotuerat, dissipasset paterna bona vivendo luxuriose, vel si, contra prohibitionem ejus reversus ad vomitum, vetita prægustasset. Nam perante archiepiscopus, fama hujus rei ad se perlata, præceperat ne de cetero hoc morticinum contingeret, et ne non solum se ipsum immundum tangendo pollueret, sed et omnes qui communicarent eidem. Ille autem, audito apparitoris tonitruo, ut astare deberet episcoporum collegio, timens sollicite cogitat de responso; nam mens male sibi conscia aculeis malefici- The bishops force the archbishop to action against him. He is summoned before the bishops.

---

[1] *Unde*] heunde, H.
[2] *insereret*] inserere, H.
[3] *sero*] seromi, H.

A.D. 1377. orum non potest esse quieta. Unde, dum summe trepidat quæ redditurus sit responsa ad horam, ultra vires sollicitus reddebatur; sed non permisit doctor ejus, qui tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, eum diu destitui consilio perversorum. Enimvero dux, cognito quod suis responsis astare deberet, et sciens, si ipse in eadem palæstra prosterneretur, deficeret fortissimus suæ partis, invitavit quatuor theologiæ magistros, unum ex singulis ordinibus Mendicantium; advertens eosdem quodam odio naturali et inveterato prosequi solere possessionatos, et eorum ab initio successibus invidere, nam,

The duke of Lancaster retains four mendicant friars to defend him.

—— "semel imbuta recens servabit odorem
"Testa diu." [1]

Nec erat difficile cogere fratres volentes auxilium ferre.

De discordia orta in ecclesia Sancti[2] *Pauli inter clerum, et ducem et dominum H[enricum] Percy, et populum Londoniensem, pro Johanne Wicliffe.*

The day of examination fixed, 19th February.

Die igitur Jovis proxima ante festum Cathedræ Sancti Petri, appariturus erat filius perditionis, Johannes W[icliffe,] coram episcopis, ut ibidem conveniretur super mirabilibus, quæ de ejus ore processerant, ut creditur, docente eum Sathana, totius ecclesiæ adversario. Cum ecce post nonam, assistentibus sibi duce scilicet et domino Henrico Percy et nonnullis aliis, qui pro sui magnitudine valerent turbare pusillanimes, necnon prædictis Mendicantibus, ut, si quid caderet de mensa divitum, episcoporum ore videlicet minus polite[3] foret emissum, ipsi colligerent et commasticarent postea per obloquia, introductus est ille cum summa pompa, ab-

Wycliffe is attended by his supporters.

[1] Horace, Ep. i. 2, 69.

[2] *Sancti*] dei, H.

[3] *polite*] Originally written *polute*, and partly erased, H.

ominationis hostia, Johannes superius memoratus. Nec suffecere sibi tantum lictores communes, nisi præcederet eum dominus H[enricus] Percy, totius Angliæ marescallus. Per viam igitur admonitus est a complicibus, ne formidaret conventum episcoporum, respectu sui pene illiteratorum, nec alicujus populi vereretur incursum, cum tot dominis vallaretur undique corpus suum. Intratum est hoc modo cum indicibili superbia in ecclesiam Sancti Pauli, ubi tanta multitudo populi convolaverat, ut audirent eum, quod difficile fuit etiam dominis, populis obsistentibus, pertransire. A.D. 1377.

He enters St. Paul's in great state.

A great multitude assembled.

Jam jamque tali occasione alumnum suum, multorum mortibus evasurum e prælatorum manibus, astute subtrahere diabolus viam invenerat; ut, primum facta dissensione inter magnatos et episcopos, ejus responsio dilationem acciperet. Revera cum populus conglobatus dominorum viæ et ejusdem J[ohannis] cedere moraretur, dominus Henricus Percy, commissa sibi abutens potestate, populum in ecclesia miserabiliter instigavit. Quod cernens Londoniensis episcopus vetuit eum talia magisteria in ecclesia exercere, affirmans, si præscivisset illum ibidem acturum talia, aditum ecclesiæ sibi minime patuisse. Quibus auditis, dux infrenduit, protestans eum acturum magisteria ibi, ipso invito.

Lord Percy uses violence in making a way through the crowd.

The bishop of London interferes.

An altercation takes place.

Cum autem perventum fuisset in capellam Beatæ Virginis, considentibus duce et baronibus cum archiepiscopo et episcopis, jussus est prædictus J[ohannes] a domino Henrico Percy sedere, "Quoniam," ait, "multis "respondere debet, sede indiget molliori." Econtra negavit plane episcopus Londoniensis eum ibi sessurum, asserens dissonum rationi nec juri consentaneum eum debere sedere, qui illuc citatus advenerat, responsurus coram suo ordinario et depositis contra eum; sed pro tempore responsionis suæ, quam diu causa sua agitaretur, ibidem stare. Hinc verba sunt inter dominum H[enricum] Percy et episcopum orta plena contumelia; hinc turbari cœpit omnis illa collecta. Tunc dux et

The proceedings opened in the Lady Chapel.

Dispute as to whether Wycliffe may sit during trial.

A.D. 1377. The duke of Lancaster joins in the dispute.

He threatens the bishop of London.

ipse cum episcopo conviciis agere, quæ et ipse episcopus conviciis in eundem retundere nitebatur. Erubuit dux quod non potuit prævalere litigio; et ideo retortis minis, cœpit agere cum eodem episcopo, jurans se superbiam non solum ejus sed omnium episcoporum Angliæ inclinaturum. Et adjecit, "Confidis," ait, "in "parentibus tuis, qui nihil tibi commodi præstare po- "terunt; habebunt enim satis tuendum de se ipsis." Erant autem parentes ejus, scilicet pater et mater,

f. 142 b.

nobiles, utpote comes et comitissa Devoniæ. Episcopus contra protestatus est parcere veritati, "Non," inquiens, "confido in parentibus, nec in te[1] [nec][2] in "quoquam hominum, sed in Deo meo, qui non in "Ipso speranti."[3] Tunc dux in aure submurmurans ita ait, "Mallem," ait, "arreptis ejus crinibus, eum "abstrahere de ecclesia, quam talia tolerare."

The Londoners are roused by the outrage.

Londonienses vero, audito hoc sermone, altissimo clamore fremebant, jurantes non passuros se talem injuriam suo inferri episcopo; vitam citius amissuros, quam episcopus in ecclesia dehonestaretur, quam de ecclesia tali violentia traheretur. Duxit hunc furorem quod eodem

Their anger is increased by an attempt, by the duke, on their liberties.

die, ante prandium, in parliamento apud Westmonasterium, assistente[4] præside duce,[5] petitum fuerat, regis nomine, ut de cetero non major, antiquo more, sed capitaneus Londoniis haberetur, et quod marescallus Angliæ in illa civitate, sicut alibi, reos arestare valeret; cum multis aliis petitionibus, quæ manifeste obviabant urbis libertatibus et imminebant civium detrimento. Quibus auditis, consurgens J[ohannes] Philipot, civis nominatissimus ejusdem urbis, assumit[6] hoc nunquam fuisse visum, cum additamento quod is,[7] qui pronunciaverat ista, et dixerat etiam majorem arrestatum intra

[1] *in te* written in one word like *vitæ*, H.

[2] *nec*] om. H.

[3] *qui . . speranti*] The sentence imperfect, H.

[4] *assistente*] assiste, H.

[5] A blank space after *duce*, H.

[6] *affirmat* suggested in a later hand, H.

[7] *is*] hiis, H.

civitatem, talia nunquam visurum.[1] Et ita ante nonam concilium est solutum; et post nonam, ut diximus, dux et episcopi, tam contumeliis jactis invicem, quam furore concitato populi perturbati, ut paulo superius diximus; procurante hoc consilium inimico, ut credimus, humani generis, ut occasione hujuscemodi suaderet illo die ille falsidicus ganeo, organum diabolicum, quominus super suis adinventionibus confunderetur. Nam vidit eum per omnia utilem sibi fore; et iccirco cavebat, ne tantus defensor suæ partis sibi tacito sive tam leviter deperiret. A.D. 1377. The meeting thrown into confusion.

Commotio Londoniensium contra ducem et H[enricum] Percy; et de fuga illorum.

In crastino Londonienses, convocatis civibus, consilium habuerunt super petitionibus, quas die præcedenti dominus Thomas Wodestok et dominus Henricus Percy affirmaverunt ex voluntate regia processisse, de creatione videlicet capitanei in illa urbe et de officio marescalli exercendo ibidem, ut prætactum est; necnon de injuria suo episcopo insolenter illata, et de nonnullis aliis. Dum autem de remediis hujusmodi molitionibus imponendis prolixior tractatus fieret, intraverunt, incertum an ad explorandum mentes eorum, an ob aliam quamcumque causam, dominus[2] Fywalter et dominus Wido de Bryan. Vulgus ubi[3] mox in adventu eorum convictum[4] vix manus temperare valuit, quin eosdem, qui non vocati accesserant, verberibus affecissent. Sed tandem cum juramento profitentes,[5] se non dampno eorum ad eorum concilium accessisse, compulsi sunt a civibus (eo quod et ipsi erant cives ejusdem urbis, et multarum possessionum The citizens take counsel on the threatened invasion of their rights. Lords Fitzwalter and Guy de Bryan enter the council-room. At first they are threatened; but, on taking the oath, are allowed to sit.

[1] *visurum*] The writer has forgotten the construction of the sentence.

[2] A blank space left for the Christian name, H.

[3] *ubi*] v^{i} (ubi) in H., probably an error for v^{o} (vero).

[4] *convictum*] Originally written *cõuictatum*; perhaps *commotum* was meant.

[5] *profitentes*] profitentibus, H.

A.D. 1377. in illa civitate domini,) sacramentum facere de fidelitate civibus et civitati servanda, vel alias cederent rebus suis; quia jam definitum fuerat, ne ullus inimicorum suorum aliquo tenemento vel redditu in illa urbe gauderet. Juraverunt ergo prædicti domini, apponentes manus libro in illius aulæ loco editissimo,[1] et, ita rogantibus civibus et communi populo, consederunt. Tunc dominus[2] filius Walteri, captans favorem civium, hujuscemodi orationem incepit:—

Speech of lord Fitzwalter.

" Proceres," ait, " hujus urbis, cum sim vestræ as-
" trictus caritati et fidei, et non solum pro præsenti
" juramento, quod præstiti, debeo vobis gratiam et
" obsequium, sed ex avita hereditate, videtur, signifer
" esse debeam et unus de maximis urbis vestræ fau-
" toribus; non dubium est quin dampna vestra resul-
" tant in dampnum meum, et injuriæ vobis illatæ
" mihimet[3] inferuntur. Iccirco, quia vero tempore
" quodam attemptate me in hac urbe ꝑc̄.n.[4] vobis
" prospiciatis vigilantius, magnum dampnum sentietis
" vestris libertatibus imminere, ea proferre in medium
" dignum duxi, quæ me communiter tangunt una vo-
" biscum. Hinc est, nescio an cum conscientia vestra
He announces that a prisoner is detained in the marshal's house against law.
" sive præter vestram scientiam, in vestrarum tamen
" apertam hoc tantum diminutionem: in hospitio ma-
" rescalli, scilicet domini H[enrici] Percy, quidam
" detinetur in carcere, ubi notum est carcerem nec
" hujusmodi custodiam esse debere. Quod si indul-
" gentius fieri permittatis hac vice, alias forsitan totis
" viribus non valebitis casum consimilem propulsare.
" Deliberandum est igitur in præsenti, quid super hoc
" casu faciendum fore. Decernite,[5] ne istius facti re-

[1] *editissimo*] edidissimo, H.

[2] A blank space left for the Christian name, H.

[3] *mihimet*] mmet, H.

[4] ꝑc̄.n.] No sense can be made of this corrupt passage, if these words are extended in the ordinary way. Perhaps the sentence may be read, " quia vero tempore, quo attemptatis " me in hac urbe perdere, nisi " vobis," &c. Unfortunately this portion of the text in O. is burnt; and the translator in the Archæologia has avoided the difficulty by altogether omitting the corrupt clause.

[5] *Decernite*] descernit̄, H.

" missio sit in futurum velut spina vobis in oculo, ac A.D. 1377.
" per hoc præsens impunita præsumptio pariat novas
" consuetudines vestro dispendio manifesto."

Applaudunt dictis cives, quos[1] vulgus vocat proceres, propter urbis Londoniensis nobilitatem veterem; et acclamant singuli talem se manifestis indiciis injuriam dampnaturos. Nec mora, armis arreptis curritur cum furore ad hospitium marescalli; fores franguntur, incarceratus[2] educitur, asportantur ligna, in quibus pedes ejus constricti fuerant, in urbis medio comburenda. Dominus de Percy quæritur, nec invenitur, procul dubio soluturus pœnas ob injuriam, si inveniri posset. Pervagantur armati cameras, lanceis transfigunt lectisternia, postremo scrutantur ipsas demum[3] naturæ latrinas,[4] sed frustra; nam tunc erat cum duce pransurus in die apud quendam J[ohannem] de Ypre, qui eos subnixius invitaverat. Sed hoc Londonienses omnino latebat. Credebant enim eum cum duce apud Saveye exsistere; unde omnes concito cursu iter illuc maturabant.

The people break into the marshal's house and release the prisoner.

They rush to the Savoy in search of lord Percy.

Interim, dum hæc fierent, quidam ex ducis militibus ista comperiens, cum summa festinatione pervenit ad locum ubi dux erat. Et cum pulsasset improbe, nec optatum cito potuisset ingressum, cum magna trepidatione Havelando subintulit janitori, " Si," ait, " dominum meum et ejus vitam diligitis, mihi citius " aperire curato." Quibus verbis ingressu potitus, et cum timore vix verba formare valens, narrat duci præ[5] foribus infinitos armatos adesse; nisi caveat hunc diem ultimum sibi fore. Nec minus terret dominum Henricum Percy suis verbis, pandens[6] qualiter principaliter causa sui facta sit ista commotio, et quæ Londonienses in suo hospitio perpetrassent. Erant, cum intraret miles, circumstantes ostreas, et quidam parum, quidam

f. 143.

The duke and lord Percy warned of their danger.

---

[1] *quos*] quis, H.
[2] *incarceratus*] si incarceratus, H.
[3] *demum*] demo, H.
[4] *latrinas*] latrina, H.
[5] *præ*] pro, H.
[6] *pandens*] pandendens, H.

A.D. 1377. nihil omnino comederant. Dux vero, hoc accepto nuncio, non esse tutum arbitratus diutius in illo loco morari, cum tanta festinatione ab ostreis exsiluerat, ut læderet ad formam utramque tibiam. Per hanc læsionem satis afflictus, ministris offerentibus sibi vinum, noluit bibere, sed velut dicens, "Consummatum est," fugam inivit impius, cum sodali suo domino Henrico Percy, nemine persequente. Ingressique Thamisiam non prius desiverunt remigare,[1] donec venirent ad terram contiguam manerio de Keningtone, ubi tunc principissa cum juvene principe morabatur; coram quibus, non sine magna formidine, ut patuit per sudorem decurrentem per trepidos artus suos, deposuere querelam super omnibus quæ acciderant.[2] Principissa, eorum auditis sermonibus, confortavit eos verbis quibus pro tempore potuit, promittens se facturam talem finem de his omnibus, qui foret eis satis accommodus, ut comparabat.

They escape by the Thames to Kennington, and seek protection from the princess of Wales.

Communitas autem Londoniensium, nondum cognoscens ducem fugisse, ad Saveiam cum maximo strepitu properabat.[3] Quibus quidam sacerdos[4] infausta hora obvians, quæsivit a quibusdam quidnam[5] vellet populi tantus motus. Nonnullis respondentibus quod ad capiendum ducem et dominum de Percy, ut artarentur reddere civibus dominum Petrum de la Mare, quem injuste in carcere detinebant, respondit ille fatuus, nesciens cedere tantis motibus, quin venenum, quod latebat in animo, palam funderet coram illis, "Petrus," inquit, "de quo loquimini, proditor regis est, et a "multis annis suspendio dignus fuit hic." Quibus verbis tantam eorum iram exacuit, ut pene omnes terribili clamore perstrepant[6] hunc esse regni Angliæ proditorem; nam et loquela sua ipsum manifestum fecerat. Omnes igitur ad hunc concurrunt, et certant

Rough treatment of a priest for abusing Peter de la Mare.

[1] *desiverunt remigare*] destruerunt remi remigare, H.

[2] *acciderant*] acciderat, H.

[3] *properabat*] properabant, H.

[4] *Quibus .. sacerdos*] Quibusdam sacerdos, H.

[5] *quidnam*] quidnams, H.

[6] *perstrepant*] perstrepent, H.

inter se, quis alterum poterit prævenire ad cædendum eum. Cæsum et laceratum multis crudisque vulneribus in carcerem detruserunt, ubi, tam ob vinculorum injuriam quam dolorem vulnerum, post paucos dies defecit. A.D. 1377.

Episcopus vero Londoniensis, audito quod tam infestis signis maturabant iter versus Saveiam, relicto prandio, occurrit eisdem, monens ut essent memores sanctissimi temporis, (erat enim Quadragesima,) et ab inceptis amore Christi desisterent, ne contingeret eos tam sacrum tempus fœdare seditionibus; asserens se laboraturum, ut omnia, quæ contra eos erant gesta, votis eorundem fine commendabili responderent. Et nisi similibus verbis episcopi eorum animi effrenati commitigati fuissent, proculdubio tam dux quam dominus H[enricus] Percy eo die vel vitam vel membra deflessent. Igitur episcopalibus monitis pro tunc sedatus est tantus motus, et ab uno quoque est in sua discessum. Tamen arma ducis, in signum proditionis, in principalissima strata urbis reversa [1] suspendebantur, incertum a quibus vel quorum consilio [2] hoc sit factum; quod multum bilem ducis postea concitavit. The bishop of London succeeds in quelling the riot. The duke's arms reversed in the principal street.

Quidam etiam ex militibus ducis, dominus Thomas Swintone, natione Scotus, domini sui favorem cupiens, eodem die ausus est per frequentissimas plateas urbis equitare armatus, [et,] in despectum civium, ferre circa collum signum ducis, quo plus furorem populi commoveret. Qui mox a communibus equo dejectus, amisit domini sui signum, vulgarium violentia collo suo detractatum, passurusque pœnas inconsultæ temeritatis ibidem, nisi major eum ab eorum manibus liberasset, et post modicum suo domino remisisset. Erat cernere post hoc factum spectaculum fortunæ variæ, eos videlicet, quos dux talibus signis donaverat, quorum superbiam vix tellus sustinere poterat, jam humi- Sir Thomas Swintone, wearing the duke's badge, is roughly used. He is rescued by the mayor. The duke's retainers, from fear, conceal their badges.

[1] *reversa*] universa, H. | [2] *consilio*] consilia, H.

A.D. 1377. liatos solotenus, collaria, quæ a duce susceperant, collo detrahere et in sinibus vel manicis abscondere: signa scilicet, per quæ ante cœlum et terram se credebant lucrari posse; nam ut ante ea signa eos notos reddiderant et formidabiles, ita nunc eadem signa versa vice reddiderunt contemptibiles et suspectos.

Principissa reformare pacem nititur; et responsio Londoniensium.

The princess of Wales sends mediators on behalf of the duke.

Principissa autem, cupiens reformare pacem inter cives et ducem, misit Londonias milites, dominum Albredum le Vere, dominum Simonem Burle, et dominum Lodowicum Cliffort, rogans ut, ejus precibus et amore, redirent ad pacem ducis, ponentes finem tantis tumultibus, propter generale malum quod tales seditiones sequi solet. Cives autem cum omni reverentia responderunt, se facturos ob honorem ejus quæcumque mandasset; sed militibus, qui advenerant, injunxerunt viva voce referre[1] duci, quatenus dominum Wintoniensem episcopum suis responsis astare permitteret, judicandum a paribus; quia iniquum erat tantum etiam parem[2] regni, et personam ecclesiasticam tantæ eminentiæ tantam rerum jacturam incurrere absque responsione et processu juris. Dominum etiam Petrum de la Mare sineret propriæ responsionis patrociniis vel se insontem probare, vel alias, si merita sua id exposcerent, secundum jura regni subire judicium manifestum. Addiderunt quoque tertium, se velle proditorem habere, ubicumque foret inventus. Prædicti milites, non secus quam audierant a præfatis civibus, pleno ore duci retulerunt quæ eis injuncta fuerant; unde et ducem sollicitum reddiderunt. Nam cum de proditore sermo fuisset habitus, "Hoc," ait,

The citizens demand a fair trial for the bishop of Winchester and Peter de la Mare.

f. 143 b.

[1] *referre*] Added in another hand, H.

[2] *parem*] par, H.

"de me dicunt"; tamen non est credibile eos de eo hoc dixisse. A.D. 1377.

Londonienses regem adeunt pro suis libertatibus contuendis.

Londonienses, habito tractatu super præsenti negotio, miserunt de eminentioribus viris urbis, qui vel justificarent quod acciderat, vel se excusarent penes regem. Qui longo tempore instantes pro habendo cum rege colloquio, ut creditur duce procurante, a regia præsentia sunt artati. Tandem post unum diem exspectationis suæ, dux, videns eos obstinate persistere in voluntate colloquendi cum rege, accessit ad eos, præcipiens ut sibi intimarent causam adventus eorum; asserens dominum regem gravi detentum incommodo, et augeri de facili posse ejus invalitudinem, si vel concitaretur ad iram, vel audiret aliqua, quæ suis votis vel in modico contrairent. Cives vero, quorum prolocutor et maximus erat Johannes Philipot, cum debita reverentia responderunt duci se non ideo venisse, ut quovismodo per eorum adventum vel colloquium ejus augeretur infirmitas, sed ut potius lenirent dolorem ejus; ut bene sibi et aliis constare valebit, si ad eum potiantur ingressu. Insuper se oneratos esse dixerunt, ne aliis[1] quam domino suo regi communicarent mandata, quæ a concivibus susceperunt; præsertim cum dominus rex eis sæpius præcepisset, ne in ullo negotio, contingente civitatem et cives, aliquos alienos mediatores facerent penes eum, sed ipsimet propria negotia proponerent coram eo.[2] Ceterum, si aliter facerent quam ipse mandaverat et cives eis injunxerant, malas grates utrumque sibi forsan parituros. Talibus allegationibus ingressu potiti, exposuerunt regi, qualiter in parliamento publicatum fuerat

The citizens send a deputation to the king.

The duke pleads the king's weak health, to prevent the audience.

The deputation insist on seeing the king.

They are admitted, and complain to the king of

[1] *aliis*] aliteris, H.

[2] *eo*] Added in another hand, H.

A.D. 1377. the threatened attack on their freedom.

ejus fore voluntatem, ut in urbe eorum, contra libertates eorum, deposito majore, capitaneus crearetur; et cetera quæ in parliamento contra libertates civium

They excuse the late riot.

sonuerunt. Excusarunt se insuper de nonnullis, quæ in dedecus ducis resultare possent, quæ tempore commotionis communium civitatis gesta fuerunt; dicentes se non fuisse conscios gestorum hujusmodi, sed in tanta multitudine quosdam malignos, ipsis nescientibus vel nolentibus, talia perpetrasse. Nec posse tantam frenari multitudinem[1] hortamentis etiam[2] majoris urbis, cum semel commoveri cœpit;[3] sed more turbinis solere huc illucque versari pro diversorum capitum indiscreta sententia, donec aliquod magnum efficiunt alieno dampno vel suo. "Tamen, benedictus Deus," inquiunt, "non sensit dampnum dominus noster dux, nec est "aliquis suorum læsus." Dominus autem rex, de adventu eorum aliqualiter exhilaratus, respondit se nolle diminutionem libertatum eorum, immo paratus erat, si necesse foret, eas augere; nec emanasse hujuscemodi[4] sententiam de ore ejus. Et ideo ne timerent hortatus est eos, præcipiens ut, abeuntes ad concives, pacem facerent et foverent eam. Illi, salutato rege, regressi habuerunt ducem in aula eis obviam. Quo insimulante eos de his quæ gestarent, "Retulimus," responderunt,—sicut regi diximus eos retulisse; addentes quod si contingeret eos invenire vel cognoscere eum, qui tale dedecus in opprobrium ducis machinatus fuerat, quod ipsi punirent eum ad ducis arbitrium, vel, si mallet, traderent eum sibi secundum suum arbitrium puniendum. Dixerunt insuper rogare eum cives, ut esset eis bonus dominus, ut solebat; et [si] secus[5] quam deceret aliqua gesta essent,[6] et urbem[7] [promptam] ad

They are dismissed with a gracious answer.

They meet the duke, and make offers of peace;

---

[1] *tantam . . multitudinem*] tanta . . multitudo, H.

[2] *etiam*] et, H.

[3] *cœpit*] capt, H.

[4] *hujuscemodi*] hujusce, H.

[5] *si secus*] situs, H.

[6] *essent*] esset, H.

[7] *urbem . . satisfaciendum*] urbi ad satisfaciendum, H.

satisfaciendum in omnibus inveniret. His auditis, lætificatus est dux, sperans se lucraturum grandem pecuniam ab urbanis, credens eos terrore ductos hujuscemodi protulisse. Sed fuit longe aliter quam sperabat; nam cum mox ille diceret se verba[1] tractare super instanti negotio, eo quod apparuit sibi præsentes esse eminentissimos civitatis, qui sufficerent pro communibus tractatum facere, responderunt cives se missos a concivibus ad dominum regem pro diversis causis, quibus[2] explicitis, eorum legatio exspiraverat; iccirco non posse tractare cum eo, nisi nova mandata a civibus percepissent. Et ita delusa est sollicitudo ducis. Cives autem revertentes ad urbem, et explicatis per ordinem quæ contigerant, concivibus non modicam lætitiam intulerunt.

A.D.1377.

but refuse to act without the advice of their fellow citizens.

Excommunicantur defamantes ducem, licet injuste.

Interea quidam, quibus talis dissensio placuit, non cessarunt in opprobrium ducis rhythmos componere et eos[3] configere in diversis locis urbis, unde major accenderetur furor populi, et fama ducis denigraretur, atque nomen ejus magis detestabile[4] haberetur. Quibus auditis, dux, commotus vehementissime, rogavit episcopos, ut excommunicationis ferrent sententiam in omnes, qui per tales rhythmos sive schedulas malitiose læserant famam ejus. Episcopis diu hæsitantibus quid faciendum esset in hoc casu, (timuerunt enim vim sibi inferri a communibus,) cives Londonienses eminentiores, volentes aliquam duci præstare gratiam, episcopos ad id faciendum animaverunt, ut pateret eos talia minime factitasse. Bangorensis igitur, astipulantibus sibi civitatis majoribus, excommunicavit publice

Lampoons on the duke are found posted about the city.

f. 144.

The bishop of Bangor excommunicates the authors.

[1] *mox . . . verba*] The order of the words in H. is, se diceret verba mox ille.

[2] *quibus*] qui, H.

[3] *eos*] eo, H.

[4] *detestabile*] decasbile, H.

A.D. 1377. omnes, qui ducem diffamaverant et talibus commentis læserant famam ejus.

Milites parliamenti, aberrantes a vero, concedunt dari regi de unoquoque capite regni grossam.

The duke of Lancaster attends the parliament with an armed retinue.

Post paucos dies regressus est dux ad parliamentum, quod intersumptum fuerat ex causis expressis superius. Non tamen dignatus est per civitatem venire; nam habebat suspectam mobilitatem civium, et ideo per viam aliam revertebatur. Per occultas vias videlicet intravit Westmonasterium, et ita pervenit ad parliamentum, novo quidem et inaudito modo, præcedentibus eum servis suis et præferentibus peltas et gladios; quoniam trepidaverunt timore, ubi non erat timor. Sequebatur eum eodem modo dominus Henricus Percy, eandem faciem belli præferens. Considentibus ergo duce et magnatibus, responsum petiere de militibus comitatuum, super his quæ eis injuncta fuerant. Qui, satis et nimis proni ducis voluntatibus, responderunt vice plebis, cum tamen plebs illud penitus ignoraret, velle se ad opus domini regis, non de omni domo sed pro omni capite, pendere unam grossam per universam terram; ita quod pecunia colligenda remaneret in manibus ceterorum comitum et baronum, donec viderent qualiter tanta pecunia deberet expendi. Præterea exPetierunt, ut legitur, subornati per ducem, ut dominus de Latimer, et Alicia Perreis, et, vice plebis, Ricardus Liounes, annullato ultimo parliamentali statuto per præsentis[1] parliamenti judicium et statutum, omnibus rebus suis tam hereditariis quam acquisitis reinvestirentur, sicut fuerunt, antequam illud parliamentum incepit. Hæc autem facta sunt præter conscientiam communis plebis, quoniam plebs omnis eos dignos suspendio reputabat. Sed ideo ita scripsimus, ut luceat posteris, quam prævaluit non solum

The commons grant a poll-tax of four pence.

Lord Latimer, Alice Perrers, and Richard Lyons restored.

The writer blames the cowardice

[1] *præsentis*] 'presentes, H.

injuria sed injustitia, et quam pusillanimes fuere milites, qui pro communitate stetissent; quia, si remansisset aliqua virtus in eorum cordibus, nec conscivissent[1] tam novam et inauditam taxam, nec tam manifeste contra totius vulgi conscientiam petiissent a duce præside homicidam, dominum de Latimer dico, et ejus complices, qui multorum mortium rei fuerunt, ut communiter dicebatur, nunc causantes famem, modo ferrum, quandoque vero proditionem occultam. A.D. 1377. of the commons.

Clerus concedit quod milites concesserunt.

Clerus autem, post multa consilia habita, et ipse nutans, quia, ut videbatur, præponebant timorem ducis timori[2] Domini Dei sui, in pœnam peccati puto accidit eis, ut concederent eundem censum de capitibus singulis tam virorum religiosorum quam ecclesiasticorum secularium, ad opus regis; videlicet pro singulis capitibus grossas singulas: novam quidem et inauditam taxam et penitus reprobabilem; quia, licet minor aliis sit pensionibus, quas ecclesia pendere consuevit injuste, tamen inductiva est aliarum malarum consuetudinum in futurum, quæ forsitan maxima gravamina nostris sunt posteris parituræ.[3] Formidanda[4] et est illa sententia in hoc casu, quia qui spernit minima paulatim decidet in majora. The clergy grant a subsidy.

Dominus Robertus Astone fecit verba pro duce coram rege contra Londonienses.

Obtento pro votis, dux, quod diu imaginatus fuerat, censu videlicet de universis capitibus communis totius vulgi, nihil tamen quietis habere potuit in corde suo, cum de injuria sibi illata a Londoniensibus cogitabat. Iccirco studuit die nocteque, quibus mediis suam [fa-

[1] *conscivissent*] conciscent, H.
[2] *timori*] timor, H.
[3] *parituræ*] paritura, H.
[4] *Formidanda*] Formidan., H.

A.D. 1377. mam][1] pene diminutam resarciret. Tandem invento consilio, regem compellit, emissis brevibus, majorem et vicecomites, necnon civitatis eminentiores viros, quos aldermannos vulgus appellat,[2] ad suam præsentiam accersire. Qui vocati, non audentes regiis contraire mandatis, mox venerunt ad regem, ad manerium suum de Schene. Introductique in cameram regiam repererunt regem, ministerio suorum positum in quadam cathedra, tamquam simulacrum quidem residentem, et, pro multiplicibus ægritudinis incommodis, loqui non valentem; circumsedentesque certos cum archiepiscopo episcopos, et ducem ac regis filios, cum multis dominis et viris aliis honoratis. Quos cum reverentia qua decuit salutassent, facto silentio, dominus Robertus Astone, regis cubicularius, talem orationem incepit:—

The duke of Lancaster induces the king to summon the citizens.

Speech of Sir Robert Aston.

"Cives," inquit, "forsitan admiramini, cur acciti
" fueritis ad præsentiam domini nostri regis et præ-
" sentium dominorum. Ne ergo mentes vestras diu
" per inania verba suspendam, expediam brevibus
" causam vestræ citationis. Nostis quantum nuper
" dedecus vestri concives intulerunt domino nostro
" regi, et pene[3] per eos commotum[4] est et in sedi-
" tionem versum omne regnum istud. Regi dico factam
" injuriam, quia quod fit contra ejus vicarium contra
" eum fieri constat. Proculdubio, si sapitis, scitis
" quid intendo. Non excidit a vestra memoria, quibus
" probris persecuti estis non solum eum qui ejus in
" regno locum tenet, sed regis filium seniorem. Delic-
" tum quidem est grave atque notorium, sed cui simile
" nostris temporibus non est visum; et ideo convenit
" ut graviori vindicta puniatur—tali, inquam, vindicta,
" quæ posteris schola sit refrenandi eos a persecutione
" regis sui. Iccirco, cives, consulo ut submittatis vos

He upbraids them for the late riot and indignities to the duke.

---

[1] *famam*] Probably the word intended, but omitted, H.

[2] *appellat*] appella, H.

[3] *pene*] penes, H.

[4] *commotum*] commota, H.

" gratiæ regis, quem graviter exacerbatis, qui nescit A.D. 1377.
" non misereri[1] supplicibus, qui cupit misericordem He calls on them to ask pardon.
" vitam quam duxit misericordi fine concludere; et, ad
" leniendum ejus cor quod inquietastis gravissime,
" etiam absque ulla conditione vos submittite gratiæ f. 144 b.
" domini ducis, ejus filii senioris, quem constat vos
" principaliter offendisse, et fortassis consilium meum
" utile sentietis."

Fine verborum facto, Londonienses responderunt, se They deny complicity in the acts of the mob. contra ducem minime conjurasse, nec dedecus prælocutum, illis scientibus vel assentientibus, factum esse; quod parati erant probare coram domino rege, ipso quoque duce. Verumtamen asserebant, se nullo modo posse vulgi levitates impedire, per quod illud, quod[2] acciderat, perpetratum fuit; quoniam plebs, carens pecunia nec fruens proprio domicilio in civitate, ad agendum perperam de facili incitatur, et eo minus metuit malefacere, quod[3] non habent bona quæ perdant. Unde iidem cives dominum regem deprecati sunt, ne innocentes et inscios facti puniret,[4] et peccata delinquentium redundare faciat super capita innoxiorum. Porro id contraire[5] omnino justitiæ asserebant. Ceterum, pro reverentia domini regis et[6] ducis, fatebantur se omnem sollicitudinem adhibituros ad inducendum commune vulgus, ac etiam pro viribus compellendum ad satisfactionem debitam. " Amplius enim," aiunt, " domino nostro duci, quod ejus honori cedat, facere " non valemus." Hoc quoque verbo, volente rege, dimissi, læti a tergo curiam salutarunt.

Postea misit dominus rex ad eos secreto, mandans By advice of the king the citizens offer in St. Paul's a wax taper bearing the duke's arms. ut, convocatis singulis civibus civitatis, unum cereum facerent, et statuentes in eo arma filii sui ducis, et cum processione solemni, illum deferrent ad ecclesiam

[1] *misereri*] *misceri*, H.
[2] *per . . . quod*] per quid illud quid, H.
[3] *quod*] quæ, H.
[4] *puniret*] punire, H.
[5] *contraire*] contraere, H.
[6] *et*] a, H.

A.D. 1377. Sancti Pauli, ubi imperpetuum arderet coram imagine gloriosæ Virginis continuatis sumptibus civitatis. Facto igitur cereo, præconis voce cives generaliter convocantur. Vocati veniunt, causam audiunt; sed commune vulgus et plebs omnis inferioris fortunæ tali processioni interesse contempsit.[1] Itaque cum indignatione est a singulis in sua discessum. Soli magnates urbis processionem faciunt, cereum in loco quo jussi fuerant collocantes.

The people refuse to join the procession.

[*De*][2] *nova dissensione inter ducem et Londonienses.*

The duke continues the quarrel with the citizens.

Dux vero, hujuscemodi satisfactione non contentus, probris et minis quibus potuit cives exterrere et exacerbare temptavit, dicens nullatenus sibi gratum fore factum quod fecerunt, immo magis in sui dedecus redundare, præcipue quod arma sua, dum sanus et incolumis et superstes exsisteret, obtulissent infixa cereo tali modo. Contra Londonienses asseverant se regis, patris ejus, mandata expresse,[3] quæ credebant omnino conformia suis votis; si plura scirent disponere, quæ forent placita suæ menti, paratos fore per omnia ad exsequendum. Quibus dux constanter asseruit, quod et vota ejus scirent, et viam satisfaciendi non nescirent. Quo verbo scandalizati sunt cives. Nam mox exivit sermo hujuscemodi inter illos, "Si," inquiunt, "tanta fecimus, et ea præcipue quæ rex pater ejus "pro honore suo decreverat, nec in his sibi fatetur "satisfactum, quid est quod facere sibi debemus? "Num vult quod[4] acclamemus eum regem? Num- "quid hoc est, quod intendit, dicens nos scire vota "ejus? Nunquam," inquiunt, "fiet istud." Et dilapsi sunt in partes, minus eidem amici post hæc quam ante fuerunt.

The citizens' remarks on the duke's conduct.

---

[1] *contempsit*] contemptuit, H.

[2] *De*] om. H.

[3] *se . . expresse*] The verb omitted, H.

[4] *quod*] quid, H.

De captione J. Menstreworthe et morte ejus. A.D. 1377.

Capture of John Menstreworth.

Per idem tempus captus est quidam miles, nomine Johannes Menstreworthe, qui proditiose exercitum deseruerat Anglicanum, eo tempore quo dominus Robertus Knollis, mandato regis Angliæ, cum multa turba magnatum, missus fuerat ad invadendum vel subjugandum suo nomine regnum Francorum. Hic itaque Johannes et ingenio providus erat et manu promptus, sed ambitiosus plurimum; multosque in eadem expeditione duxit valentes et fortes. Unde contigit, cum cerneret eundem Robertum alios quoque dominos ejus consilia parvipendere, ut indignatus campum desereret [1] et eosdem relinqueret inter manus hostiles, ea præcipue tempestate qua maxime ejus auxilio indigebant. Factumque est, ut tali occasione et exercitus noster magna dispendia pateretur, et ipse ad regem Franciæ iret transfuga mente perversa. Cujus consilio idem rex usus, multa mala intulit genti nostræ. Tandem captus est in Navaria a quodam Vasconensi armigero, dicto Lodowico [2] de Sancto Egidio, juxta urbem Pampilonem, dum literas et mandata regis Francorum deferret versus Hispaniam, ad colligendum ibidem tam copiam armatorum quam navium, ad regnum Angliæ invadendum; quorum [3] omnium ipse fuerat dux decretus. Advectus in Angliam et ad confessionem compulsus, fatebatur quod circa Pascha cum ,[4] qui se dicit heredem Walliæ, venisset ad invadendum easdem partes, quatenus, propriis restitutus, avita hereditate gaudere ejus auxilio potuisset, et ipse ad regem Franciæ iterum remeasse. Iccirco post paucos dies condemnatus morte turpissima, cum cerneret nullam omnino evadendi viam, postulavit calamum et papyrum, quos

An account of his treachery.

His confession.

Being condemned, he writes a letter to be sent to the king.

[1] *desereret*] deferret, H.

[2] Lodowicus, H.

[3] *quorum*] quo, followed by a blank space, H.

[4] Blank in H.

A.D. 1377. dominus Henricus Percy præcepit afferri; scripsitque maximam partem folii papyri regalis, et signavit illud, rogans ne alius quam ipse dominus rex illud signaculum removeret. Quod suscepit de ejus manibus dominus Henricus Percy; sed quis sigillum amoverit, quisve contenta perspexerit, soli, ut dicitur, dux et ille sciverunt. Unde creditum est, quia ad lucem illud scriptum non est venire permissum, eo[1] quod quædam ibidem contenta perspexerint soli, ut dicitur, dux et ille, et[1] alterius vel amborum conscientias contingebant. Idem vero Johannes, postquam talia conscripsisset, tractus et suspensus, ac decapitatus, necnon in quatuor partes sectus, satis, ut dicebatur, pœnitens, proditoribus f. 145. provenientes fructus collegit.

The duke of Lancaster and lord Percy suspected of suppressing it.

Episcopus Wintoniensis recuperat temporalia sua interventu Aliciæ Perres.

Interea Wintoniensis episcopus, qui multis dampnis affectus fuerat et injuriis, cum videret leges terræ non juste sed pro quorundam voluntate tractari, et destitutus esset pene omni humano subsidio, quamvis illud indecens sibi fore putaret, ad femineum se convertit;[2] scilicet necessitate compulsus, fecit quod oportuit, consulens non solum suis,[3] sed ejus ecclesiæ oppressionibus atque dampnis. Itaque præsciens quod Alicia Perrers, pellex regis, omnia potuit, quæcumque voluit, et non erat aliquis qui voluit, quamquam potuit, suæ resistere[4] voluntati, ejus auxilium imploravit, sibi pecuniam obtulit, sibi famulatum promisit. Si in convenientiam[5] episcopali statui ulla spopondit, ut facilius expediret, quisquis mores meretricis agnoveris minime dubitabis; præcipue cum foret causa ejus ar-

The bishop of Winchester obtains the help of Alice Perrers.

---

[1] Added in another hand.
[2] *convertit*] convertis, H.
[3] *suis*] suæ, H.
[4] *resistere*] sistere, H.
[5] *in convenientiam*] inconvenientiam, H.

dua, valida pars adversa, et illa nimis cupida et avara. A.D. 1377. Siquidem illa oblata non respuens, ut dicitur, sufficienti mercede conducta, perrexit experiri, si adhuc igniculus in rege viveret, si fallacia meretricis apud eum, ut olim, adhuc locum haberet. Ille vero, qui jam dudum ab illa captus fuerat, ejus colloquio atque precibus mitigatus, arbitratus est nihil fore negandum quod petebat. Itaque, invito duce, redonari sibi temporalia sua jussit; sicque per fas et nefas, factis sibi amicis de mammona iniquitatis, episcopus revocavit perdita, recuperavit amissa. Dux vero, quamvis graviter ferret quod eadem Alicia expedisset contraria votis suis, metuens iram regis, silere potius statuit, usque ad tempus differens vindictam et iracundiam suam [ad] tempora retributioni[1] magis accommoda.

She prevails with the king, who restores the bishop's temporalities against the will of the duke.

De morte comitissæ Penbrokiæ et actibus ejus piis.

Septimo-decimo die Aprilis obiit domina Maria de Sancto Paulo, comitissa Penbrochiæ, exempli singularis femina. Nam adhuc vivens, ita ad honorem Dei et ad decorem domus Ejus, ita in necessitatibus pauperum expendit bona sua, ut ipsis ducibus exempla bonorum operum præmonstraret. Moriens vero omnem substantiam suam vel servientibus, qui ei famulati sunt, vel diversis ecclesiis sive pauperibus erogavit. Ecclesiæ namque Sancti Albani contulit quandam imaginem de Sancto Vincencio argenteam deauratam, quæ tenet in manibus quoddam scrinium, in quo unum os ejusdem pretiosi martyris continetur. Dedit et alias quam plures aliis monasteriis, ubi [orationum][2] beneficium obtinuerat, quæ singulæ singulorum martyrum sive con-

Death of the countess of Pembroke.

Her offering to St. Albans.

[1] *ad tempora retributioni*] tempar^r tributioni, in H. The reading suggested in the text is the best that the words will allow; but it is very probable that the scribe has omitted something.

[2] Supplied by a later hand.

A.D. 1377. fessorum reliquias continebant, ad quorum honorem fuerant fabricatæ.

Nautæ interficiunt armigerum qui eorum socium peremerat.

Circa festum Paschale fecit dux totum navigium Angliæ congregari Londonias; sed cur ita fecerit ipse solus scivit. Cumque aliquamdiu ibidem stetissent, contigit quendam armigerum unum de nautis interficere, consilio[1] nimis, ut dictum est, auxilio regiæ meretricis. Nautæ, morti socii condolentes, deposuere querelam in curia regis, quæ Marescalcia vocatur, quæ tunc apud Southwerk forte moram traxit. Cum autem percepissent eam curiam nimis favorabilem homicidæ, et insuper audissent quod dicta Alicia Perres per cartam regis indempnitatem homini promisisset, in furiam concitati domum, in qua homicida vinctus tenebatur, irrumpunt, et educunt hominem compeditum. Tandem illum presbyterum, cui confiteretur, efflagitantem, cultello in cor ejus merso, immisericorditer interficiunt, velut porcum; ei tam confessionem quam viaticum invidentes. Demum ligato fune compedes, quibus nexæ fuerant ejus pedes in[2] carcere, cuidam nexuerunt, et eo modo corpus ejus ad patibulum pertraxerunt. Cum vero eum in furca suspendissent, velut aliquid magnum perpetrassent, tibicines eos præcedere compulerunt ad naves, ubi quod diei residuum fuerat cum magna lætitia peregerunt. Et cum quidam eos minis terrere temptarent, dicentes tantum facinus[3] nequaquam ultione carere, responderunt impossible fore in unum eorum vindicari posse, nisi omnes eandem sortem experirentur.[4] Ceterum asserebant regem jam eorum auxilio plurimum indigere, qui si nollet vel nesciret eis par-

A squire kills a sailor of the fleet.

The squire, being protected by Alice Perrers, is seized and killed by the sailors.

[1] *consilio*] consilium, H.
[2] *in*] *fune* repeated before *in*, H.
[3] *facinus*] facimus, H.
[4] *experirentur*] expellerentur, H.

cere, recederent ab eodem, quæsituri eis talem dominum, qui sciret et vellet eos diligere et manutenere, et malefacientes eis opprimere forti manu. Hac oratione cognita, dilata est ultio et benevolentia simulata. A.D. 1377.

Episcopus Norwicensis dedecorose tractatur apud villam suam de Lenna.

Modico transacto post Pascha tempore, episcopus Norwicensis Lennam veniens, villam suam, non contentus honore consueto prædecessoribus suis episcopis, novum honorem in eadem villa molitus est; attendens etenim quod major illius villæ, cum publice per plateas incederet, lictorem, tenentem manu scipionem, ipsum præcedentem habere, quocumque pergeret,[1] consuevit, et semet reputans, eo quod dominus villæ foret, majore celsiorem, expetiit a majoribus eum honorem sibi fieri, qui majori villæ fiebat. Revera ante episcopum lictor solum virgam, in utroque fine nigro cornu circumcinctam, gestare solebat. Villæ[2] vero qui majores erant satis curialiter responderunt, quod placuit eis ut talis honor sibi exhiberetur, si idem episcopus talem consuetudinem a rege sive regis concilio impetrare, et introducere bono modo, sine offensa communium villæ, posset. Alias fatebantur se timere plebem, quæ mobilis erat et ad malum prona; quod vulgus ejusdem[3] villæ eos lapidare vellet, si ipsi permitterent hujuscemodi consuetudinem introduci. Iccirco genibus flexis rogant, desistat a tali petitione;[4] salvet honorem proprium; salvet cives majores, quibus indubitatum imminet [periculum in hoc casu, si in incepto persistat. Episcopus vero, juvenis et effrenis, ratus hanc humilitatem civium ex timore ejus solummodo provenisse, Roboam usus consilio, respondit se nullatenus facturum

The bishop of Norwich requires the same honours to be paid him as to the mayor, in Lynn.

The aldermen try to dissuade him.

f. 145 b.

---

[1] *pergeret*] pergere, H.
[2] *Villæ*] Villa, H.
[3] *ejusdem*] eidem, H.
[4] *petitione*] pedem cicionem, H.

A.D. 1377. quod petebant, quin immo faceret quæ proposuerat, invitis communibus, quos ribaldos vocabat. Objurgavit etiam majores cives villæ de pusillanimitate sua, eo quod dixerant se timere vulgus villæ, quos pro nihilo ipse ducebat. Cives autem, audita episcopali pertinacia, satis humiliter dicunt ei, "Quoniam, pater "sancte," inquiunt, "ut asseritis, omnino facturi estis "ut dixistis, habeat nos, rogamus, vestra sublimitas "excusatos, eo quod non conducimus vos honorifice "extra villam, quod non impendimus vobis reveren-"tiam debitam. Timemus revera non solum pelli "nostræ, sed etiam vitæ nostræ, quia, si plebs cer-"neret nos vobis in præsenti articulo adhærere, nobis "imponeret totum factum; et sic forsitan pœnas im-"merito solveremus." Episcopus vero nihili pendens eos et assertiones eorum, præcepit uni de suis, ut scipionem assumeret portaturus eum coram eo. Quod et factum est. Cum vero paulum processisset, communes, percepto quod contra libertates, ut asserebant, villæ scipionem erexisset, deferendum coram eo in eadem villa, mox portas claudere, arcus tendere, et sagittas in eum emittere inceperunt; quidam autem cum aliis instrumentis eum persecuti sunt. Unde factum est ut ipse a quodam percuteretur, et etiam equus suus et quidam de suis a sagitta volante, in tenebris, quia prope noctem erat, graviter læderentur. Tunc quidam [e][1] suis, relicto eo, fugerunt.

The bishop orders the staff to be borne before him.

A riot in the town.

The bishop and his retinue roughly treated.

Hugo Calverle reddit vicem Francis.

The earl of Salisbury and Sir Richard (Guiscard) d'Angoulême sent to arrange a truce with the French.

Sub eisdem diebus missi fuerant in Franciam dominus comes Salesburiæ et dominus Ricardus de Angolismo, ad tractandum de pace, sive saltem de treugis duorum vel amplius annorum; sed obtinere non poterant treugas amplius quam ad mensem, quas[2] iidem

[1] *e*] om. H.

[2] *mensem quas*] mentem suas, H.

nuncii penitus respuerunt. Dumque moram traherent in Francia circa prædicta, arbitrati sunt quidam de Doveria, quod salvo possent pertransire Calesiam; acceptaque navi, circiter quinquaginta viri navigare cœperunt. Sed[1] mox a Gallis[2] intercepti occisi sunt, præter duos homines et totidem mulieres, videntibus[3] Calesientibus sed non valentibus opem ferre. Dominus autem Hugo Calverle, pro tunc Calesiæ capitaneus, graviter ferens tantam injuriam factam nobis, præcipue tempore quo de pace tractabatur, assumptis quibusdam secum de expeditis hominibus suis, statuit pacis turbatoribus respondere vicem Francis. Factaque equitatione in terram Francorum, occidit ex eis magnam multitudinem, abducens secum magnam vim ovium[4] et armentorum. Nuncii vero in Angliam revertentes nihil reportavere, nisi belli rumores.

A.D. 1377. Some English crossing from Dover to Calais are destroyed by the French.

In revenge, Sir Hugh Calverley makes a raid from Calais.

De conflagratione quarundam[5] *domorum in braseria conventus.*

Eodem anno, nocte[6] præcedente diem Sancti Yvonis, exarsit incendium, cujusdam custodis incuria, in braseria conventus Sancti Albani, parum ante pulsationem matutinarum; in quo consumpti sunt octo equi, qui in opere claustri solebant specialiter laborare.. Et non multo post, videlicet quinto-decimo kalendas[7] Junii, in villa Sancti Albani multæ domus consimili incendio multorum dispendio conflagrarunt.

Fires in the monastery and town of St. Alban's.

---

[1] *Sed*] Sin, H.

[2] Galeis, H.

[3] *videntibus*] videntibus in, H.

[4] This word has been altered, and a later hand has suggested *arcuum*.

[5] *quarundam*] quorundam, H.

[6] *nocte*] cubite, H.

[7] *kalendas*] kalendis, H.

A.D. 1377.

De benedictione virginum apud Sopwelle.

The abbat of St. Alban's consecrates three nuns at Sopwell.

In die Sancti Basilii proximo sequente, dominus abbas Sancti Albani, pontificalibus insigniis redimitus, benedixit tres virgines moniales apud cellam suam de Sopwel; usus videlicet privilegiis, sibi et successoribus suis ab apostolicis patribus præconcessis.

De Alicia Perrees, quomodo circumvenit regem in extremis, et ejus anulos est furata.

Edward III. on his death-bed.

Undecimo kalendas Junii, videlicet in vigilia Beati Protomartyris Anglorum Albani, magnificus rex Edwardus, anuli decoctus infirmitate, quod tempus sibi credimus a divina pietate concessum ad usum pœnitentiæ et redimenda peccata, pene tamen improvisus, in fata concessit. Nam, ne dicam spernens, sed negligens a Deo beneficium et, ut diximus, sibi tempus indultum, non solum seriis et opportunis suis[1] abuti adhærere voluit, sed velut semper victurus, scenicis sæpedictæ meretriculæ fabulis, quibus semper asseruit eum convaliturum et minime moriturum, fidem dedit. Itaque factum est ut, per totum illud tempus, de aucupatione, venatione, talibus quoque nugis sermocinaretur: nihil quod ad salutem pertinet; operando præter hoc, quod, ut diximus, ratione sui jubilæi in regno suo, quædam debita vel delicta indulsit incolis terræ suæ. Igitur, ut prælibavimus, repente præoccupatus die mortis suæ, contra opinionem propriam et sibi obsequentium,[2] subito præclusa voce, cœpit manifesta monstrare mortis indicia, per quæ sibi astantes, et ipsemet cognovit se proculdubio moriturum. Quid tunc Alicia Perres fecerit, quidve egerit, de facili conjicere poteris, quisquis mores meretricis agnoveris; licet nemo sit, qui velit describere facta sua. Nam

He neglects the time given him for repentance.

Sudden approach of death.

Flight of Alice Perrers after robbing the king.

[1] *suis*] suæ, H.

[2] *obsequentium*] obsequendum, H.

mox, ut præsensit regem pedem in mortis januis posuisse, fugam meditata est; sed ante recessum suum, ut cunctis manifeste monstraret se regem, non propter se, sed propter sua dilexisse, anulos, quos pro dignitate regia gestabat in digitis, de regiis manibus furtive subtraxit, ne cuiquam veniret in dubium verum fore vetus proverbium, quia nulla meretrix scrupulo caret furti. Tali modo regi valefaciens, talesque sibi pro beneficiis[1] grates rependens, se subtraxit. A.D. 1377. f. 146.

De morte regis, et his quæ contigerunt circa morientem.

Dum autem vires domino regi officium linguæ ministrarunt, sæpenominata meretrix ei assidue assidebat, ut, more canis exspectantis in mensa manus domini sui quicquam projicientis,[2] avide suscipiat ore projecta. Ita illa, si ullum emolumentum regi casu succresceret, patulis faucibus rictu indicibili, non contenta possessionum multitudine et divitiarum magnitudine, quibus rex infatuatus eam cotidie augmentabat, habebat fiduciam ut Jordanis influeret in os ejus, videlicet quod omnis regni possessio post regem sibi pro voto succederet, et ei soli pareret, tam metu regio quam divitiarum, in quibus amplius quam in Deo sperabat. Hujuscemodi occasionibus et illa surripuit regi quicquid eradere de manibus ejus posset; et ne pauperculos famulos, qui ei longo tempore servierunt, remuneraret, ut tantum regem decuit, impedivit. Sed quam ei pro meritis gratiam compensaverit suprascripsi; nihil enim præter naturam operata, quod ejus conditionis feminam decuit adimplevit. Her avarice described.

Rex vero in articulo mortis ita relictus, non solum ab ea, sed etiam a ganeonibus, tam militibus quam armigeris, qui sibi prius adhæserant, magis allecti mu- The dying king deserted by his courtiers.

[1] *beneficiis*] beneficii, H. | [2] *projicientis*] pericientis, H.

A.D. 1377. nere quam amore, pene sine consolatore remansit—consolatore, dico, qui circa salutem animæ suæ vellet
A priest out of pity attends him. aliquid consultare. Affuit tunc inter mille solus quidam presbyter, dictus [1] qui sollicitabatur circa salutem suam. Hic, condolens miseriæ regiæ et dolore cordis tactus intrinsecus, eo quod inter tot consiliarios, quos habuerat, nullus erat qui vellet serere verba vitæ, accessit audaciter ad eum, et monuit ut oculos tam cordis quam corporis levaret ad Deum, postulaturus cum gemitu Ejus misericordiam, cujus majestatem novit se
The king makes a last effort to pray. graviter offendisse. Rex autem sacerdotis monitis mox acquiescens, quamquam parvo ante vocis organo caruisset, tamen resumptis viribus, omni [2] nisu nitebatur loqui quod habebat in mente; et, tam pro debilitate corporis, quam contritione cordis, interrupta a singultu oratione, et verbis vix semiplene prolatis, "Jesu," ait, "miserere!" Et hoc postremo verbo conclusit omnia verba sua. Æstimo possibilitatem proferendi hoc verbum sibi a Deo concessam, ne ipse expers divinæ misericordiæ crederetur, qui semper dum vixit novit suis subditis misereri. Pium est etiam ut credamus eum misericordiam consecutum, quia, etsi ad horam quibusdam vitiis seductus sive superatus fuerit, tamen benignæ mentis affectio magna et spectanda innocentia, quæ coaluit secum ex utero matris, ejus misericordia et abundans [3] contritio ante mortem, ha-
Proofs of his repentance. He repulses Alice Perrers. bita sunt ei in salutem. Quod contritus exstiterit clare patuit pridie ante mortem suam; nam cum non nominanda meretrix, ut solebat, secum auriculari voluisset, ut forsitan eum ejus specie sive blanditiis demulceret, ipse contra opinionem ejus repente renuit oblectamenta sua, "Nihil est," inquiens, "quod tu facis; non expedit "quod molieris." [4] Et cum indignatione non solum, ut creditur, personæ suæ, sed etiam pertæsus pristinæ

[1] Blank in H.
[2] *omni*] a omni, H.
[3] *abundans*] abundantia, H.
[4] *molieris*] melioris, H.

vitæ suæ, cum gemitu gyrabat latus suum, vertens se ab ea. A.D 1377.

Prætulit et alia pœnitentiæ[1] et devotionis signa; supramemoratus nempe sacerdos, de ejusdem contritione cupiens certiorari, hujuscemodi monita dedit illi. "Scitis," ait, "amantissime domine, quod sæpius "et sine causa vestrum exacerbastis populum naturalem, transgrediendo tam leges Dei quam vestras, "ad quas servandas in coronatione vestra constrinxistis vos publico juramento. Et ubi unicuique suum "jus restituere debuistis, acceptor personarum effectus, "inter virum et virum justitiam non fecistis. Petite "igitur misericordiam miserentis Dei, et quia vox "vestra non suppetit, erigite oculos ad Deum hominis "utriusque, ut possimus vos cernere pœnitentem et "misericordiam flagitantem." Mox ille tam oculos quam manus suas erexit ad cœlum, protractis ab imo suspiriis, pœnitentiæ videlicet suæ signis. Iterum idem sacerdos admonuit ut, quoniam suos[2] famulos injuste quandoque molestaverat, pœniteret, et peteret misericordiam eorundem,[3] et faceret signa superius memorata. Quæ et devote fecit. Iterum ait, "Quia certum "est multum contra vos quosdam ex vestris hominibus deliquisse, remittite ex corde unicuique quod "in vos peccavit, et recipiatis eos in gratiam vestram plenam, sicut jam cupitis apud Deum plenam[4] "gratiam invenire." Qui extendens manum a parte monstravit se ex corde unicuique remisisse. Tunc sacerdos, allata cruce Dominica, "Hæc est," inquit, "imago Domini nostri Jesu, qui pro nobis[5] pati dignatus est, ut nos suæ gloriæ compararet. Adorate "eam, et deprecemini ut Christus, pro sua passione, He is exhorted by the priest.

[1] *pœnitentiæ*] penitentis, H.

[2] *suos*] suo, H.

[3] *et . . eorundem*] This sentence is written below, after "quia certum "est multum," in the MS. Harl. Its right position would appear to be as it is here printed.

[4] *plenam*] penam, H.

[5] *nobis*] vobis, H.

A.D. 1377. " vestram suscipiat pœnitentiam, et remittat vobis cle-
" menter omnia peccata." Qui illico suscepit crucem in manibus, et cum lacrimis atque gemitu admovit ori suo, devotissime illam deosculans et adorans. Et
He expires. post modici temporis intervallum reddidit spiritum suum Deo.

De nova fraternitate apud Sanctum Albanum, quæ non diu duravit.

A new fraternity at St. Alban's. Die et anno supradictis, in villa Sancti Albani, nova fraternitas, adinventa in honorem protomartyris Anglorum Albani, devotionem multum laudabilem et commendabilem inchoavit. Nam statuit, et quotiens martyr prædictus de consuetudine portaretur, ut singuli, qui excusationem de eadem fraternitate non haberent, adessent in secta sua; et ut valentiores eorum factos de eorum sumptibus duodecim torticios circa martyrem in processione, ad honorem ejusdem martyris, deportarent. Sed non diu duravit ista devotio; quia mox, ut supervenit regni commotio et vulgaris insurrectio, demonstraverunt se non Sancti Albani fratres fuisse, sed synago-
f. 146 b. gam[1] Sathanæ exstitisse, ut claruit per illorum affectus
Its members afterwards take part in the riots. et universos actus, quos[2] illo tempore ipsi gerebant. Nempe ipsi dominium abbathiæ repellebant, domos et clausuras dirimebant,[3] et omnibus modis, quibus poterant, excidio monasterii imminebant; non solum ipsimet hæc perpetrantes, sed et vicinas villas ad eadem facienda flagitia invitantes, prout lector in sequentibus plenius reperire valebit.

Londonienses invitant regem futurum venire Londonias.

The Londoners send a deputation to Richard. Eodem die, scilicet in vigilia Sancti Albani, Londonienses, cognito quod rex absque dubio moreretur, miserunt de valentioribus civibus ad Kingestone, ubi tunc morabantur tam[4] Wals. Hist i. 329.

[1] *synagogam*] sinagoga, H.
[2] *actus, quos*] auctus quo, H.
[3] *dirimebant*] dirmebant, H.
[4] *tam*] tanta, H.

Wals. Hist. i. 329.

principissa quam princeps, ut civitatem et cives recommendarent eisdem. Johannes vero Philipot, Londoniarum civis, facturus verba pro concivibus, orationem hujuscemodi inchoavit, A.D. 1377.

Speech of John Philipot.

" Nova afferimus, excellentissime domine, quæ sine magno " mœrore referre non possumus, de morte indubitanter immi- " nente invictissimi nostri regis Edwardi, qui[1] nos et regnum " istud, ut ita dicam, per multa secula in tranquilla pace " custodivit et rexit, et jam, manifestis in eo mortis signis " apparentibus, desinit esse rector noster. Unde rogamus, " ex parte civium et civitatis Londoniensis, ut habeatis recom- " mendatam erga vestram reverentiam civitatem nostram, " cameram scilicet vestram, qui in proximo eritis noster rex, " quem solum regem recognoscimus; cujus solius subjicimur " imperio, flectemur arbitrio, parituri summo dominio, famula- " bimur[2] tam personæ quam verbo. Et, ut cetera exsequamur[3] " nostræ legationis nuncia, noverit vestra reverentia civita- " tem nostram indicibiliter perturbari, eo quod vestram præ- " sentiam elongastis ab ea, quæ tantum vobis noscitur esse " devota, ut non solum parata sit bona sua temporalia, sed " etiam, si necesse sit, pro vobis impendere vitam suam. " Igitur ad vestram præsentiam accessimus, precaturi ut ibi- " dem, tam ad consolationem civium quam vestri securitatem " et solatium, morari velitis. Deprecamur insuper, princeps " illustrissime, ut discordiæ,[4] quæ inter cives nostros et domi- " num nostrum, ducem Lancastriæ, nuper quorundam simul- " tatibus orta est, nullorum quidem commodo, sed plurimorum " dispendio, finem imponere dignemini, ipsi duci et nostris " civibus fructuosum."

Et his similibus ab eo prolatis,[5] responsum est a principe et suo concilio, quod satageret in omnibus eorum satisfacere voluntati. Et hoc modo dimissi, læta nuncia suis civibus retulerunt.

De pace facta inter ducem et Londonienses.

The new king sends a message to London.

In crastino, qui est dies Sancti Albani, missi sunt Londonias, ex parte regis, dominus Latimer et dominus Nicholaus Bonde, necnon dominus Simon Burle, et dominus Ricardus Aderby,[6] qui nomine domini regis novi salutaverunt cives,

[1] *qui*] et qui, H.
[2] *famulabimur*] famulabimus, H.
[3] *exsequamur*] exequamus, H.
[4] *discordiæ*] discordiam, H.
[5] *prolatis*] peroratis, W.
[6] *Aderby*] Followed by a space, H.

A.D. 1377. (nam, ut diximus, dominus rex Edwardus die obiit præcedente,) et retulerunt eis tristia de morte regis antiqui, et læta[1] de indole regis novi; qui videlicet eos et eorum civitatem se dilecturum promisit, et ad eorum urbem fore venturum, ibique, ut petierant, moraturum. Exsequentes et alia regis novi mandata, dixerunt dominum regem pro eis ad ducem verba fecisse, et quod dominus dux se in omnibus voluntati regis in hac causa submisit; quapropter esse voluntatis regiæ, ut eodem modo et ipsi se submittant, et dominus rex elaborabit ut pax inter eos firmetur, ad honorem civium et commodum civitatis. Cives vero, de tali forma pacis territi, responderunt se hanc rem nullo modo facturos; præcipue quia noverunt regem puerum et infirmum ad patrocinandum eis in tanto motu, et quod non per eum, sed per eorum adversarios et inimicos capitales, eorum causa ventilaretur, et eorum arbitrio punirentur, si regis mandatis in hoc articulo consentirent. Tandem, post tractatum habitum inter eos super isto negotio per sex horas et amplius, in hanc sententiam convenerunt, ut si iidem milites vellent se civibus obligare, quod eorum submissio in nullius civium dampnum temporale, vel dispendium corporale, seu in civitatis eorum præjudicium, resultaret, regiis libenter jussionibus acquiescerent. Milites autem supradicti, et regiis votis satisfacere et civium paci studentes consulere, sub sacramento fidelitatis suæ militiæ spoponderunt eis, non ad præjudicium, ut prætactum est, sed ad commodum eorum fore, si se regi submitterent, sicut se submiserat prius dux.

Wals. Hist. i. 330.

He proposes to reconcile the duke of Lancaster and the citizens.

The citizens submit to the king.

Hac securitate percepta, cives versus Schene, manerium regium, iter carpunt, ubi repererunt novum regem et ejus matrem, ducemque Lancastriæ et fratres suos, regis filios, ac plures episcopos, congregatos circa corpus defuncti regis. Quorum adventu cognito, rex statim eos accersiri jussit; qui, ut prius, deprecati sunt eum de adhibenda diligentia sua pro pace reformanda inter ducem et cives, asserentes se paratos esse per omnia ad subjiciendum se regis arbitrio, non quasi qui delictum aliquod fatentur se fecisse contra ducem, sed quasi qui pro bono pacis, et honore tam regis quam ducis, ad leniendum corda, et ad commitigandum indignationem utriusque, advenerunt in hac vice.

The duke agrees to the peace.

Dux vero videns eos sub tali forma regi submisisse, quamquam, ut dicebatur, alia in mente volveret, timens tamen, si renueret istam formam pacis, quod non perve-

[1] *læta*] lecia, H.

niret in posterum ad tanti conditionem honoris,[1] corruit ad pedes regis, deprecans ut susciperet causam suam sub forma quam Londonienses expresserunt, et rogans ut hi, qui incarcerati fuerant propter aliquod dedecus sibi illatum, regis gratia laxarentur; si qui vero judicio aliquod membrum vel vitam propter hujuscemodi causam forent perdituri, ut rex eis, ex sua gratia, vitam redonaret et membra. A.D. 1377.

Ipse etiam dux condonavit civibus quicquid contra eum in aliquo deliquerunt, et recepit eos in plenam gratiam suam, præsente rege, affirmans cum juramento se futurum eorum amicum et eorum commoditatibus invigilaturum, sicut suis propriis. Et, in signum non fictæ pacis, osculatus est ibidem omnes et singulos coram rege; sicque sunt cum pace cives in sua dimissi. Qui revertentes Deum in suis collaudavere mirabilibus, et beato Anglorum protomartyri Albano gratias reddiderunt, eo quod ejus passionis die ista pax contra spem sit facta; cujus orationibus in instanti necessitate se fatebantur adjutos; cujus etiam patrocinium in hac causa perante devotissime implorarunt. Nam quis crederet ducem [2] hodie, sine manifesto miraculo, ad tantam humilitatem posse perduci, ut [3] qui parum ante centena vini dolea, infinitam vim pretiosorum lapidum, cum magno fastu a civibus, pro sua gratia obtinenda, poposcerat, jam repente effectum humiliorem civibus in tantum, ut ipse non aliquid peteret, sed prior eosdem in benedictione et gratia præveniret, et offensas contra eum delinquentium condonaret? Profecto adimpletur in hoc loco quod psalmista dicit, "Hæc est mutatio dextræ Excelsi." [3] f. 147.

---

[1] *quamquam . . . honoris*] This passage has been erased in R., and replaced by the following, "Hac "submissione civium nimium de- "lectabatur, rancorem omnem de- "ponens animi, et velut amplectens "corditer præmissam Londonien- "sium humiliationem spontaneam."

[2] *ducem*] cujus heri potestati subjecta fuerat tota tellus, added in R.

[3] *ut . . Excelsi*] om. R.

A.D. 1377. The reconciliation publicly proclaimed.

Feria autem sexta proximo sequente dux et communes civitatis Londoniensis ad Westmonasterium convenerunt, ubi præconis voce proclamata est concordia ista et pax inter ducem et cives. Quo facto, omnes gaudentes ad propria recesserunt.

Ut rex juvenis facit pacem inter multos, et solvit a carcere Petrum de la Mare.

Richard reconciles the duke and the bishop of Winchester.

Rex vero juvenis, ex innata sibi bonitate, pacem inter subjectos suos ubique cupiens, ingressu[1] suo ducem et episcopum Wyntoniensem reduxit ad pacis concordiam et unitatis. Sed et ubicumque cognovit in regno suo aliquod exortum fore dissidium, querelas in manu suscepit, promittens se utrobique facturum finem commodum et fructuosum. Felix auspicium in tantæ ætatis puero, ut ipse, nullo impellente, sollicitaretur circa pacem ; nullo docente, sciret pacem populo suo prodesse !

Release of Peter de la Mare.

Nec prætereundum, quod mox ut insignitus est nomine regio, dominum Petrum de la Mare, qui, ut supradiximus, in castello de Notingham in libera custodia tenebatur,[2] inde liberare studuit.[3] Et, ut tutior esset omnino contra suos æmulos, per patentem remisit et relaxavit eidem omnia, quæcumque nomine regis possent ab eo exigi, vel eidem imponi. Qui mox, gratias facturus regi, iter maturavit ad illum.

His welcome by the people.

Videres populum per civitates et vicos cum summo gaudio egredi in occursum ejus, et non minori plausu quam olim Beato Thomæ, ab exsilio revertenti, dicere,

---

[1] *ingressu*] in ingressu, R.

[2] *tenebatur*] pecunia Aliciæ Perres, is written in the margin, and is probably intended to be inserted in this place.

[3] *ut supradiximus . . studuit*] pro fidelitate sua erga regem et regnum, in parliamento facto apud Westmonasterium ultimo anno regis Edwardi prædicti, qui pro tunc erat miles pro communitate electus, cum nollet taxis in dicto parliamento petitis consentire, ad castellum de Notyngham, ibidem incarceratus, in tuta custodia tenebatur, deliberare studuit, R.

"Benedictus, qui venit in nomine Domini!" Londoni- A.D. 1377.
enses autem et ipsi eum suscipientes, alacriter in donis variis et exenniis respexerunt.

Villa de Rye capitur et incenditur per Gallicos.

In festo Apostolorum Petri et Pauli, Gallici in aurora, cum quinquaginta navibus majoribus et minoribus, invaserunt villam de Rya, ad numerum quinque millium; et modico labore villam ceperunt, quamquam villani, ex confidentia virium suarum, statuissent et firmiter promisissent, quod nullus a dicta villa bona sua mobilia elongaret, ut saltem amore rerum temporalium animosius persisterent in conflictu. Qui tamen effecti similes filiis Effrem, intendentes et mittentes arcum,[1] conversi sunt in die belli. Unde contigit eorum vecordia villam prædictam capi, cum omnibus bonis suis. The French take Rye.

Abbas autem de Bello, audito rumore tam flebili, adunatis expeditis hominibus suis, consilium habuit, ut arceret eos a depopulatione et deprædatione villarum et agrorum, et ne eis pateret aditus in patriam, vel liceret[2] longius evagari. Cumque noctem circa talia duxisset insomnem, quibusdam ex inimicis pabulatum exeuntibus, unus captus fuit per unum de servientibus abbatis de Bello. Qui requisitus ab abbate de Francorum proposito, dixit quod proposuerunt custodisse dictam villam per decem dies. Abbas autem[3] de Bello, præcavens ne plura dampna villis eis vicinis, et supra mare positis, irrogarent, transtulit se et suos ad villam de Winchelsee, [quæ situata est juxta villam de Rya; quam villam, ut dictus captivus retulit, eadem die proposuerunt hostiliter invasisse. Sed cum vidissent abbatem et suos in dicta villa de Wynchelsee][4] adunatos, The abbat of Battle defends Winchelsea.

[1] Cf. Psalm lviii. 9.
[2] *vel liceret*] om. R.
[3] *autem*] om. R.
[4] Om. H.; supplied from R.

A.D. 1377. The French burn Rye and retire.

desperantes de ulteriori progressu in patriam, cœperunt incendere villam de Rya ex omni parte; et infra quinque horas eam totaliter in cineres redegerunt, cum ecclesia quæ ibidem mirandæ pulchritudinis habebatur. Quatuorque de ditioribus captivis abductis, de villanis occiderunt sexaginta sex, non amittentes de Francorum numero ultra octo. Postquam, ut diximus, incendissent villam de Rya, modicum ante solis occasum redierunt ad naves, quadraginta duo dolia vini, quæ ibidem repererunt, secum suis navibus transportantes; et ita locum illum desolatum relinquentes, se, cum præda quam ceperant, alto pelago commiserunt.

De indignatione Londoniensium contra Robertum Belknappe justiciarium.

Preparations for the coronation.

Per eosdem dies rex Londoniis suam præsentiam exhibuerat, recordatus promissi sui; quem cives in donis variis liberaliter respexerunt, a quo etiam meruerunt cum honore quo decuit salutari. Et non multo post, dominorum et magnatum universali decreto, statutus est dies coronationis regiæ, videlicet septimo-decimo kalendas Augusti; ad quam invitantur tam ecclesiastici quam seculares viri, ut tantum officium veneratione debita peragatur.

Interim proceres, ad quos, ex avito[1] jure, in coronatione regia aliqua spectabat administratio, decerni sibi sua officia petierunt. Judices autem,[2] habito respectu ad uniuscujusque jus hereditarium, ne lis aliqua oriretur in die tantæ solemnitatis, prudenter unicuique quod suum fuerat, decreverunt. Si aliqua vero talis causa
f. 147 b. pro tunc discuti non poterat, distulerunt eam usque post coronationem regiam, ordinatis certis personis qui digne tales administrationes facerent, salvo jure utriusque partis.

---

[1] *avito*] antiquo, R. | [2] *autem*] om. R.

Londonienses autem quod sui erat exegerunt, videlicet officium in pincerna. Dominus Robertus vero Belknap, [justiciarius principalis domini regis in banco communi,][1] minus circumspecte respondens dixit eis, "Domini," ait, "multa sunt in pincerna officia. Nam quibusdam incumbit haurire vina, quibusdam deferre, quibusdam delata servare, quibusdam[2] in aula circumsedentibus ministrare, quibusdam[2] autem vasa, puta urceos, ollas, ciphosque, mundare; et ideo frustra petitis decerni vobis officium, nisi specificetis illud." Cives vero, hoc audito, mox indignati responderunt, se vasa mundare non debere, qui vasa de propriis meliora ipso haberent,[3] quod in ejus capite probare vellent. Itaque, cum summa indignatione comminantes eidem, recesserunt. Occidissent eum, si in civitate potuisset postea deprehendi. Verum quia eum comprehendere non valebant, in dedecus personæ effigiaverunt simile sibi caput, et statuerunt super aquæductum in foro venalium, quod, in adventu regis et plebis, evomeret ore vinum.

A.D. 1377. The Londoners claim the duties of the office of butler, but are refused by R. de Belknap.

Magnifica regis equitatio die præcedente coronationem suam.

Die præcedente diem coronationis regiæ, magnates et plebs numerosa regni Londoniis confluxerant, ut supra taxavimus; et post horam nonam, proceres regni, cum Londoniensibus aliisque multis quos amor regis attraxerat, equis vecti sublimibus, ad Turrim, ubi pro tunc rex fuerat, properarunt. Dispositisque tunc ibidem qui præcederent et qui sequerentur, equitare cœperunt versus Westmonasterium per frequentissimos vicos civitatis. Quæ nimirum civitas tot pannis aureis et argenteis, tot holosericis, aliisque adinventionibus, quæ animos intuentium oblectarent, ornata fuerat, ut putares

The royal procession through London.

---

[1] Om. H.; supplied from R.
[2] *quibusdam*] quibus, H.
[3] *qui vasa . . haberent*] vasa . . habere, R.

A.D. 1377. te ibidem vel Cæsarianos triumphos cernere, vel Romam, ut quondam fuerat, in præcellenti decore. Tantus itaque populus adventaverat, ut eos vici celeberrimi capere non valerent, sed, ut ita dicam,

——"Gradibus evecti ad culmina crucis
" Quamplures, avidique suum cognoscere regem,
" Edita murorum longa statione coronant."

Igitur in tanta equitatione præcessere cives Baiocenses, antecedentibus in una secta tibiis et tubis,[1] et tympanis, aliisque exquisitis generibus musicorum. Hos sequebatur una de custodiis civitatis, quas wardas appellant, et ipsi in secta sua et maxima melodia. Quos sequebantur Alemanni regis stipendiarii,[2] et ipsi aliis dissimiles in vestitu. Deinde secuta est et alia custodia civitatis, priori similis in apparatu; quam sequebantur Vasconenses, et ipsi vario superioribus habituum colore fulgentes. Mox etiam cives Londonienses, qui residui fuerant, secuti sunt Vasconenses equitatione longissima, ita ut numerarentur ex eis in una secta ad tria millia et septingentos. Hos sequebantur comites et barones regni, cum suis militibus et armigeris, in amictu similes regi suo. Nam indumenta omnium erant alba; qui color profecto regis innocentiam figurabat. Capitaneus de la Bewche, cum suis, inter regem et dominos in secta sua nobiliter equitabat. Tunc Angliæ marescallus, qui pro tunc fuerat dominus Henricus Percy, et senescallus regni, videlicet dux Lancastriæ, cum militibus eisdem adjunctis, inequitantes[3] equos nobiles et prægrandes, ut viam inter turbas regi facerent inoffensam, incedebant. De quibus mirum contigit,[4] in hac equitatione adeo

Wals. Hist. i. 331.

[1] *tubis*] tubiis, H.
[2] *stipendiarii*] stipendii, H.
[3] *inequitantes*] inequites, H.
[4] *mirum contigit*] The reading of R., which is followed by W., is, " nimirum contigit quod cum fuis- " sent perante formidabiles non " solum vulgo, sed ipsis regni mag- " natibus, pro rerum affluentia et " assentatorum frequentia, in hac," etc.; nearly the whole of the passage being written over an erasure.

Wals. Hist. i. 331.

modeste se habuerunt, turbas tam modeste, tam facete, ut viæ cederent, monuerunt, ut nullum e tanta turba illo die, nec in crastino, verbo vel facto læderent quovismodo; unde contigit, ut pene totius vulgi favorem, quibus ante suspecti fuerant et odibiles, lucrarentur. A.D. 1377.

Rex autem, insidens magnum dextrarium, tantæ personæ aptum, stratumque regaliter, sequebatur illos. Cujus gladium, manibus elevatum, portabat ante eum dominus Symon Burle. Dominus quoque Nicholaus Bonde ejus frenum duxit, incedendo pedes. Regem vero sequebantur milites et coætanei sui, atque domus regiæ familiares. Nec defuit tantæ turbæ magna vis lituum et tubarum; nam turba seorsum suos tubicines præcedentes habebat, statutique fuerant per Londonienses super aquæductum, et super turrim in eodem foro, quæ in honorem regis facta fuerat, tubicines qui clangerent in adventu regis. Qui omnes simul juncti clangentes, sonum mirabilem audientibus reddiderunt. Fuit igitur dies ille dies jocunditatis et lætitiæ, dies, ut ita dicam, clangoris et buccinæ, dies diu exspectatus[1] renovationis pacis et legum patriæ, quæ jam diu exsulaverant desidia regis senis et avaritia obsecundantium sibi servorum ejus.

Ad honorem insuper regium, cives ordinaverant ut per fistulas aquæductus effluēret abundans vinum, et per totum tempus equitationis, id est, per tres et amplius horas, jugiter emanaret. Factum etiam fuerat quoddam castrum habens turres quatuor, in superiori parte fori venalium, quod Chepe nuncupatur; de quo etiam per duas partes vinum defluxit abundanter. In turribus autem ejus quatuor virgines speciosissimæ collocatæ fuerant, staturæ et ætatis regiæ, vestibus albis indutæ, in qualibet turri una; quæ adventanti regi procul aurea folia in ejus faciem efflaverunt, et propius accedenti, florenos aureos et sophisticos super eum et ejus dextrarium projecerunt. Cum autem ante castellum venisset, ciphos aureos acceperunt, et implentes eos vino ad fistulas dicti castelli, regi atque dominis obtulerunt. In summitate castelli, quæ ad modum tholi[2] inter quatuor turres elevata fuerat, positus erat angelus aureus, tenens auream coronam in manibus, qui tali ingenio factus fuerat, ut adventanti regi coronam porrigeret inclinando. Adinventa sunt illo die in civitate et alia multa in honorem regis, quæ numerare per singula longum foret. Nam singuli per vicos et plateas decertarunt, quis ei propensiorem reverentiam exhiberet. Igitur cum tanto plebis

Preparations in the city.

f. 148.

[1] *exspectatus*] expectus, H. | [2] *tholi*] toli, H; tali, W.

A.D. 1377. The king passes the night at Westminster.

civiumque tripudio, cum tanto dominorum procerumque favore[1] perductus est ad palatium regium prope Monasterium Occidentale, ubi illa nocte quievit. Wals. Hist. i. 332.

Processus de coronatione regis.

Ceremony of the coronation, 16 July.

Feria quinta, scilicet in vigilia Sancti Kenelmi regis, convenientibus archiepiscopo et episcopis, regnique proceribus, ad Westmonasterium summo mane, ordinata processione monachorum in capis, episcopi cum monachis ad ostium regii thalami pervenerunt, et paratum regem reperientes ibidem per manus qui ejus lateribus astiterunt, perduxerunt in ecclesiam Sancti Petri, cantantes antiphonam in honorem Apostoli, cum oratione competenti adjuncta, et hac oratione, "Deus, humilium "visitator, qui nos Tua misericordia consolaris, prætende super "famulum Tuum, regem nostrum, misericordiam Tuam, ut per "eum Tuum in nobis adesse sentiamus adventum." Rex vero, mox ut altare pervenit, prostravit se solotenus ante altare; pavimentum autem stratum fuit palliis et tapetis. Persecuta, ut diximus, oratione, archiepiscopus, cum episcopis qui aderant, prostravit se super pavimentum circa regem. Interim, duo episcopi letaniam devote cantarunt; qua expleta, erectus rex ductus est ad sedem suam, choro hanc antiphonam decantante, "Firmetur manus tua." Tunc episcopus sermonem fecit, de materia regis et regni, ad populum, qualiter scilicet rex se haberet in populo, et in quibus populus sibi debuit obedire.

The procession to the church, and the service.

The king's oath.

Quo completo, juravit rex coram archiepiscopo, et proceribus qui ibi aderant, quoniam ipsi soli ejus juramentum audire potuerunt, quod ecclesiam suis permitteret gaudere libertatibus, et eam et ministros ejus honoraret, et fidem rectam teneret, et rapacitates et omnes iniquitates in omnibus gradibus interdiceret. Secundo, ut leges terræ bonas ubique servari faceret, et præcipue leges Sancti Edwardi confessoris et regis, qui in eadem requiescit ecclesia; et malas leges faceret abrogari. Tertio, ut non esset personarum acceptor, sed judicium rectum inter virum et virum faceret, et præcipue misericordiam observaret, sicut sibi suam indulgeat misericordiam clemens et misericors Deus.

The king accepted by acclamation.

Quibus expletis, archiepiscopus, præcedente eum marescallo Angliæ, domino Henrico Percy, convertit se ad omnes plagas ecclesiæ, indicans populo regium juramentum, et quærens si

---

[1] *favore*] gaudio, W.

Wals. Hist. i. 333.

se tali principi ac rectori subjicere, et ejus jussionibus obtemperare vellent. Et responso a plebe altisono clamore, quod libenter sibi parere vellent, archiepiscopus regem his orationibus benedixit, videlicet; "Omnipotens sempiterne Deus, "benedic,[1] Domine, hunc regem nostrum, qui regna omnium "moderaris in[2] seculo, et tali eum benedictione glorifica, ut "Daviticæ teneat sublimitatis sceptrum, et glorificatus in ejus "propitius reperiatur merito. Da ei Tuo inspiramine, cum "mansuetudine ita regere populum, sicut Salomon fecisti reg-"num obtinere pacificum. Tibi cum timore semper sit sub-"ditus, Tibique militet cum quiete; sit Tuo clipeo protectus, "cum proceribus, et ubique, tua gratia, victor exsistat. Ho-"norifica eum præ cunctis regibus gentium. Felix populis "dominetur, et feliciter eum nationes adorent; vivat inter "gentium catervas magnanimus; sit in judiciis æquitatis sin-"gularis; locupletet eum Tua prædives gratia; frugiferam ob-"tineat[3] patriam, et ejus liberis tribuas profutura. Præsta ei "prolixitatem[4] vitæ per tempora, ut in diebus ejus oriatur "justitia; a Te robustum teneat regiminis solium, et cum "jocunditate et justitia æterno glorietur in regno." Ista præmissa benedictio post primam orationem, ad[5] modum præfationis, ab archiepiscopo cantabatur. Qua cantata, dicta est et alia oratio super eum, scilicet, "Deus ineffabilis," cum antiphona, "Confortare, et esto vir fortis," etc. A.D. 1377. Blessings invoked.

Tunc archiepiscopus accessit ad eum, et vestimenta sua discindens manibus suis a summo[6] usque ad imum, exuit eum, præter camisiam, vestimentis suis. Custodes vero Quinque Portuum ex officio, tam in processione quam in unctione et missa, et, post missam, dum iret ad palatium ab ecclesia, semper tenuerunt super eum umbraculum sericum magnum, coloris aerii, quatuor hastis per quatuor angulos colligatum. Sed non obstante umbraculo supradicto, mox antequam archiepiscopus eum suis vestibus exuisset, allatus est pannus aureus a comitibus, sub quo latuit, dum unctionis perciperet sacramenta. Archiepiscopus, ut diximus, eo nudato, unxit manus ejus de oleo sanctificato, dicens, "Ungantur manus istæ de "oleo sanctificato, unde uncti fuerunt reges et prophetæ, et "sicut unxit Samuel David in regem; ut sis benedictus et "constitutus rex in regno isto, super populum istum, quem "Dominus Deus tuus dedit tibi ad regendum et gubernandum." Ceremony of anointing.

---

[1] *benedic*] et benedic, H.

[2] *in*] a, H.

[3] *frugiferam obtineat*] fructiferam habeat, W.

[4] *ei prolixitatem*] dei proplexitatem, H.

[5] *ad*] de, H.

[6] *a summo*] et a summo, H.

A.D. 1377. Item, "Prospice, Omnipotens Deus." Post hæc, unxit archi- Wals. Hist. i. 334.
episcopus caput ejus, et pectus et scapulas, ambasque compages
brachiorum, dicens, "Ungantur caput istud, pectus, et sca-
" pulæ, et compages brachiorum, de oleo sanctificato," etc.,
ut supra. Et interim, chorus cantavit antiphonam, " Unxerunt
" regem Salomonem in Gyon Sadoch sacerdos et Nathan pro-
" pheta, et ascendentes læti dixerunt, 'Vivat rex. Alleluia.'"
Postquam [1] subjunxit metropolitanus, "Deus, Dei filius, Jesus
" Christus, Dominus noster, qui a Patre oleo exaltationis
" unctus est [præ][2] participibus suis, ipse per præsentem
" sacri unguinis infusionem Spiritus Paracliti super caput tuum
f. 148 b. " infundat benedictionem, eandemque usque ad interiora cordis
" tui penetrare faciat; quatenus hoc visibili et tractabili dono
" invisibilia percipere, et, temporali regno justis moderamini-
" bus exsecuto, æternaliter cum eo regnare merearis." Ar-
chiepiscopus cum episcopis, mox finita oratione, "Veni Creator,
" Spiritus," inceperunt, rege interim prostrato in longa venia,
et circa eum metropolitano cum suis suffraganeis.

Investment with St. Edward's tunic; Expleto hymno, erectus est rex ab archiepiscopo, et indutus
est primo tunica Sancti Edwardi, et post eandem dalmatica,
projecta circa collum ejus stola, archiepiscopo orationes com-
petentes interim prosequente. Post hæc, archiepiscopus, cum
the sword; episcopis, tradidit ei gladium, ita dicens, "Accipe gladium,
" per manus episcoporum, licet indignas, vice tamen et auc-
" toritate sanctorum Apostolorum consecratas, tibi regaliter
" impositum, nostræque benedictionis officio in defensionem
" sanctæ ecclesiæ divinitus ordinatum; et esto memor de quo
" Psalmista prophetavit, dicens, 'Accingere gladio tuo super
" 'femur tuum, potentissime;'[3] ut per eundem vim æquitatis
" exerceas, molem iniquitatis potenter destruas, et sanctam
" Dei ecclesiam ejusque fideles propugnando protegas; nec
" minus sub fide falsos[4] quam Christiani nominis hostes exse-
" creris ac destruas, viduas et pupillos clementer adjuves ac
" defendas, desolata restaures, restaurata conserves, ulciscaris
" injusta, confirmes bene disposita; quatenus hæc in agendo,
" virtutum triumpho gloriosus justitiæ cultor egregius, cum
" mundi Salvatore, cujus typum geris in nomine, sine fine
" merearis regnare." Tunc duo comites[5] eum gladio accinxe-
the bracelets; runt; quo facto, archiepiscopus armillas dedit ei, dicens,
" Accipe armillas,[6] sinceritatis et sapientiæ divinæque cir-
" cumdationis indicium, quibus intelligas omnes operationes

---

[1] *Postquam*] Post hæc, O.
[2] *præ*] Added by a later hand, H.
[3] Psalm xlv. 3.
[4] *falsos*] falsus, H.
[5] *comites*] comites ex officio, O.
[6] *armillas*] armilla, H.

Wals. Hist. i. 335.

" tuas contra hostes, visibiles et invisibiles, posse esse mu- A.D. 1377.
" nitas." Postea induit eum archiepiscopus regali pallio, ita the robe;
dicens, "Accipe pallium quatuor initiis[1] formatum, per quod
" intelligas quatuor mundi partes divinæ potestati esse sub-
" jectas, nec quemquam posse feliciter regnare in terris, nisi
" cui potestas regnandi fuerit collata de cœlis."

Interim, dum archiepiscopus benedixit coronam regiam, duo comites eum calcariaverunt, ad quorum officium pertinebat. the spurs.
Benedicta corona, archiepiscopus imposuit super caput ejus, The king crowned.
dicens, " Coronet te Deus corona gloriæ atque justitiæ, honore
" et opere fortitudinis, ut per officium nostræ benedictionis,
" cum fide recta et multiplici bonorum operum fructu, ad
" coronam pervenias regni perpetui." Tunc dedit ei archi- Investment with the ring;
episcopus anulum, cum his verbis, " Accipe anulum regiæ
" dignitatis, et per hunc vitæ catholicæ fidei signaculum, quia
" ut hodie ordinaris caput et princeps regni ac populi, ita
" perseverabis auctor et stabilitor Christianitatis et Chris-
" tianæ fidei, ut felix in opere, locuples in fide, cum Rege
" Regum glorieris."

Statim post hæc, accessit dominus de Furnevale, ex officio the sceptres.
offerens ei rubeam chirothecam,[2] quam archiepiscopus benedixit,
et imposuit manui regiæ, dans ei sceptrum his verbis, " Ac-
" cipe sceptrum, regiæ potestatis insigne, virgam scilicet[3] regni
" rectam, virgam virtutis, qua teipsum bene regas; sanctam
" ecclesiam, populum videlicet Christianum tibi a Deo com-
" missum, regia virtute ab improbis defendas, pravos corrigas,
" rectos pacifices, et, ut viam rectam tenere possint, tuo juva-
" mine dirigas, quatenus de temporali regno ad æternum
" regnum pervenias." Tunc dedit ei archiepiscopus virgam
in alia manu, habentem in summitate columbam; nam sceptrum quod susceperat, consurrexit de rotundo globo aureo,
quem tenebat in manu chirothecato,[4] et habebat in summitate
signum crucis. Et accepit virgam prædictam cum his verbis,
" Accipe virgam virtutis et æquitatis, qua intelligas te mul-
" cere pios et terre[re reprobos];[5] errantes viam doce, lap-
" sisque manum porrige; disperdasque superbos et releves
" humiles, ut aperiat tibi ostium Jesus Christus, Dominus
" noster."

Post hæc, benedictus est rex ab archiepiscopo, ita dicente, The blessing.
" Benedicat tibi Deus, custodiatque te; et sicut te voluit
" super populum suum esse regem, ita in præsenti seculo

[1] *initiis*] nunciis, W.
[2] *chirothecam*] serotecam, H.
[3] *scilicet*] solio, H.
[4] *chirothecato*] serotecato, H. O.
[5] *terrere reprobos*] om. H.

A.D. 1377. " felicem et æternæ felicitatis tribuat[1] esse consortem." His ita peractis, osculatus est rex episcopos omnes et abbates; a Wals. Hist. i. 336.

The enthronement. quibus statim postea honorifice ductus est ad regale solium, episcopis inchoantibus hymnum, "Te Deum laudamus." Finito hymno, archiepiscopus ita eum allocutus est, " Sta et retine " amodo locum, quem hucusque paterna successione tenuisti " hereditario judicio,[2] tibi delegatum per auctoritatem Dei " Omnipotentis, et præsentem traditionem nostram, scilicet " omnium episcoporum, ceterorumque Dei servorum; et quanto " clerum sacris altaribus propinquiorem prospicis, tanto ei " potiorem in locis congruis honorem impendere memineris; " quatenus mediator Dei et hominum[3] te mediatorem plebis " in hoc regni solio confirmet, et in regnum æternum regnare " faciat Jesus Christus, Dominus noster."

Quid actum sit in missa.[4]

The mass. His rite peractis, inchoata est missa congruens coronationi regiæ, cujus officium fuit, "Protector noster, aspice, Deus, et " respice in faciem christi Tui, etc.;" Epistola, "Subjecti " estote omni humanæ creaturæ propter Deum, etc.;" quam legit episcopus Wigorniensis; Responsum, "Dirigatur, " Domine, oratio mea;" Alleluya, "Domine in virtute;" Evangelium, "Abeuntes[5] Pharisæi;" Offertorium, "Intende " orationi meæ, Rex meus;" Post-communionem, "Vovete " et reddite Domino Deo vestro."

The offering. Lecto Evangelio missæ ab episcopo Eliensi, rex de regali solio ductus est ad offerendum. Primo igitur obtulit archiepiscopo gladium quem susceperat, et postea aurum, quantum placuit, sed non minus marca, propter consuetudinem; nam f. 149. plus potest offerre, si placuerit, Deo et Sancto[6] Petro. Post Communion. oblationem pecuniæ, obtulit archiepiscopo[7] panem et vinum, ad modum monachorum, unde postea, tam metropolitanus quam Ransom of the sword. ipse rex communicati fuerunt. Quo facto, comes ,[8] ad cujus officium pertinebat portare gladium coram rege, gladium quem obtulerat, dato pretio, redemit, et assumens eum Confession and absolution. portabat coram illo. Percelebrata missa usque ad communionem, reductus est rex ad altare ab ,[8] et genu flexo

---

[1] *tribuat*] tribuas, H.
[2] *judicio*] O; judico, H.
[3] *hominum*] spmi, H.
[4] Missa coronationis. Title in O.
[5] *Abeuntes*] Alloquentes, H.
[6] *Sancto*] beato, O.
[7] *archiepiscopo*] O. W.; archiepiscopus, H.
[8] Spaces left for the names, H.

Wals. Hist. i. 337.

coram archiepiscopo, dixit "Confiteor." Quo absoluto, communicatus est et iterum reductus ad sedem suam. A.D. 1377.

Quid agebatur[1] *tempore prandii.*

The champion appears at the gate of the abbey.

Interea præparaverat se quidam miles, nomine Johannes, cognomento Dymmok, qui clamabat se habere jus ad defendendum jura regis illo die, et etiam si opus esset duello confligendum, si aliquis præsumeret affirmare regem non habere jus in regno Angliæ; quamquam perante dominus Baldewynus Frevyle idem officium calumpniasset, sed minime obtinuisset. Iste ergo dominus Johannes memoratus circa finem [missæ][2] accessit ad valvas ecclesiæ, armatus decentissime, insidens dextrarium pulcherrime phaleratum, caput etiam in[3] pectus armatum; quem idem Johannes assumpsit de stabulo regio, utens videlicet avita consuetudine, tam in equo sumendo quam armis eligendis de thesauro regis. Nam et optimum equum præter unum, et præter unam præcipuam armaturam, facturus dictum officium eliget ad vota sua. Veniens igitur ad ostium monasterii, equitantibus[4] duobus, qui ejus lanceam et clipeum portaverunt, exspectavit ibidem finem missæ. Marescallus autem, dominus Henricus Percy, facturus viam coram rege, cum senescallo Angliæ, scilicet duce,[5] et constabulario,[6] videlicet domino Thoma Wodstok, atque fratre ejusdem marescalli, domino Thoma Percy, qui omnes magnos inequitavere dextrarios, venit ad dictum militem, dicens non debere eum ea hora venire, [sed quod][2] usque ad prandium regis distulisset adventum suum. Quapropter monuit ut rediret, et, deposito tanto onere armorum, quiesceret ad illud tempus. Miles vero, juxta consilium marescalli facturus, abcessit.[7]

The challenge deferred till the banquet.

The king returns to the palace.

Illico post decessum militis, præequitantibus regem dominis supradictis super dextrarios suos, necnon præcedente magno numero diversi generis histrionum, portatus est[8] in humeris[9] militum [10] usque ad regale palatium; ductusque[11] in cameram, et parum comedens, paulisper quievit, quia debilis fuerat præ labore.

---

[1] *agebatur*] actum sit, O.

[2] Om. H.

[3] *in*] et, O. W.

[4] *equitantibus*] præequitantibus, O. W.

[5] *duce*] duce Lancastriæ, O.

[6] *constabulario*] constabulario Angliæ, O.

[7] *abcessit*] albescit, H.

[8] *portatus est*] portatus est rex, O.

[9] *humeris*] hujus, H.

[10] Space left for the names, H.

[11] *ductusque*] ductoque, H.

A.D. 1377. Creation of four earls.

Postea veniens in aulam, creavit quatuor novos comites, antequam accessit ad mensam; dominum namque Thomam Wodstok, avunculum suum, fecit comitem Bukingham, datis sibi mille marcis annuatim de thesauro regio, donec sibi de terris tanti valoris providisset; dominum etiam Gichardum de Angolismo, quondam magistrum suum, fecit comitem Huntindoniæ, datis insuper sibi mille marcis annuis, usquequo providisset sibi de redditibus tanti valoris. Domino de Moubray dedit comitatum Notinghamiæ, et domino Henrico Percy Northumbriæ consulatum. Milites quoque fecit novem eodem die. Wals. Hist. i. 338.

The banquet.

Quibus expletis, ascendit ad mensam, ubi epulabantur cum eo splendide episcopi, comites, et barones, et innumera multitudo plebis a cunctis regni finibus congregata. Tanta etenim multitudo plebis confluxerat in illam aulam prægrandem, quod nisi dux Lancastriæ, videlicet senescallus Angliæ, et comes Bukinghamiæ, regni constabularius, et dominus Henricus Percy, marescallus, cum multis aliis, viam super equos grandes servientibus in aula fecissent, ferentes fercula ad convivas minime penetrassent. Si numerare contenderem convivii apparatum, divitias utensilium, varietatem ferculorum, forsitan lector, perculsus tantarum rerum tam pretio quam magnitudine, credere formidaret. Unum solum, quod, ad magnificentiam regiam ostendendam, fuerat ordinatum, [aliis omissis, æstimo proferendum. In medio etenim regalis palatii elevata][1] fuerat quædam columna marmorea concava, super certos gradus, cujus summitatem occupabat grandis aurata aquila, sub cujus pedibus in capitello columnæ, per quatuor partes, vina diversi generis decurrebant per totum diem coronationis regiæ; nec erat qui aliquem, vel pauperrimum virum, satis haurire vetaret.[2] Facta est hæc coronatio anno undecimo ætatis ipsius regis.

Quid actum est[3] *in crastino coronationis regis.*

A procession on the morrow.

In crastino facta est generalis processio pro rege et pace regni; cui revestiti interfuerunt omnes prælati, videlicet archiepiscopus, cum episcopis et abbatibus qui coronationi interfuerant, necnon ipse dux cum magnatibus et plebis multitudine copiosa. Ingressu[4] autem processionis concionatus[5] est

---

[1] *aliis . . elevata*] om. H.
[2] *vetaret*] vocaret, H.
[3] *est*] sit, O.
[4] *Ingressu*] In ingressu, O.; In progressu, W.
[5] *concionatus*] coronatus, H.

Wals. Hist. i. 338, 339.

ad populum episcopus Roffensis, hortans ut dissensiones et discordiæ, ortæ et diu continuatæ inter plebem et dominos, sopirentur, probans per multa argumenta hujuscemodi dissensiones Deo plurimum displicere. Hortatus est insuper dominos, ne tantis de cetero sine causa taxationibus populum apporiarent. Monuit etiam,[1] ut si causa subesset rationabilis, qua oporteret eos omnino juvare regem et regnum, ut patienter, et sine murmure atque seditionis scrupulo, facerent quod oporteret. Insuper, exhortabatur eos generaliter, qui regi puero et innocenti adhærerent, ut relictis vitiis quibus inserviebant, videlicet stupris, fornicationibus, adulteriis, ejus puritati et innocentiæ se conformare studerent; asserens hoc omnino paci patriæ opportunum, perfacileque regi a recto deviare, regnum et populum periclitari, si tales essent, qui ei sedulo et ejus consilio ministrarent. Sermone finito, domini et universi prælati ad sua secedunt.

A.D. 1377. The bishop of Rochester addresses the people.

Quid dux Lancastriæ egerit post regis coronationem.[2]

Post paucos dies videns dux, jam mortuo patre suo et novo rege constituto, cuncta nova in regno futura;[3] et metuens si aliqua sinistra contingerent regi vel regno, sibi imputarentur,[4] et pro bonis grates nullas sive modicas reportaret, accepta a rege licentia, ad sua discessit, promittens regi, si indigeret ejus adjutorio, se venturum [cum][5] abundantiori apparatu quam aliquis dominus Angliæ, ad succurrendum sibi, sive aliud faciendum, quod ejus commodo cederet vel honori. Erubuit, ut dicebatur, et doluit, quod rex ceperat de eo castellum Hertfordiæ, ubi proposuerat[6] maxime moratus fuisse; et ob hoc meremium mendicaverat,[7] ad fortificandum castellum, de singulis religiosis[8] in circuitu ejus, ad magnam profecto jacturam domorum,[9] de quibus talia postulaverat. Sed omnino non expediebat[10] ejus voluntati contraire,[11] eo præcipue tempore quo talia postulavit. Nam ut ita dicam, patre languente, ipse rex erat, et potuit quicquid voluit. Con-

The duke of Lancaster withdraws from court. f. 149 b.

He is deprived of Hertford castle, which he designed to fortify.

[1] *Monuit etiam*] Sine tam monuit, H.

[2] Dux recedit a curia. Title in O.

[3] *cuncta . . . futura*] [se non] habiturum tantam potentiam quantam habuit vivente patre, O.

[4] *imputarentur*] imputarent, H. O.

[5] *cum*] om. H.

[6] *proposuerat*] proposuerunt, H.

[7] *mendicaverat*] emendicaverat, originally written, and the *e* erased, H.

[8] *singulis religiosis*] altered into *silvarum possessoribus* in R. W.

[9] *domorum*] eorundem, R. W.

[10] *expediebat*] expedebat, H.; audebant, R. W.

[11] *contraire*] contrahere, H.

CROYDON PUBLIC LIBRARIES CENTRAL

A.D. 1377. vicere autem possumus, quod ad inæstimabilem valorem ascendit pecuniæ, quod undecumque mendicaverat,[1] per arbores quas habuit de abbate Sancti Albani in Northaga; de quo etiam, propter opinionem sanctitatis ejus, non audebat petere adeo excessive, ut ab aliis petierat convicinis. Habuit namque de eo[2] triginta quercus, pro quibus idem abbas libenter dedisset triginta libras, si fuissent stare permissæ.[3]

The council selected with his connivance.

Recessit ergo, ut diximus, a curia ad castellum suum de Kene- Wals. Hist. ligworth;[4] sed ante recessum suum, ejus conniventia ordinati i. 339. sunt qui regis hærerent concilio, [et] quodammodo tutelam haberent. Ne autem mala suspicio oriretur de ordinatis ad concilium viris regno[5] suspectis, scilicet episcopo Sarisburiensi, magistro Radulpho Ergone, et domino de Latimer, prudenter eis admiscuit viros varios,[6] scilicet episcopum Londoniensem, magistrum Willelmum Courtenay, et comitem Marchiæ, dominum Edmundum Mortimer, eisdem adjunctis nonnullis aliis, quos partim timore partim obsequiis ejus voluntati vovit per omnia parituros.[7]

Dominus Henricus Percy renunciavit officio marescalliæ, quod datum est expost Johanni de Arundelia.[8]

The earl of Northumberland

Post[9] idem tempus, marescallus Angliæ, dominus Henricus Ibid. i. 340. Percy, comes Northumbrorum, resignavit virgam officii sui,

[1] *mendicaverat*] emendicaverat, originally written, and the *e* erased, H.

[2] *eo*] se, O.

[3] *Nam . . permissæ*] om. R.

[4] Kyllyngworthe, O. W.

[5] *regno*] rꝺono, H.

[6] *varios*] bonos, O.

[7] *Ne autem . . . parituros*] This passage has been altered in R. into "Ordinati sunt autem ad concilium "viri boni, prudentes, et famosi, "dominus Willelmus de Courtenay, "episcopus Londoniensis, et domi- "nus Edmundus de Mortuo Mari, "comes Marchiæ, et quamplures "alii, de quibus opinabatur optime "plebs communis. Sed quia Sa- "resburiensis episcopus et dominus "de Latimer illis mixti fuere, mur- "muratio succrevit in vulgo:" in which form it is printed in W.

[8] Dominus Henricus Percy resignat virgam marescalciæ regi. Title in O.

[9] *Post*] Per, O. W.

asserens se non posse propriis commode rebus præesse, et tantæ gravitatis officio. Ferunt eum non ob hanc causam renunciasse virgæ, sed quia vidit dominam [1] de Segrave instare penes regem pro eodem officio, eo quod contingebat eam jure hereditario, et credidit adjudicandum illud sibi, noluit tali modo deponi, sed ratus est magis [2] honorificum cedere, nemine compellente. Cessit igitur, et ad sua discessit. Cujus loco subrogatus est dominus Johannes de Arundelia, frater comitis Arundeliæ, qui strenue Gallicis restitit, quando impetum fecerunt ad willam de Southamptone, et eos [3] viriliter arcuit ab ingressu villæ, illis ad mare fugatis.

A.D. 1377. resigns the office of marshal.

Lord John de Arundel appointed.

Wals. Hist. i. 340.

Comes Northumbriæ reddit vicem malitiæ suæ Scotis, intrans terras [4] eorum.

Prope tempus illud, ex levi quadam causa orta dissensione in nundinis apud Rokesburgh inter Anglos et Scotos, et occisis quibusdam ex utraque gente, Scoti pejus calculum reportarunt; unde in furorem versi, paulo post redeuntes ad eandem villam, duce comite de Dunbarre, et nocte eam occupantes, peremerunt cives, eorum bona diripientes infestis manibus, et villam flammis voracibus contradentes. Quibus cognitis, novus comes Northumbriæ, tactus dolore cordis intrinsecus, maxime pro morte civium de prædicta villa, statuit vindictam retribuere in hostes eorum, et auferre opprobrium terræ populi sui. Et intrans terram Scotiæ cum decem millibus hominum, prædas agit in terris comitis de Dunbare, qui auctor exstitit totius mali præscripti; et triduo donans obvia quæque flammis, post congruam ultionem inimicis repensam, reversus est cum suis omnibus in terram suam.

The Scots pillage and burn Roxburgh.

The earl of Northumberland retaliates.

Scoti capiunt T[homam] [5] Musgrave.

Post hæc modico interjecto tempore, quidam miles dominus Thomas Musgrave, custos castelli de Berwico, ductus cupidine vel transgrediendi facta comitis, vel

Sir Thomas Musgrave captured by the Scots.

---

[1] A space for the name, H. O.
[2] *magis*] majus, H.
[3] *eos*] illos, O.
[4] *terras*] terram, O.
[5] *Thomam*] dominum Thomam, O.

A.D. 1377. acquirendi sibi laudem, Scotiam cum electis militibus, sed admodum[1] paucis, intravit. De cujus adventu Scoti certificati, tetenderunt insidias venienti, et ipsum, cum valentioribus, interceperunt, paucis de valectis et garcionibus per fugam elapsis. Qua occasione Anglici bona Scotorum, ubicumque potuerunt, dantes direptioni, non modicas molestias intulerunt. Siquidem naves oneratas cum bonis mercatorum Scotiæ, ubicumque locorum, vel tempestate pulsas, vel armis captas, apprehenderunt, aut inter se diviserunt, aut regiis usibus servaverunt. Ita factum est ut Scoti illo anno ubique luerent inconsultæ temeritatis offensas.

Gallici capiunt Insulam de Vecta.

The French capture and ravage the Isle of Wight.

Et ne solum Anglis gaudia impermixta dolori contingerent, Gallici eodem anno, duodecimo kalendas Septembris, insulam, ut ita dicam, incapiabilem, capiunt, minus virtute quam astu, insulam dico de Vecta; quæ a nullo hominum fuisset captivata, si fuisset diligenti custodia conservata. Sed insulanorum male cauta securitas eis induxit exterminium, Gallicis insperatum[2] tripudium, et Anglicis opprobrium et grave dampnum. Revera,[3] Gallici ad insulam tempestate pulsi, temptaverunt irrumpere in insulam supradictam, æstimantes insulanos inscios eorum adventus; sed Vectuarios non latebat consilium Gallicorum. Quare permiserunt eos ingredi terram suam, ut, certis intromissis quibus prævalere rebantur, ceteri ab ingressu arcerentur. Sed secus accidit quam credebant. Nam, ut diximus, quibusdam intromissis, conati sunt Vectuarii adimere ceteris ingressum terræ; sed frustra, quoniam Gallici f. 150. tam abunde proruperunt, tam constanter insulanos a maris custodia repulerunt, ut jam compellerentur latebras fugiendo quærere, qui prius credebant se posse pro suæ voluntatis arbitrio Gallicos captivare. Gallici igitur, tali modo insula prædicta potiti, undique pervagantur, stragem ex incolis faciendo, villas quasdam comburendo, et incolarum substantias abradendo. Tandem ad castellum, quod in eadem insula situm est, venientes, et eam levi negotio occupare putantes, Wals. Hist. i. 340.

---

[1] *admodum*] ad commodum, O.
[2] *insperatum*] insoporatum, H.
[3] *Revera*] Honora, H.

Wals. Hist. i. 341.

invenerunt ibidem incredibilis asperitatis stimulum, dominum Hugonem Tyrel, custodem castelli prædicti; qui eis audacter prope castellum occurrens, fecit maximam stragem inter illos. Ob quam causam ab illius castelli infestatione destiterunt, et de cetero non arbitrantes tutum cohabitare tam vicino serpenti, prædam quam potuerunt ex insula collegerunt, et insulanos coegerunt extorquere ab amicis, quos habebant extra insulam, mille marcas argenti, pro salvatione domorum ab ignibus et residuo bonorum suorum. Insuper, accepto juramento de fidelitate ab eisdem conservanda, et quod non resisterent eis per circulum unius anni, quotienscumque placeret eisdem ingredi terram illam, recesserunt.

A.D. 1377. They are repulsed by Sir Hugh Tyrel.

Gallici invadunt villam de Winchelsee; nil proficiunt; et interim comburunt villam de Hastinges.

Post occupationem insulæ supradictæ, Gallici, galeias iterum repetentes, circuierunt oram maritimam, usquedum pervenerunt ad objectum villæ de Winchelse. Et cognoscentes abbatem de Bello ad illam convolasse causa custodiæ, missis nunciis, [petunt ut][1] villam redimat. Abbas vero negat se empturum quod non perdiderit; quin potius denunciat [ut][1] ab infestatione villæ desistant, sub interminatione dampni quod eis poterit provenire. Gallici, ejus responso exasperati, petunt, si bellum velit, ut singuli ex utraque parte mittantur, vel certe plures, qui, spectante utroque exercitu, congrediantur. Sed nec hanc petitionem abbas admittit, dicens se religiosum virum esse, et non[2] licere sibi hujuscemodi petitiones admittere; nec illuc belli causa, sed tuitionis et conservationis pacis patriæ, advenisse. His auditis, Gallici æstimantes animum abbati suisque deesse, mox admotis instrumentis bellicis, scilicet missilibus quorum copia fruebantur, villam acriter infestabant, pugnantes a nona usque ad vesperum; sed abbatis, et eorum qui cum ipso erant, laudabili probitate minime profecerunt. Interim, dum pugnant ibidem, mittunt partem navium ad villam de Hastinges; quæ reperientes villam pene vacuam, combusserunt eam. Gallici vero, videntes se nil prævalere apud Winchelse, recesserunt.

They make a descent on Winchelsea, and are repulsed by the abbat of Battle.

They burn Hastings.

[1] Om. H.

[2] *non*] n^cn, H.

A.D. 1377.

Gallici pugnant cum priore de Lewes, quem cum aliis capiunt [*et*] *abducunt.*

They carry off the prior of Lewes.

Eodem anno Gallici intraverunt ad villam de Rotyngdene, sitam prope villam de Lewis, ubi obviavit eis prior de Lewis, cum parva manu; et superveniente copia Gallicorum, captus est, ductusque est ad naves eorum, cum duobus militibus qui sibi adhæserant, videlicet, domino Johanne de Fallesle et domino Thoma Cheyne, et uno armigero, cujus nomen erat Johannes Brokas. Quidam autem armiger, qui diu fuerat in obsequio prioris de Lewis, natione Gallicus, tam viriliter, tam animose, pugnavit ibidem contra Gallicos, donec effunderentur ejus viscera ad pedes suos; et ipse, insequendo hostes, quod est dictu horribile, ea per grande spatium post se primo protraheret, tandem omnino relinqueret. Defuerunt autem in illo conflictu ex Anglicis prope centum. Wals. Hist. i. 342.

Words of a French prisoner concerning the duke of Lancaster.

Eodem[1] die captus est quidam de exercitu Gallicorum, qui in articulo mortis suæ (nam antequam caperetur fuit letaliter vulneratus,) affirmavit, si Anglici fecissent ducem Lancastriæ regem suum, non fuissent hoc anno per Gallicos infestati.[1]

De responso comitis Arundelliæ.

Lewes castle left undefended by the earl of Arundel.

Comes de Arundel, Ricardus, cernens tot irruptiones in terris suis in Southsexia fieri per Gallicos, dimisit castellum de Lewis apertum, pene sine [custode,][2] et fugit meticulose ab illa provincia. Petentibusque hominibus suis de Lewis adjutorium, respondit non habituros ab eo, nisi conducant propriis sumptibus quos ipse destinaret in succursum eorum; eo namque pacto dixit se velle eis mittere auxiliarios, scilicet lanceas quadringentas.

Quid dux Lancastriæ in his omnibus egerit sive dixerit.

The duke of Lancaster follows his example at Pevensey.

Dux Lancastriæ, comitis secutus exemplum, reliquit castellum suum de Pellisexe apertum sine custode. Et[3]

[1] *Eodem . . infestati*] This passage is carefully erased in R.

[2] Supplied from R.

[3] *comitis . . . Et*] Altered in R. into "habens quoddam castellum, "dictum castellum de Peveneseye, "in illis partibus."

cum peteretur ab hominibus suis mittere illuc custodiam, ne locus occuparetur a Gallicis, nihil respondit præter istud solum, (verba sua dicturus sum,)[1] "Destruant," ait "illud funditus, potestatem habeo iterum "reædificare illud." Ipse autem dux, dum hæc omnia agerentur, in partibus borealibus jocis et venationibus indulsit, magnam[2] hominibus terræ præbens de se obloquendi materiam. Consideret sapiens lector hujus comitis atque ducis verba cum factis, et interpretetur, si poterit, bono modo.[2] A.D. 1377.

Gallici repatriaverunt.

The French retire.

Cum jam Gallici hiemem instare conspicerent, patriam repetere festinabant, maxime propter galeias in quibus erant, quæ hiemales intemperies hoc anno non poterant tolerare. Qui licet in multis locis temptassent irrumpere, nullicubi tamen ascenderunt, nisi illis in locis ubi nulla maris custodia fuerat constituta. Qui utique si tantum valuissent audacia, quantum viguit inter eos armatorum copia, Anglia proculdubio irrecuperabile dispendium sensisset. Sed per omnia benedictus Deus, qui Anglis conservavit suam misericordiam, talibus terroribus vocans ad pœnitentiam, ut saltem timoribus[3] revocarentur ab errore viæ suæ, qui Ejus nesciebant perfrui lenitate.

Gallici proditiose capiunt villam de Arde.

Wals. Hist. i. 342.

f. 150 b.

Ardres taken by the French.

Igitur, ut diximus, Gallici cum omni classe sua repatriaverunt, cujus summa se extenderat ad triginta septem galeias, octo cogones[4] Hispanicas, et nonnullas bargias. Mox igitur

---

[1] *nihil . . sum*] Altered in R. into "summe despexit Gallicorum potentiam et virtutem, dicens suis."

[2] *magnam . . modo*] Altered in R. into "Gallorum parvipendens potentiam, æstimans fortassis, prout "erat, quod non erant inter eos "nobiles, sed vispiliones, qui nollent exspectare conflictum, si dux "movisset exercitum contra eos."

[3] *timoribus*] terroribus, R.

[4] *cogones*] W.; genos, H.

A.D. 1377. ut[1] patriam attigerunt, quidam illorum profecti ad obsidionem, quæ tunc erat circa villam de Arde, proditione quæ eis semper familiaris exsistit, tradente eis custode castelli ejusdem villæ, quodam Alemanno, scilicet domino de Gunny, villam primo, mox munitionem, occupaverunt. Ob quam causam, idem custos, captus a domino Hugone Calverle, custode Calesiæ, Angliam missus est, et carcerali custodiæ mancipatus. Wals. Hist. i. 342.

Thomas de Heltone capitur in Aquitannia.

Sir T. de Heltone defeated in Acquitaine.

Dum hæc agerentur in Gallia, accidit toti Angliæ luctuosus eventus in Aquitannia. Egregius namque miles, dominus Thomas de Heltone, cui commissa fuerat custodia supradictæ provinciæ, nimis inconsulte cum paucis super plures Gallicorum irruens, ab eorum multitudine oppressus et captus est, cum multis nobilibus ejusdem terræ, qui parti Anglicanæ favebant. Hoc autem infortunium contingebat prope villam quæ Regula nuncupatur.

Gallici impedientes piscationem nostram fugantur.

The French attack the English fisheries.

Circa festum Sancti Michaelis archangeli, cum instaret piscationis tempus, quo Anglici, et præcipue homines de Gernemutha, consueverunt pro allece piscari, missæ sunt duæ bargiæ refertæ bellatoribus aperte Gallicorum, quarum una fuerat de Bolonia, ad impediendum piscatores prædictos. Quarum metu piscatores patriæ se continentes, magnum incurrunt dispendium pro piscatione dimissa; sed et quædam vasa patriæ sunt per easdem bargias intercepta.

Tandem, licet sero, Northfolchi, tot malis antidotum statuentes inferre, quinque naves replent bellatoribus, qui piscatores et patriam tuerentur ab incursibus piratarum. Quo cognito, illico Gallici, velut oestro agitati, patriam et consuetas latebras petere festinarunt; et ita demum piscatores, malorum timore sublato, consueto operi insistebant, patriæ necessitatibus providentes.

---

[1] *ut*] W.; ad, H.

Parliamentum in quo proscribitur Alicia Perres; et ducæ decimæ et duæ quindecimæ regi conceduntur.

A.D. 1377.

Wals. Hist. i. 343.

Parliament.

Per idem tempus coactum est parliamentum Londoniis; quod a festo Michaelis usque ad festum Beati Andreæ Apostoli protelatur. In eo parliamento fuere pene omnes milites cum sæpenominato domino Petro de la Mare, qui ita nobiliter perstiterunt in eo parliamento, quod Bonum merito appellatur, pro jure patriæ atque regni commodo. Huc utique[1] resumentes petitiones suas eo in loco ubi prius dimiserant, institerunt pro bannitione non nominandæ illius meretricis, scilicet Aliciæ Perres, quæ, contempto statuto parliamentali, et juramento quo se astrinxerat, curiam regis ingredi ausa fuit, ad suadendum et impetrandum ab eo quæcumque sibi placerent. Quæ, quamvis plures ex dominis, et omnes legisperitos Angliæ pecunia corrupisset, qui pro ea non tantum occulte, sed publice, allegarunt, diligentia tamen et sapientia prædictorum militum ore suo convicta proscribitur, omnibus bonis suis, mobilibus et immobilibus, fisco[2] regio judicatis. Concessæ sunt autem in adjutorium regi ab ecclesia et clero duæ decimæ, et a laicis duæ quintæ-decimæ, eodem anno persolvendæ, ea tamen conditione, ut rex de cetero populum non gravet talibus petitionibus, extorquendo pecuniam subditorum, sed de suis vivat et continuet werram suam; quia utique, prout[3] ibidem responsum fuerat, propria bona regalia sibi sufficiunt, tam ad regiæ domus exhibitionem quam ad werræ sustentationem,[4] si eadem bona ministros idoneos sortiantur. Et deputati sunt ad hujus pecuniæ custodiam duo cives Londonienses, scilicet Willelmus Walworthe et Johannes Philipot.

Alice Perrers disgraced, and deprived of her possessions.

An aid.

De profectione nostratum ad mare, nil proficientium.

An English fleet, sent to attack the Spaniards at Sluys, is dispersed by a storm.

Circa tempus illud, audientes Anglici multitudinem navium Hispanorum apud Sclusam venti penuria detineri, collecta copia armatorum, [cum ingenti classe][5] mare ingredi meditantur, cupientes eis vicem rependere pro dampnis quæ Anglis irrogaverant, ferentes auxilium Gallicis æstate præcedente. Cujus classis primi fuere, dominus Thomas Wodestok comes Bokyngamiæ, dux Britanniæ, dominus de Latimer,

---

[1] *Huc utique*] Hii utique, O.; hii itaque, W.

[2] *fisco*] fasto, H.

[3] *prout*] ut, O.

[4] *werræ sustentationem*] guerram sustentandam, O.

[5] Supplied from O. W.

A.D. 1377. dominus Filius Walteri, dominus Robertus Knollis, et nonnulli alii valentes terræ cum eis; qui in ingressu maris sævam experti sunt fortunam. Nam nimium insurgente vento imbreque nocivo, mox naves ab invicem separatæ in partes dilabuntur, confringuntur mali, vela dirumpuntur, plura[1] de minoribus vasis, quæ victualia exercitui fuerant allatura, submersa; dum qui in ea concesserant, timore tempestatis ipsa relinquerent, ingrediendo naves majores, vel juxta suam opinionem fortiores. Divina tandem superveniente clementia, naves invicem recollectæ ad terram Angliæ sunt appulsæ. Et resarcitis eisdem iterum, bellatoribus instaurantur [et][2] iterum mare petunt. Wals. Hist. i. 344.

Gesta domini Hugonis de Calverlei memorabilia apud Boloniam et castellum de Meerk.

Sir Hugh Calverley's exploit at Boulogne.

Prope dies illos dominus Hugo Calverlee, faciens expeditionem versus Boloniam, fortuitu reperit in portu prædictæ villæ bargiam, quæ de eadem villa[3] nomen habuit, cum alia quæ erat regis Franciæ, et navibus majoribus et minoribus numero viginti sex; quas omnes repente, injecto igne, cremavit, cum magna parte de suburbanis illius villæ; in quibus etiam missam eodem die a capellano[4] suo celebrari fecit, quam et satis audacter ad finem audivit. Qua completa, eandem partem villæ direptioni dedit, abducens secum quæque concupiscibilia quæ ibidem reperit, cum nonnullis captivis qui ei obviaverant infausta hora. Magnam etiam vim ovium et armentorum coram se agebat, quæ repererat in pastura prope villam, quæ victui Calisiensium merito sufficerent[5] per magnum tempus. f. 151.

He recaptures the castle of Meerk.

Ejus[6] etiam laudi adjiciendum est, quod castellum de Meerk, quo non posset esse locus magis infestus Calisiæ, si parti adversariorum faveret, custodum incuria perditum, ipso eodem die strenue recuperavit, quo ipsum Gallici occupaverant, et antiquo dominio parere fecit. Siquidem dominus Robertus de Salle, miles non gregarius, sed inter famosiores strenuus, prædicti castelli capitaneus, in Angliam concesserat certis causis, commissa ipsius munitionis custodia quibusdam minus cautis. Qui, eo absente, debito negligentiores effecti, ludis et sagittationibus indulserunt; cumque certo die sagittationem instituissent non procul extra dictum castellum, videntes[7] sti-

[1] *plura*] plures, H.
[2] *et*] om. H.
[3] *de eadem villa*] Aden villa, W.
[4] *capellano*] Misplaced between *de* and *suburbanis*, H.
[5] *sufficerent*] sufficeret, H.
[6] *Ejus*] Suæ, O.
[7] *videntes*] vidente, H.

Wals. Hist. i. 345.

pendiarii qui in [ea][1] erant, Picardi[2] videlicet, quod genus hominum apud Gallicos falsissimum reputatur, quod omnes Anglici exivissent, portas claudunt, castellum muniunt, et Gallicos, quibus proditiose favebant, admittunt, exclusis hoc ingenio Anglicis, quibus castelli fuerat custodia deputata. Quod comperiens, ut prælibavimus, dictus Hugo, facto insultu castellum cepit, Gallicos qui advenerant captivavit, et omnes Picardos,[2] tamquam proditionis reos, excapitavit. A.D. 1377.

Conclusio annalis.

Transiit annus lætus temperie, abundans[3] fruge, sed fructibus arborum pene carens; quod autem ad pacem pertinet, Angliæ inquietus et suspectus, non minus fraude civium quam terrore Gallorum; Gallicis immanitate expensarum et lucri exilitate nimium onerosus. Nam a Pascha usque [ad][1] festum Michaelis, ad stipendium triginta septem galeiarum et octo cogonum a Francis pendebantur diebus singulis mille marcæ; quæ profecto summa, continuata tanto tempore, apporiasse poterat quodque prædives regnum. Conclusion of the year.

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo trecentesimo septuagesimo octavo, qui est annus regis Ricardi a conquæstu secundi primus, tenuit idem rex Natale apud Windeshore. A.D. 1377-8.

Bulla papalis missa Oxonias pro coercione magistri Johannis Wyclyffe[4] hæresiarchæ.

Paucis diebus ante Natale Dominicum, misit dominus papa bullam suam universitati Oxoniæ, ministerio magistri Edmundi Stafford, increpans eos correptione[5] paterna super eorum desidia manifesta, eo quod tanto tempore opiniones erroneas ipsius Antichristi discipuli, scilicet magistri Johannis Wyclyffe,[4] radicari permiserant inter eos,[6] dum non fuerat qui ferrum doctrinæ catholicæ assumere laboraret, ad exstirpandum tam pestiferæ plantationis aconitum. Cujus universitatis moderni procuratores, sive rectores, quantum degeneraverint a prudentia seu sapientia antiquorum, per hoc facile conjici poterit, quod, audita causa adventus dicti papalis nuncii, diu hærebant in pendiculo,[7] utrum papalem bullam deberent cum honore recipere, vel omnino cum dedecore refutare. O Oxoniense studium generale! quam gravi lapsu a sapientiæ et scientiæ A.D. 1377. Papal bull to the university of Oxford against Wycliffe.

[1] Om. H.
[2] Pykardi; Pykardos, O.
[3] *abundans*] abundus, O. W.
[4] Wyclyf, O.
[5] *correptione*] correctione, W.
[6] *eos*] illos, O.
[7] *pendiculo*] pendulo, O. W.

A.D. 1377. culmine decidisti, quod quondam inextricabilia atque dubia toti mundo declarare consuesti, jam ignorantiæ nubilo obfuscatum[1] dubitare non vereris, quæ quemlibet e laicis Christianis dubitare non decet. Pudet recordationis tantæ imprudentiæ, et ideo supersedeo in hujuscemodi materia immorari; ne materna videar ubera decerpere dentibus, quæ dare[2] parvulis lac, potum scientiæ, consuevere. Wals. Hist. i. 345.

Igitur bullæ papalis tenor, missæ Oxoniensi studio, talis est:—

Text of the bull.

" Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis " cancellario et universitati studii Oxoniensis, Lincolniensis " diœcesis, salutem et apostolicam benedictionem. Mirari " cogimur et dolere, quod vos, qui propter gratias et privi- " legia, vestro studio Oxoniensi ab apostolica sede concessa, " et propter scientiam Scripturarum, in quarum pelago felici " remigio, dante Domino, navigatis, tamquam pugiles et " propugnatores orthodoxæ fidei, sine qua salus animarum " non provenit, esse deberetis, lolium inter purum triticum " campi gloriosi studii vestri prædicti, per quandam desidiam " et ignaviam, permittitis pullulare, et, quod est perniciosius, " etiam adolere; nec circa exstirpationem hujusmodi lolii, " sicut nuper apud nos insonuit, curam aliquam adhibetis; " non sine clari nominis obfuscatione, et animarum vestrarum " periculo, et contemptu ecclesiæ Romanæ et memoratæ fidei " detrimento. Et quod nos torquet acerbius, prius[3] de incre- " mento lolii prædicti sentitur in Roma, quam in Anglia, ubi " natum[4] est, exstirpationis remedium apponatur. Multorum " siquidem fidedignorum insinuatione[5] admodum dolenter nos- " tris est auribus intimatum, Johannem Wyclyffe, rectorem " ecclesiæ de Lytteworth,[6] Lincolniensis diœcesis, sacræ " paginæ professorem, utinam non magistrum errorum, in illam " detestabilem erupisse vecordiam, quod nonnullas professi- " ones[7] et conclusiones erroneas et falsas, ac pravitatem " hæreseos sapientes, quæ statum totius ecclesiæ, et etiam " secularem politiam, subvertere et enervare nituntur, quarum- " que aliquæ, licet quibusdam mutatis terminis, sentire viden- " tur perversas opiniones et doctrinam indoctam dampnatæ " memoriæ Marcilii de Padua et Johannis de Ganduno, quo- " rum liber per felicis recordationis Johannem papam vicesi- " mum secundum, prædecessorem nostrum, reprobatus exstitit " et dampnatus, in regno Angliæ nempe glorioso[8] potentia et

---

[1] *obfuscatum*] obfuscat non, H.
[2] *dare*] daret, H.
[3] *prius*] post, O.
[4] *natum*] tamen, W.
[5] *insinuatione*] relatione intima, O.
[6] Lutreworth, O.
[7] *professiones*] propositiones, O. W.
[8] *glorioso*] gloriose, H. O.

Wals. Hist. i. 346, 347.

" copia facultatum, sed gloriosiore pietate fidei rutilante,[1] A.D. 1377. f. 151 b.
" sacræ paginæ claritate, consueto viros producere divinarum
" Scripturarum recta scientia illustratos, morum gravitate
" maturos, devotione conspicuos, et catholicæ fidei defensores,
" dogmatizare et publice prædicare, seu potius de virulento
" claustri sui pectore evomere, non veretur, nonnullos Christi
" fideles earum respersione[2] commaculans, et a fidei præfatæ
" recta semita in præcipitium[3] perditionis abducens. Quare
" cum tam letiferam pestem, cui si non obstetur principiis
" et ipsa radicitus evellatur, sero posset medicina parari,
" quando per contagionem plurimos infecisset, nolumus, prout
" nec velle debemus, sub conniventia pertransire, universitati
" vestræ per apostolica scripta in virtute sanctæ obedientiæ,
" et sub pœna privationis omnium gratiarum, indulgentiarum,
" et privilegiorum, vobis ac studio vestro a dicta sede con-
" cessorum, districte præcipiendo, mandamus, quatenus con-
" clusiones et propositiones in bonis operibus et fide male
" sentientes, licet eas proponentes sub quadam verborum sive
" terminorum curiosa implicatione nitantur defendere, de cetero
" non permittatis asseri vel proponi; dictumque Johannem
" auctoritate nostra capiatis, seu capi faciatis, et ipsum vene-
" rabilibus fratribus nostris, archiepiscopo Cantuariensi et
" episcopo Londoniensi, aut eorum alteri, sub fida custodia
" transmittatis. Contradictores quoque de dicto studio vestræ
" jurisdictioni subjectos, si qui[4] forsan, quod Deus avertat,
" essent hujusmodi erroribus maculati, si in illis pertinaciter
" perstiterint, ad similem captionem et missionem, aliasque,
" prout ad vos spectat, firmiter et sollicite procedatis; perinde
" vestram suppleturi negligentiam, hactenus in præmissis com-
" missam,[5] nostramque et dictæ sedis, præter divinæ retri-
" butionis præmium et meritum, gratiam et benevolentiam
" adepturi. Data Romæ apud Sanctam Mariam Majorem,
" undecimo kalendas Junii, pontificatus nostri anno septimo."

Bulla papalis missa archiepiscopo Cantuariensi et episcopo Londoniensi, ad monendum regem et magnates Angliæ ne prædicto hæretico faveant, vel adhæreant[6] *quovismodo.*

" Venerabilibus fratribus, Cantuariensi archiepiscopo et epi- Bull directing the archbishop of
" scopo Londoniensi, etc. Super periculosis admodum errori-

[1] *rutilante*] rutilantes, H.
[2] *respèrsione*] conspersione, O.
[3] *præcipitium*] præcipium, H.
[4] *si qui*] sequi, H.
[5] *negligentiam commissam*] diligentiam remissam, W.
[6] *vel adhæreant*] om. O.

A.D. 1377. Canterbury and bishop of London to warn the king and nobles against Wycliffe's heresies

" bus quarundam detestabilium propositionum et conclusionum, " ad enervationem totius ecclesiastici status tendentium, quas, " scriptas in schedula inclusa præsentibus, Johannes Wiclyffe, " rector ecclesiæ de Litelworthe,[1] Lincolniensis diœcesis, dic- " tus theologiæ professor, asseritur tam impie quam temere " suscitasse, plenius vobis scribimus, per alias nostras patentes " literas, quas cum præsentibus destinamus. Volumus igitur, " et fraternitati vestræ mandamus, quatenus carissimum in " Christo filium nostrum, Edwardum regem Angliæ illustrem, " et dilectos filios, nobiles viros natos dicti regis, ac dilectam " in Christo filiam, nobilem mulierem Johannam principissam " Aquitanniæ et Walliæ, aliosque magnates de Anglia, et " consiliarios regios,[2] per vos et alios magistros et peritos in " sacra pagina, non maculatos hujuscemodi erroribus, sed in " fide sinceros et fervidos, studeatis facere plenarie informari, " ac eis[3] ostendi, quanta verecundia devoto regno Angliæ " oriatur exinde, et quod non solum sunt ipsæ conclusiones " erroneæ in fide, sed, si bene advertatur, innuunt omnem " destruere politiam. Et requiratis eos strictissime, quod ad " exstirpationem tantorum errorum, pro reverentia Dei et apo- " stolicæ sedis, et nostra, ipsorumque merito apud Deum et " honore in seculo, tamquam catholici principes et pugiles " dictæ fidei, omni qua poterunt efficacia tribuant auxilium et " favorem. Data Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, un- " decimo kalendas Junii, anno septimo." Wals. Hist. i. 348.

Bull directing the citation of Wycliffe.

" Venerabilibus fratribus, archiepiscopo Cantuariensi et epi- " scopo Londoniensi, salutem, etc. Nuper per nos, non sine " gravi cordis turbatione et plurium fidedignorum relatione, " percepto quod Johannes Wiclyffe, rector ecclesiæ de Lu- " teworthe,[1] diœcesis Lincolniensis, sacræ paginæ professor, " utinam non magister errorum, in tam detestabilem vesaniam " temere prorupit, quod nonnullas propositiones et conclusiones " erroneas ac falsas, et male in fide sonantes, quæ statum " totius ecclesiæ subvertere et enervare nituntur, quarumque " aliquæ, licet quibusdam mutatis terminis, imitari videbantur " perversas opiniones et doctrinam indoctam dampnatæ me- " moriæ Marsilii de Padua et Johannis de Ganduno, quorum " liber per felicis recordationis Johannem papam vicesimum " secundum, prædecessorem nostrum, reprobatus exstitit et " dampnatus, non verebatur in regno Angliæ asserere, dogma- " tizare, et publice prædicare, illis nonnullos Christi fideles

---

[1] Lutreworthe, O.

[2] *regios*] regis, O.

[3] *eis*] eisdem, O.

Wals. Hist. i. 349.

" maligne inficiens, ac a fide catholica, sine qua non est salus, A.D. 1377.
" faciens deviare — Nos, attendentes quod tam perniciosum
" malum, quod in plurimos serpere poterat, eorum animas
" letali contagione necando, non debebamus, prout nec debe-
" mus, sub dissimulatione transire, vobis per alias nostras
" literas commisimus et mandavimus, ut vos, vel alter ves-
" trum, de dictarum propositionum et conclusionum asser-
" tione, quarum copiam sub bulla nostra misimus interclusam,
" vos secrete informantes, si ita esse inveniretis, præfatum Jo-
" hannem auctoritate nostra capi et carceribus mancipari face-
" retis, eumque sub bona custodia teneretis in vinculis, donec
" a nobis super hæc reciperetis aliud in mandatis, prout in
" dictis literis plenius continetur. Considerantes itaque[1] quod
" præfatus Johannes, hujusmodi captionem et carcerationem
" forte præsentiens, posset, quod absit, perfugere, seu latita-
" tionis præsidio[2] dictum nostrum mandatum, in gravissimum
" fidei detrimentum, eludere; nos, ne tam dampnabiles propo-
" sitiones et conclusiones indiscussæ, et earum temerarius
" assertor impunitus remaneat, in detrimentum gravissimum f. 152.
" fidei prælibatæ, fraternitati vestræ per apostolica scripta
" committimus et mandamus, quatenus vos, vel alter vestrum,
" per vos, vel alium seu alios, præfatum Johannem, si per
" vos capi et[3] carcerari non possit, per edictum publicum,
" proponendum in studio Oxoniensi, Lincolniensis diœcesis, et
" aliis locis publicis, de quibus sit verisimilis conjectura quod
" ad dicti Johannis notitiam pervenire valeat, et de quibus
" vobis expedire videatur, ex parte nostra peremptorie monere
" et citare[4] curetis, quod infra trium mensium spatium, a
" die citationis hujusmodi in antea computandum, ubicumque
" nos tunc esse contigerit, comparere, ac[5] personaliter coram
" nobis super propositionibus et conclusionibus hujuscemodi
" responsurus, ac auditurus et facturus quicquid super eis dux-
" erimus ordinandum, et ordo dictaverit rationis, prædicendo
" in hujusmodi citationis edicto, quod sive idem Johannes in
" hujusmodi termino comparuerit, sive non comparuerit, nos
" super præmissis, et contra eum usque ad debitam condemp-
" nationem ipsius inclusive, procedemus, prout ejus demerita
" exigent, ac nobis, secundum Deum et conservationem dictæ
" fidei, videbitur expedire. Volumus autem, et præsentium
" tenore statuimus, quod prædicta citatio, sic facta, perinde
" præfatum Johannem artet, ac si sibi personaliter insinuata

---

[1] *itaque*] utique, W.
[2] *præsidio*] presio, H.
[3] *et*] vel, O.
[4] *citare*] sectare, H.
[5] *comparere, ac*] Thus in all MSS.; perhaps for compareat.

A.D. 1377. " et intimata fuisset, constitutione quacumque contraria non " obstante. Diem vero citationis, et formam, et quicquid " feceritis in prædictis, nobis per vestras literas, vestris sigil- " lis munitas, harum seriem continentes, fideliter et quam " citius poteritis intimare curetis. Data Romæ apud Sanctam " Mariam Majorem, undecimo kalendas Junii, anno septimo." Wals. Hist. i. 350.

Bull directing the arrest and examination of Wycliffe.

" Venerabilibus fratribus, archiepiscopo Cantuariensi et epi- " scopo Londoniensi.[1] Regnum Angliæ, gloriosum nempe " potentia et abundantia facultatum, sed gloriosius pietate " fidei, et sacræ paginæ claritate coruscum, consuevit viros " producere divinarum scripturarum recta scientia præditos, " maturitate graves, devotione præclaros, et pugiles fidei " orthodoxæ, et qui non solum proprios, sed alienos, populos " documentis instruebant verissimis, et in mandatorum Do- " mini semitam dirigebant. Et sicut ex effectu contingentium " temporis antiqui colligitur, dicti regni præsules in specula " sollicitudinis positi, proprias excubias exercentes sollicite, " non permittebant aliquod oriri erroneum, quod posset infi- " cere oves suas, sed si oriretur zizannia ex inimici hominis " spersione, illam protinus evellebant, crescebatque assidue " purum triticum, in Dominicum horreum inferendum. Sed, " proh dolor! nunc apparet quod in ipso regno officio vigiles, " negligentia vero desides, non circuiunt civitatem, dum hostes " ingrediuntur in ea, animarum thesaurum pretiosissimum " prædaturi. Quorum latentes ingressus, et patentes [aggres- " sus],[2] prius sentiuntur in Roma, intercapedine[3] longo remota, " quam eis in Anglia resistatur. Sane plurium fidedignorum " significatione admodum dolenter audivimus, quod Johannes " Wicliffe, rector ecclesiæ de Luteworthe,[4] Lincolniensis dioe- " cesis, sacræ paginæ professor, utinam non magister erro- " rum, in illam detestabilem vesaniam dicitur temere prorum- " pisse, quod nonnullas propositiones et conclusiones erroneas " et falsas, in fide male sonantes, quæ statum totius ecclesiæ " subvertere et enervare conantur, quarumque aliquæ, licet " aliquibus quibusdam mutatis terminis, sentire videntur per- " versas opiniones et doctrinam indoctam dampnatæ memoriæ " Marsilii de Padua et Johannis de Ganduno, quorum liber " per felicis recordationis Johannem papam vicesimum secun- " dum, prædecessorem nostrum, reprobatus exstitit et dampna- " tus, non veretur in præfato regno asserere, dogmatizare, et " publice prædicare, nonnullos Christi fideles eis maligne

[1] Salutem, added in O.
[2] *aggressus*] om. H.
[3] *intercapedine*] intercapapidine, H.
[4] Lutreworthe, etc.; and the words of repetition omitted as far as, de quibus sic subortis, O.

Wals. Hist. i. 351.

" inficiens, ac a fide catholica, sine qua non est salus, faciens A.D. 1377.
" deviare; de quibus sic subortis et non exstirpatis, seu saltem
" eis nulla facta resistentia quam sciamus, sed transactis seu[1]
" toleratis, conniventibus oculis, vos aliique præsules Angliæ,
" cum debeatis esse columnæ ecclesiæ, dictæque fidei defen-
" sores attenti, conniventibus oculis tam negligenter trans-
" eundo, non immerito debetis[2] rubore perfundi, debetis vere-
" cundari, et in propriis conscientiis remorderi. Quare cum
" tam perniciosum malum, quod non præcisum seu radicitus
" exstirpatum serpere posset in plurimos, in animabus eorum,
" quod absit, letali contagione necandos, nolumus, sicut nec
" debemus, sub dissimulatione transire, fraternitati vestræ per
" apostolica scripta committimus et mandamus quatenus, re-
" ceptis præsentibus, vos, vel alter vestrum, de dictarum pro-
" positionum et conclusionum assertione, quarum copiam vobis
" mittimus sub bulla nostra inclusam, vos secrete informantes,
" si inveneritis ita esse, præfatum Johannem faciatis auctori-
" tate nostra capi et carceribus mancipari, ejusque confessio-
" nem super eisdem propositionibus seu conclusionibus reci-
" pere studeatis, ac ipsam confessionem et quæcumque dictus
" Johannes dixerit[3] seu scripserit super earundem proposi-
" tionum et conclusionum inductione ac probatione, et quic-
" quid feceritis in præmissis, sub vestris sigillis clausa et
" nemini revelata, nobis per fidelem nuncium transmissuri,
" eundemque Johannem sub fideli custodia teneatis in vincu-
" lis, donec a nobis super hoc aliud receperitis in mandatis.
" Contradictores, etc. Invocato, etc. Non obstantibus felicis
" recordationis Bonefacii papæ octavi, prædecessoris nostri,
" constitutionibus, in quibus cavetur ne aliquis extra suam
" civitatem vel diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, et in
" illis ultra unam dietam a fine suæ diœcesis ad judicium
" evocetur; seu ne judices a sede apostolica deputati aliquos f. 152 b.
" ultra unam dietam a fine suæ diœcesis evocare præsumant,
" et de duabus dietis in concilio generali, ac exemptionis;[4]
" et aliis privilegiis, constitutionibus, et literis apostolicis
" Prædicatorum, Minorum, Heremitarum Sancti Augustini, et
" Sanctæ Mariæ de Monte Carmeli, et aliis quibuscumque
" Mendicantium, vel[5] aliis ordinibus et locis, aut specialibus
" personis seu capitulis[6] et conventibus ipsorum generalibus
" vel specialibus, quorumcumque tenorum exsistant, necnon
" statutis et consuetudinibus eorundem ordinum et locorum

[1] *seu*] et, O.
[2] *debetis*] deberetis, W.
[3] *dixerit*] duxerit, H.
[4] *exemptionis*] exceptionis, O.
[5] *mendicantium, vel*] mendicantibus, et, O.
[6] *capitulis*] capellanis, H. O.

A.D. 1377. " contrariis, per quæ effectus præsentium impediri valeat Wals. Hist. i. 352.
" quomodolibet, vel differri, etiamsi de eis eorumque totis
" tenoribus, ac[1] de verbo ad verbum, plena et expressa
" mentio in nostris literis sit habenda, seu si Johanni præ-
" dicto vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, a dicta
" sit sede indultum, quod personaliter capi aut quod interdici,
" suspendi, vel excommunicari, non possent,[2] per literas apo-
" stolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad
" verbum de indulto hujusmodi mentionem. Data Romæ
" apud Sanctam Mariam Majorem, undecimo kalendas Junii,
" anno septimo."

Litera missa regi ab apostolico deprecatoria ut faveat episcopis in exsecutione præscripti mandati.

Letter of the pope to Edward in support of the proceedings against Wycliffe.

" Carissimo in Christo filio, Edwardo, regi Angliæ illustri,
" salutem, etc. Regnum Angliæ, quod Altissimus tuæ suppo-
" suit potestati, gloriosum nempe potentia et abundantia facul-
" tatum, sed gloriosius pietate fidei et sacræ paginæ claritate
" coruscum, consuevit viros producere divinarum scripturarum
" recta scientia præditos, maturitate graves, devotione fer-
" ventes, et catholicæ fidei defensores, qui non solum proprios,
" sed alienos populos præceptis salutaribus instruebant, diri-
" gebantque in divinorum semitam mandatorum. Sed nuper
" cum ingenti cordis amaritudine, plurimorum fidedignorum
" significatione percepimus, Johannem de Wiclyffe, rectorem
" ecclesiæ de Litteworthe,[3] Lincolniensis diœcesis, sacræ pa-
" ginæ professorem, utinam non magistrum errorum, in illam
" nefandam et abominabilem prorupisse dementiam, quod
" nonnullas propositiones et conclusiones, plenas erroribus, et
" manifestam hæresim continentes, quæ statum totius ecclesiæ
" subvertere et enervare nituntur, quarumque aliquæ, licet
" quibusdam mutatis terminis, sentire videntur perversas
" opiniones et doctrinam indoctam dampnatæ memoriæ Mar-
" silii de Padua et Johannis de Ganduno, quorum liber per
" felicis recordationis Johannem papam vicesimum secundum,
" prædecessorem nostrum, reprobatus exstitit et dampnatus,
" in dicto regno dogmatizare et publice prædicare, seu potius
" de virulento claustro sui pectoris evomere, non veretur, non-
" nullos Christi fideles earum respersione commaculans, et a
" præfatæ fidei recta semita in præcipitium perditionis ab-
" ducens—Nos itaque tantum malum, quod, non præcisum

[1] *ac*] ad, H.
[2] *possent*] possint, O.
[3] Lutter[worth] etc.; and the words of repetition omitted, O.

Wals. Hist. i. 353.

" seu radicitus exstirpatum, serpere posset in plurimos, in A.D. 1377.
" animabus eorum, quod absit, letali contagione necandos,
" nolentes, prout nec velle sine nostræ morsu conscientiæ
" possumus, conniventibus oculis pertransire, venerabilibus fra-
" tribus nostris, archiepiscopo Cantuariensi et episcopo Lon-
" doniensi, per nostras literas commisimus et mandavimus,
" ut ipsi, vel alter eorum, receptis per eos dictis nostris
" literis, de dictarum propositionum et conclusionum asser-
" tione, quarum copiam eis sub bulla nostra mittimus inter-
" clusam, se informantes, si invenirent ita esse, facerent
" præfatum Johannem auctoritate nostra capi et carceribus
" mancipari, ejus confessionem super eisdem propositionibus
" seu conclusionibus recipere studerent, ac ipsam confessionem,
" et quæcumque dictus Johannes dixerit[1] vel scripserit super
" earundem propositionum et conclusionum inductione et pro-
" batione, nobis per fidum[2] nuncium transmittere non post-
" ponant. Cum itaque dicti archiepiscopus et episcopus in
" prosecutione hujus negotii noscantur favore et auxilio tuæ
" celsitudinis indigere, majestatem tuam, quam et ejus pro-
" genitores incliti catholicæ fidei, cujus in hac parte res agitur,
" semper consueverunt et præcipui zelatores, requirimus et
" deprecamur attente, quatenus ob reverentiam Dei, dictæ
" fidei, et apostolicæ sedis, et nostrum intuitum, digneris præ-
" fatis archiepiscopo et episcopo, et aliis qui hujusmodi negо-
" tium prosequentur, in ipsa prosecutione tui favoris et auxilii
" patrocinium exhibere, proinde,[3] præter humanæ laudis præ-
" conium, divinæ retributionis præmium, nostram et dictæ
" sedis adepturus benevolentiam ampliorem. Data Romæ apud
" Sanctam Mariam Majorem, undecimo kalendas Junii, anno
" septimo."

Hæ sunt propositiones, sive conclusiones, quas prædictus J. W.[4] dicitur asseverasse et publice prædicasse.

" Totum genus humanum, citra Christum, non habet potes- Conclusions of John Wycliffe.
" tatem simpliciter ordinandi ut Petrus, et omne genus
" suum, dominetur politice in perpetuum super mundum.

" Deus non potest dare homini, pro se et heredibus suis in
" perpetuum, civile dominium.

---

[1] *dixerit*] dixit, H.
[2] *fidum*] fidelem, O.
[3] *proinde*] perinde, O ; provide, W.
[4] *J. W.*] Johannes Wyclyf, O.

A.D. 1377. " Chartæ humanitus[1] adinventæ de hereditate civili per- Wals. Hist. i. 354.
" petua sunt impossibiles.

" Quilibet exsistens in gratia gratificante finaliter, nedum
" habet jus, sed in re habet omnia dona Dei.

" Homo potest solum[2] ministratorie dare tam naturali filio
" quam invitationis[3] in schola Christi tam temporale dominium
" quam æternum.

" Si Deus est, domini temporales possunt legitime ac[4]
" meritorie auferre bona fortunæ ab ecclesia delinquente.

" Numquid ecclesia est in tali statu vel non, non est meum
f. 153. " discutere, sed dominorum temporalium examinare, et posito
" casu, confidenter agere, et sub pœna dampnationis æternæ
" ejus temporalia auferre.

" Scimus quod non est possibile quod vicarius Christi pure
" ex bullis suis, vel ex illis cum voluntate et consensu suo
" et sui collegii, quemquam habilitet vel inhabilitet.

" Non est possibile hominem excommunicari, nisi prius et
" principaliter excommunicetur a se ipso.

" Nemo ad sui deteriorationem excommunicatur, suspen-
" ditur, vel aliis censuris cruciatur, nisi in causa Dei.

" Maledictio vel excommunicatio non ligat simpliciter, nisi
" quantum fertur in adversarium legis Christi.

" Non est exemplificata potestas a Christo, vel suis disci-
" pulis, excommunicandi subditos, præcipue propter negatio-
" nem temporalium; sed e contra.

" Discipuli Christi non habent potestatem coacte exigere
" temporalia per censuras.

" Non est possibile, de potentia Dei absoluta, quod, si papa
" vel alius prætendat se quovismodo solvere vel ligare, eo ipso
" solvit vel ligat.

" Credere debemus, quod solum tunc solvit vel ligat, quando
" se conformat legi Christi.

" Hoc debet credi catholice, quod quilibet sacerdos, rite
" ordinatus, habet potestatem sufficientem sacramenta quæ-
" libet[5] conferendi, et per consequens quemlibet contritum a
" peccato quolibet absolvendi.

" Licet regibus auferre temporalia a viris ecclesiasticis
" ipsis abutentibus habitualiter.

" Sive domini temporales, sive sancti papæ, sive Petrus,
" sive caput ecclesiæ, qui est Christus, dotaverit ecclesiam
" bonis fortunæ vel gratiæ, et excommunicaverit ejus tempo-

---

[1] *humanitus*] humanitatis, O.
[2] *solum*] om. O.
[3] *invitationis*] imitationis, O.
[4] *ac*] et, O.
[5] *quælibet*] quilibet, H.

Wals. Hist. i. 356.

" ralia auferentes, licet tamen, propter conditionem implicitam, A.D. 1377.
" delicto proportionabiliter eam temporalibus spoliare.
" Ecclesiasticus, immo et Romanus pontifex, potest legitime
" a subditis et laicis corripi, et etiam accusari."

Istæ fuerunt propositiones, vel potius[1] deliramenta, sæpedicti A.D. 1378.
Johannis, quæ ad aures domini apostolici pervenere;[2] unde juste concitatus, præscriptas bullas, hujus tanti negotii exsecutorias, et statum contingentes universalis ecclesiæ, prædictis episcopis demandavit. Qui quam indevote, quam segniter, commissa sibi mandata compleverint, melius est silere quam loqui. Hoc tantum posterorum notitiæ declarare studuimus, quod cum ipsi episcopi tantæ dignationis favorem et apices suscepissent, animati plurimum, nec immerito, profitebantur se nullius precibus, nullius minis vel muneribus, esse flectendos, quin in ista causa rectam justitiam sequerentur, etiam si periculum capitis immineret. Sed instante die examinationis ipsius apostatæ, a timore vento arundinis agitatæ, molliti sunt sermones eorum super oleum, in jacturam publicam propriæ dignitatis etsi[3] totius ecclesiæ detrimentum. Et qui nec ipsis dominis regnique principibus se obtemperare devoverant, donec excessus ipsius hæresiarchæ punivissent juxta mandata papalia, a facie cujusdam, nec nobilis militis neque potentis, de curia principissæ Johannæ, videlicet Lodewici Clifforde, pompose vetantis ne præsumerent aliquid contra ipsum Johannem sententialiter definire, tanto timore concussi sunt, ut cornibus eos carere putares, factos velut homo non audiens et non habens in ore suo redargutiones.

The bishops slow in proceeding against Wycliffe.

Interference of the princess of Wales in his favour.

Insuper, nec illud esse silendum æstimo, cum episcopi prædicti cum ipso schismatico in capella archiepiscopi apud [Lamhethe][4] convenissent, non dico cives tantum[5] Londonienses, sed viles ipsius civitatis, se impudenter ingerere præsumpserunt in eandem capellam, et verba facere pro eodem, et istud negotium impedire; confisi, ut reor, de ipsorum remissa[6] negligentia prælatorum. Talibus occasionibus seu commentis, pseudo-propheta verus hypocrita pro tunc evasit, amplius non compariturus coram dictis episcopis, citra mortem papæ Gregorii. Cujus obitus non modicum fideles contristavit, sed in fide falsos ipsum Johannem et ipsius asseclas animavit.

The people of London disturb his examination at Lambeth.

---

[1] *vel potius*] sive, O.
[2] *Istæ . . . pervenere*] written as a rubric, O.
[3] *etsi*] et, O. W.
[4] Supplied from O. W.
[5] *tantum*] tamen, O.
[6] *remissa*] præmissa, W.

A.D. 1378. f. 153. b.

[1] *Istæ sunt declarationes factæ per eundem J. W.*[2] *super propositiones, quas supra notavimus in præcedentibus, die quo coram episcopis apparuit, ut prælibavimus, apud Lambhithe.*[3]

Declarations of Wycliffe in support of his conclusions.

"In principio, protestor publice, sicut sæpe feci alias, quod propono et volo ex toto corde meo, mediante Dei gratia, esse integer Christianus, et, quamdiu manserit in me halitus, profiteri atque defendere, quantum sufficio, legem Christi. Et quod si ex ignorantia vel quacumque alia causa in isto defecero, rogo Deum[4] meum de venia; et nunc, prout extunc, revoco et retracto, submittens me humiliter correctioni sanctæ matris ecclesiæ. Et quia per pueros reportata est sententia fidei, quam dixi in scholis et alibi, ac magis, per[5] pueros etiam usque ad Romanam curiam transportata, ideo, ne Christiani scandalizentur in me, volo in scriptis dare sententiam ex qua impetitus sum, quam volo usque ad mortem defendere, sicut credo omnes Christianos debere, sed specialiter Romanum pontificem et ceteros sacerdotes ecclesiæ. Intelligo autem conclusiones ad sensum et modum loquendi scripturæ et sanctorum doctorum, quem paratus sum exponere; et dato quod sint fidei contrariæ, volo ipsas paratissime revocare." Wals. Hist. i. 357.

Prima conclusio. "Totum genus hominum[6] concurrentium, citra Christum, non habet potestatem ordinandi simpliciter ut Petrus, et omne genus suum, dominetur in perpetuum politice super mundum.—Patet, quia[7] non est in hominum potestate impedire adventum Christi ad finale judicium, quod oportet credere[8] juxta illum articulum fidei, 'Inde venturus est judicare vivos et mortuos.' Exhinc enim, secundum fidem scripturæ, cessabit omnis hominum politia. Intelligo autem dominationem politicam, vel civilem dominationem secularem, pertinere[9] laicis activis viantibus, dum peregrinantur a Domino. De tali enim dominatione politica loquuntur philosophi. Et quamvis periodicum vocatur, quandoque perpetuum, quia tamen[10] in scriptura sacra, in

---

[1] This chapter is placed after the following one in MS. Harl.; but they are marked for transposition with the letters *a. b.* in the margin.

[2] *J. W.*] Johannem Wyclyf, O.

[3] Lamheth, O.

[4] *Deum*] Dominum, O.

[5] *magis, per*] per magis, H.

[6] *hominum*] humanum, W.

[7] *quia*] que, W.

[8] *credere*] creare, W.

[9] *pertinere*] pertinente, H. O.

[10] *tamen*] tamen quandoque, O.

Wals. Hist. i. 358.

" usu ecclesiæ, et libris philosophorum, perpetuum sumitur communius pro æterno aperte, post in illa significatione famosiori suppono terminum illum capi. Sic enim canit ecclesia, 'Deo Patri sit gloria, Ejusque soli Filio, cum 'Spiritu Paraclito, et nunc et in perpetuum.' Et tunc est conclusio immediata principiis fidei, cum non subjacet hominum potestati ordinare peregrinationem ecclesiæ sine fine.[1]" A.D. 1378.

Secunda conclusio. " Deus non potest dare homini, pro se et heredibus suis in perpetuum, civile dominium.—Intelligo autem civile dominium ut supra intellexi dominationem politicam et in perpetuum ut supra, sicut scriptura intelligit in beatitudine perpetuas mansiones. Tunc dixi primo, quod Deus de potentia ordinata non potest dare homini[2] in perpetuum civile dominium. Dixi secundo, quod probabile videtur quod Deus, de potentia sua absoluta, non potest dare homini in perpetuum tale dominium, eo quod non potest, ut videtur,[3] semper incarcerare sponsam suam in via, nec pro semper differre ultimum suæ beatitudinis complementum."

Tertia conclusio. " Multæ chartæ humanitus adinventæ de hereditate civili perpetua sunt impossibiles.[4]—Ista veritas est incidens; non enim oportet catholicare omnes chartas, quia tunc non liceret auferre collata per chartas a quolibet injuste occupante. Sed hoc confirmato fide ecclesiæ, daretur caritatis occasio confidendi in temporalibus et peccandi[5] licentia; sicut enim omne verum est necessarium ex suppositione, sic omne falsum est impossibile[6] ex suppositione, ut patet testimonio scripturæ et sanctorum doctorum loquentium de necessitate futurorum."

Quarta conclusio. " Quilibet exsistens in gratia gratificante finaliter, nedum habet jus in rem, sed pro suo tempore jus in re super omnia bona Dei.—Patet ex fide scripturæ, Matthæi xxiv.;[7] qua Veritas promittit cuilibet intranti in gaudium suum, 'Amen dico vobis, super omnia bona sua 'constituet eum.' Jus enim communionis sanctorum in patria fundatur objective super universitatem bonorum Dei."

Quinta conclusio. " Homo potest solum[8] ministratorie dare tam naturali filio quam filio invitationis et temporale dominium et æternum.—Patet eo, quod omnis homo debet

---

[1] *Et tunc . . fine*] om. O.
[2] *homini*] om. O.
[3] *ut videtur*] om. O.
[4] *Multæ . . impossibiles*] Cartæ humanitatis, etc., O.
[5] *peccandi*] petendi, W.
[6] *impossibile*] possibile, W.
[7] Matt. xxv. 21.
[8] *solum*] om. O.

A.D. 1378. " recognoscere se in omnibus operibus suis humilem Dei " ministrum, ut patet ex fide scripturæ, 'Sic nos existimet " 'homo ut ministros Christi';[1] immo Christus sic ministravit, " et docuit suos præcipuos Apostolos ministrare. In patria f. 154. " vero dabunt sancti confratribus dominia bonorum suorum, " ut patet de suis corporibus, et bonis eis inferioribus in na- " tura, juxta illud Lucæ vi, 'Mensuram bonam et con- " 'fertam, et coagitatam, et superefluentem, dabunt in sinum " 'vestrum.'"[2] Wals. Hist. i. 359.

Sexta conclusio. " Si Deus est, domini temporales possunt " legitime ac meritorie auferre bona fortunæ ab ecclesia delin- " quente.—Ista est correlativa primo articulo fidei, 'Credo in " 'Deum Patrem Omnipotentem.' Intelligo autem posse, modo " scripturæ concedentis quod Deus de lapidibus potest suscitare " filios Abrahæ; aliter enim omnes Christiani principes forent " hæretici. Pro ista conclusione formatur sic ratio: si Deus " est, Ipse est Omnipotens; et si sic, Ipse potest præcipere " dominis temporalibus sic auferre; et si sic, ipsi possunt " legitime sic auferre; ergo a primo. Unde in virtute illius " principii, Christiani principes practizaverunt illam senten- " tiam. Sed absit ex illo credere quod intentionis meæ [sit][3] " seculares dominos licite posse auferre quandocumque et quo- " modocumque voluerint, vel nuda auctoritate sua, sed omnino " auctoritate ecclesiæ in casibus et forma limitatis a jure."

Septima conclusio. " Scimus quod non est possibile ut " vicarius Christi pure ex bullis suis, vel ex illis cum volutione " et consensu suo ac sui collegii, quemquam habilitet vel in- " habilitet.—Patet ex fide catholica, cum oportet Deum[4] in " omni operatione vicaria tenere primatum. Ideo, sicut in " omni habilitatione subjecti præexigitur[5] gratia et dignitas " habilitati, sic in omni inhabilitatione præexigitur[5] gratia " et[6] dignitas ex demerito inhabilitati; et per consequens, non " pure ex ministerio vicarii Christi fit talis habilitatio [vel " inhabilitatio,][3] sed desuper aliunde."

Octava conclusio. " Non est possibile hominem excom- " municari ad sui dampnum, nisi excommunicetur primo et " principaliter a se ipso.—Patet, cum oportet talem excom- " municationem originari a peccato dampnificati; unde Au- " gustinus, De verbis Domini, Sermone 21, 'Tu te noli

---

[1] 1 Cor. iv. 1.
[2] Luke vi. 38.
[3] om. H.
[4] *Deum*] Dominum, W.
[5] *præexigitur*] prius exigitur, W.
[6] *gratia et*] om. O. W.

Wals. Hist. i. 360.

" 'conculcare, et te non vincit homo.' Et adhuc canit fides A.D. 1378.
" ecclesiæ, 'Quod nulla ei nocebit adversitas, si nulla domine-
" 'tur iniquitas.'—Suppositum hujus octavæ :—Omnis tamen
" excommunicatio ex causa multiplici est timenda, etiam licet
" excommunicatio ecclesiæ sit humili excommunicato non
" dampnabilis, sed salubris."

Nona conclusio. " Nemo debet, nisi in causa Dei, ex-
" communicare, [suspendere, interdicere,][1] vel secundum quam-
" cumque censuram ecclesiasticam vindicando procedere.—
" Patet, cum omnis causa justa sit causa Dei, cujus ratio
" debet maxime ponderari, immo, amor excommunicati debet
" superare zelum vindictæ et appetitum temporalium quorum-
" cumque ; cum aliter ipse excommunicans se ipsum dampnificet.
" —Suppositum nonæ :—Isti tamen congruit, ut prælatus ex-
" communicet in causa hominis, principaliter tamen secundum
" rationem, qua fit injuria Deo suo, ut patet xiii.[Q.][2] 4, inter
" Querelas."[3]

Decima conclusio. " Maledictio [vel excommunicatio][1]
" non ligat simpliciter nisi de quanto fertur in adversarium
" legis Christi.—Patet, cum Deus ligat omnem ligatum sim-
" pliciter, qui non potest excommunicare,[4] nisi propter præ-
" varicantiam legis suæ.—Suppositum decimæ :—Isti tamen
" consonat, quod censura ecclesiastica non liget simpliciter,
" sed secundarie secundum rationem, qua fertur in adver-
" sarium membri ecclesiæ."

Undecima conclusio. " Non est exemplificata[5] potestas
" a Christo suis discipulis excommunicandi subditum, propter
" negationem temporalium ; sed e contra.—Patet ex fide script-
" turæ, qua creditur quod Deus est super omnia diligendus,
" et proximus et inimicus plus quam omnia temporalia hujus
" mundi ; necessario, quod lex Dei non est sibi ipsi contraria."

Duodecima conclusio. " Discipuli Christi non habent
" potestatem ad exigendum coactione civili temporalia per cen-
" suras.—Patet ex fide scripturæ, Lucæ xxii., qua Christus
" prohibuit suos Apostolos civiliter dominari ; 'Reges,' inquit,
" 'gentium dominantur eorum ; vos autem non sic.'[6] Et ad
" istum sensum exponitur a beato Bernardo, beato Chrysos-
" tomo,[7] et aliis sanctis.—Suppositum hujus duodecimæ :—Isti

---

[1] Om. H.

[2] *Q.*] Added by late hand in H.

[3] Gratian, *Decr.*, pars. II., causa xiii., quæst. 4.

[4] *excommunicare*] excommunicari, H.

[5] *exemplificata*] exemplata, H.

[6] Luke xxii. 25, 26.

[7] *Chrysostomo*] Crisostimo, H.

A.D. 1378. " tamen non obstat quod exigant temporalia per censuras ec- Wals. Hist. i. 361.
" clesiasticas accessorie ad vindicationem injuriæ Dei sui."

Tertia-decima conclusio. " Non est possibile, de Dei po-
" tentia absoluta, quod, si papa vel alius Christianus prætendat
" se quovismodo solvere vel ligare, eo ipso sic solvit vel ligat.
" —Oppositum istius destrueret totam fidem catholicam, cum
" implicaret blasphemum usurpantem talem absolutam poten-
" tiam esse Deum.[1]—Suppositum hujus tertiæ-decimæ :—Per
" istam conclusionem non intendo derogare potestati papæ,
" vel cujuscumque prælati ecclesiæ, quin possunt in virtute
" capitis ligare et solvere. Intelligo autem conditionalem
" negatam ut impossibilem ad hunc sensum; quod non potest
" esse quod papa, vel alius prælatus ecclesiæ, prætendit se
" quovismodo solvere vel ligare, nisi eo ipso sic solverit vel
" ligaverit; et tunc non potest esse peccabilis."

Quarta-decima conclusio. " Credere debemus, quod tunc
" solum ligat vel solvit Christi sacerdos simpliciter, quando
" agit conformiter legi Christi.—Pro eo quod non licet sibi
" sic facere, nisi in virtute legis illius, et per consequens nisi
" quando est conformitas legi illi."

Quinta-decima conclusio. " Hoc debet credi catholice,
" quod quilibet sacerdos, rite[2] ordinatus secundum legem
" gratiæ, habet potestatem, secundum quam potest sacramenta
" quælibet secundum speciem ministrare, et per consequens
" sibi confessum de quocumque peccato contritum absolvere.—
" Patet ex eo, quod potestas sacerdotalis non suscipit[3] majus
" et[4] minus in sua essentia. Potestates tamen inferiorum[5] sa-
" cerdotum nunc rationabiliter sunt restrictæ, et alias in ultimo
" necessitatis articulo sunt laxatæ.—Suppositum hujus quintæ-
" decimæ :—Et sic secundum doctores, est dare prælato dupli-
" cem potestatem, scilicet potestatem ordinis, et potestatem
" jurisdictionis sive regiminis, et quoad illam sunt prælati ut
" superiores majoris potestatis[6] et regiminis."

Sexta-decima conclusio. " Licet regibus, in casibus limi-
" tatis a jure, auferre temporalia a viris ecclesiasticis ipsis
f. 154 b. " habitualiter abutentibus.—Patet ex hoc, quod domini tem-
" porales debent plus inniti spirituali eleemosynæ fructus
" uberioris quam eleemosynæ corporali; necessario, quod foret
" in casu opus eleemosynæ spiritualis clericos dampnificantes
" se in corpore et anima per subtractionem hujusmodi casti-

---

[1] *esse Deum*] Domini, W.
[2] *rite*] rite et, H.
[3] *suscipit*] sufficit, W.
[4] *et*] aut, O.; vel, W.
[5] *inferiorum*] inferioris, H.
[6] *superiores majoris potestatis*] superioris majestatis, W.

Wals. Hist. i. 362.

" gare. Casus autem quem jura limitant, foret defectus " correptionis spiritualis præpositi, et demum fidei clerici " corrigendi. Patet[1] 16 Q. 7[2] 'Filius;' et 40. D. 'Si papa."[3] A.D. 1378.

Septima-decima conclusio.—"Sive domini temporales, " sive quicumque alii, dotaverint ecclesiam temporalibus, licet " eis in casu auferre temporalia medicinaliter ad cavenda " peccata, non obstante excommunicatione, vel alia censura " ecclesiastica; cum non nisi sub conditione implicita sunt " donata.—Patet ex hoc, quod[4] nihil debet impedire a præ- " cipuis operibus caritatis; necessario, quod in omni opere " humano debet subintelligi conditio divini beneplaciti, neces- " sariaque lege civili. De collatione Conradi, c. v. in fine, colla- " tione decima.[5] Suppositum hujus septimæ-decimæ:—Absit " quod per illa verba detur occasio dominis temporalibus ad " auferendum bona fortunæ in detrimentum ecclesiæ."

Octava-decima conclusio.—"Ecclesiasticus, etiam Roma- " nus pontifex, potest in casu [a] subjectis[6] corripi, et, ad utili- " tatem ecclesiæ, tam a clericis quam a laicis accusari.—Patet " ex hoc, quod ipse est peccabilis citra peccatum in Spiritum " Sanctum, ut supponitur ex sanctitate, humilitate, et reve- " rentia debita tanto patri. Cum enim sit frater noster " peccabilis, subjacet legi correptionis fraternæ; et cum totum " collegium suum potest esse deses in correptione pro neces- " saria prosperitate ecclesiæ, patet quod residuum corpus " ecclesiæ, quod possibile est secundum plurimum stare in " laicis, potest medicinaliter eum corripere, accusare, et ad " frugem melioris vitæ reducere. Casus autem possibilis " tangitur D. 40. 'Si papa fuerit a fide devius.' Sicut enim " non debet supponi in domino papa sine patenti evidentia " tantus lapsus, sic non debet supponi in[7] lapso de possibili " tanta obstinacia, quin medelam superioris sui, quoad Deum, " humiliter acceptabit; unde practicam istius conclusionis " multæ chronicæ attestantur. Absit ab ecclesia Christi quod " dampnetur veritas, quia male sonat peccatoribus vel ignaris; " quia tunc tota fides scripturæ foret dampnabilis."

Hoc modo idem versipellis J[ohannes] Wiclyff[8] ponendo intellectum in suis nefandis propositionibus, ut dictum [est,] favore et diligentia Londoniensium, delusit suos examinatores,

---

[1] *Patet*] ut patet, O.

[2] *Q.* 7.] 5. Q., H.

[3] Gratian, *Decr.*, pars. II., causa xvi., qu. 7, cap. 31, and *Decr.*, pars. I., dist. xl., pars. iii.

[4] *quod*] cum, O.

[5] See Consuetudines Feudorum, lib. ii., tit. 40.

[6] *a subjectis*] a, om. H.; a subditis, O.

[7] *supponi in*] suppositionem, W.

[8] Wyclyf, O.

A.D. 1378. episcopos derisit, et evasit. Quæ omnes, si simpliciter caperentur secundum modum quo ipse in scholis et in publicis prædicationibus eas protulit, hæreticam proculdubio sapiunt pravitatem. Non enim circumlocutionem aliquam eis immiscuit, quando eas laicorum auribus instillavit, sed nude et aperte, ut præscribuntur, eas docuit, captans [1] per talia gratiam laicorum, qui libenter audiunt quæ perversa sunt, præcipue tamen de ecclesia et personis [2] ecclesiasticis; et libentius impelluntur ad dampna vel injurias inferenda religiosis et clericis, cum aliqua opportunitas se ingesserit, quæ omnino exstat eis desiderabilis et votiva. Wals. Hist. i. 363.

Idemque memoratus hypocrita, cum ab episcopis mandata cepisset, ne ulterius in scholis seu sermonibus, propter laicorum scandalum, tales propositiones frequentaret, spreto sui metropolitani præcepto, obstinatus et inobediens, alias novas conclusiones ponere non omisit, adeo male vel pejus quam priores omnino sonantes, quas huic paginæ annectere dignum duxi :—

New conclusions of Wycliffe.

"Dominium civile est dominium proprietarium activi [3] " viatoris super bonis plene secundum leges humanas.

"Non stat pure clericum absque mortali peccato civiliter " dominari." Et intelligit per "pure clericos," papam, cardinales, episcopos, diaconos, et alios sacerdotes.

"Papa non potest dispensare contra Apostolum, sicut nec " cum pure clerico, ut habeat civiliter proprium.

"Dominium civile, formaliter dictum, sapit inseparabiliter " peccatum.

"Actus civilis est actus rationalis creaturæ, factus secun- " dum legem humanam.

"Sicut Deus non potest exercere actus civiles, nec homo " in statu innocentiæ, sic illicitum est alicui pure clerico actus " aliquos civiles exercere.

"Quodcumque collegium clericorum quod acquirit bona " fortunæ, redditus, vel proventus, ut eis civiliter dominetur, " peccat mortaliter.

"Est impossibile de Dei potentia absoluta Christum regnasse " civiliter.

"Monachi, sicut apostoli Christi, nihil haberent civiliter; " ut plane potest elici ex regula et professione unanimi " monachorum.

"Major pars accumulationis bonorum fortunæ in manibus " religiosorum esset dissoluta, si jura regni Angliæ essent

---

[1] *captans*] J. captus, H.

[2] *personis*] viris, O.

[3] *activi*] actum, W.

Wals. Hist. i. 364.

" debite exsecuta." Et intelligit per illum terminum "religio- " sorum" in dicta conclusione, episcopos, sacerdotes, monachos, et canonicos, ac omnes pure clericos. A.D. 1378.

[*De*][1] *dissensione nostratum in mari; et ut dominus Thomas Percy mirabilem*[2] *victoriam est adeptus.* f. 153.

Prope tempus istud rediit navigium Anglicanum, quod supra retulimus magna pertulisse pericula maris et ventorum in procinctu primæ profectionis; sed majora in hoc secundo [progressu],[1] non tanta tempestatum quanta perfidiæ defectionis suorum, in quibus sperare debebant. Namque hoc satis patuit per classiarios, quibus præpositus fuerat dominus[3] Filius Walteri.[4] Qui cum eo tempore, quo classis domini Thomæ Wodstok, comitis Bokingahamiæ, navigium Hispaniæ invadere decrevisset, ipsi, quos gubernasse debuerat idem dominus[3] Filius Walteri,[4] non solum non se movere in auxilium ejusdem Thomæ volebant, sed volentem eundem dominum Filium Walteri[3] ad ejusdem Thomæ solatium festinare pro viribus impediverunt, et ipsum, eosdem pro hujusmodi negato subsidio durius increpantem, ad mortem usque persecuti fuissent, si non idem dominus se cautius subtraxisset. Qui tandem, pene solus fugiens in quodam balingario, pervenit ad eundem comitem, et ei auxilium præstitit pro posse suo; unde factum est, ut tunc caperentur octo naves Hispanicæ in mari Armoricanæ Britanniæ, prope portum castelli de Brest. Et plures forsitan captæ fuissent, si præscripti desertores militiæ et defectionis[5] socii affuissent. Itaque re minus laudabiliter gesta, reversum est navigium post Natale, quod a primo procinctu, modo imbribus, modo nive, modo ventis et spiritibus procellarum, modo intestino dissidio, ita adversum, impeditum,[6] et conturbatum fuerat, velut caruisset divino favore.

Mutiny in the English fleet.

Capture of Spanish ships.

Return of the fleet.

Solus dominus Thomas Percy ex hoc navigio, pro suæ classis emendatione, remanserat, aliis, ut diximus, secunda vice proficiscentibus; qui non solum evadere meruit maris incommoda, sed et adipisci divino favore non tantum sibi sed et toti regno perampla commoda. Hic namque, postquam sui navigii infirma firmasset, profectus est cum una magna navi et duabus bargiis, aliisque minoribus vasis paucis, et factus

Exploit of Sir T. Percy.

f. 153. b.

---

[1] Om. H.

[2] *mirabilem*] mirabiliter, O.

[3] *dominus*] A blank space left for the Christian name, H. O.

[4] *Filius Walteri*] Fitz-Walter, O.; Fitz-Water, W.

[5] *defectionis*] defensionis, W.

[6] *impeditum*] impedimentum, H.

A.D. 1378. obviam quinquaginta navibus onustis mercibus Gallicorum, quarum quædam fuere Flandrenses, quædam Hispanicæ, ipsas intrepide est aggressus, denuncians primo Flandrensibus ut secederent ab Hispanis. Quibus nolentibus socios derelinquere, eo quod videbantur eorum bona communiter cum Francorum vehere necessariis, sine delectu rates invasit. Quæ cernentes ejus constantiam animosam, et putantes in proximo magnum sibi subsidium affuturum, resistere destiterunt; et mox, octo et viginti fuga prolapsis, viginti duæ se protinus reddidere; sicque solus idem Thomas, re bene gesta, rediit commendabilis, aliis nil reportantibus præter fuscam famam. De quibus [1] prædicatum fuerat eos expedisse minus prospere, quod non solum publicas meretrices ausi sunt secum ad marina bella traducere, sed et comprovincialium [2] conjuges, adulteri et incesti. Wals. Hist. i. 365.

f. 154. b. *Dominus Hugo de Calverle cepit* [3] *nundinas et villam de Stapul.* [4]

Sir Hugh Calverley plans an expedition.

Paucis evolutis diebus post Natale, dominus Hugo Calverle, otiositatem sibi inimicam existimans, nolens etiam inimicos in otio transigere diu dies, convocatis omnibus vicinis suis qui parebant Anglicanæ fidei, universisque suis stipendiariis, post magnam cœnam factam, cum omnes hilariores e vino factos esse conspiceret, quærit, si necessitas urgeret, utrum eum libenti animo ad communia sive dampna sive commoda secuturi essent; quibus sacramento firmantibus se ejus signa, quocumque vellet, prompto animo secuturos, tunc quidem singulis gratias agens eos ad propria loca remisit. Quos, vix elapso triduo, armatos adesse rogavit. Quibus ejus jussioni parentibus, ipse intimavit quid mente [5] conceperit, quidve facere communis utilitatis causa decreverit.

He plunders the French at the fair of Etaples.

Moxque cunctis in sua vota conspirantibus, eos secreto armatos educit, et ad villam de Stapul, quam festinanter potuit, properavit. Erant tunc nundinæ in eadem villa, ad quas confluxerant mercatores Bolonienses, Mostreolenses, Ambianenses,

f. 155. Parisienses, cum multis aliis, qui mercandi gratia illuc advenerant, nihil periculi metuentes. Nocte igitur dictus Hugo cum suis delitescens, mane notata [6] hora congrua villam ingreditur cum armatis. Qui illico irruentes in vulgus inerme, plurimos interficiunt, multos in vincula conjiciunt, captivorum

---

[1] *De quibus*] quibus de quibus, H. O.

[2] *comprovincialium*] provincialium, O.

[3] *cepit*] capit, O.

[4] Staple, O.

[5] *mente*] animo, O.

[6] *notata*] vocata, H.

Wals. Hist. i. 366.

more pecunia redimendos. Exhinc omnia mercimonia hostili more diripiunt, villamque comburunt igne supposito, præter pauca loca quæ diligentia dominorum a[1] flamma redempta salvantur. Vina etiam, aliaque mercimonia grossiora, quæ secum opportune tollere non valebant, minatus est idem Hugo diffundere vel gurgiti demandare, nisi mercatores, fide interposita, pro ipsarum rerum conservatione taxatam summam pecuniæ, pro suæ voluntatis arbitrio, solvere spopondissent. His rite peractis, Calesiam cum suis omnibus incolumis repedavit,[2] afferens secum e nundinis quæ suorum Calesiensium commodo merito cederent multis annis. A.D. 137 8.

Dominus Robertus Knollis cepit[3] *octoginta Britones.*

Eadem tempestate Robertus Knollis, cui custodia commissa fuerat castelli de Brest, per exploratores edoctus, didicit non post multos dies quosdam Britones adventuros hostiliter ad prædandum patriam circa eum, ut ipse provocatus hoc modo exiret inconsultius ad repellendum eos; unde, si fortuna faveret, ipsi Britones fiduciam ipsum intercipiendi[4] conceperant. Sed frustra; nam eorum fraudes[5] ipse præveniendo delusit, et, præcurrente divina gratia, quod in ipsum meditati fuerant in ipsos ille peregit. Ceciderunt que in foveam quam fecerunt, capti numero octoginta et carceribus mancipati. Sir Robert Knollis defeats the Bretons.

Nostrates deprædantur quasdam villas in Normannia.

Viri de Winchelse et de Rya, his diebus, collecta vulgari multitudine et ascensis bargiis, egressi sunt versus Normanniam, si quo modo possent dampna anni præteriti, eis illata[6] per adversarios eorundem cupientes incommodum,[7] resarcire; noctuque terræ applicantes, villam quæ Portus Petri dicitur ingrediuntur, armati quoque obvios in ore gladii trucidantes. Pervagantur vicos; quos dignos captivitate judicant, eos videlicet qui dignam summam pecuniæ pro redemptione pendere poterant, vinculatos ad vasa deducunt; domos cum ecclesiis spoliant, in omnibus remetientes eis eandem mensuram quam prius mensi fuerant apud Ryam; ubi tandem invenerunt multa An expedition from Winchelsea and Rye ravages the Norman coast.

---

[1] *a*] et, H.

[2] *repedavit*] prepedavit, H.; remeavit, O.

[3] *cepit*] capit, O.

[4] *intercipiendi*] interficiendi, W.

[5] *eorum fraudes*] ipsorum fraudem, O.

[6] *illata*] collata, O.

[7] *cupientes incommodum*] procupientes incomodis, H.

A.D. 1378. spolia quæ abduxerant de villa Rya, et præcipue campanas quas tulerant de ecclesia, cum plumbo etiam quod detraxerant infaustis manibus de eadem. Tandem commendantes universa Vulcano, descendunt, ad villam de Wylet non procul positam properantes, et, similia facientes ibidem, domum cum præda opulentissima sunt regressi. Wals. Hist. i. 367.

De duce et ejus petitione et [de][1] factis Baionensium.

The duke of Lancaster obtains the custody of the grants for the defence of the kingdom.

Per idem tempus Johannes dux Lancastriæ instanter expetiit[2] ut pecunia, præconcessa regi in ultimo parliamento a clero atque laicis, suo arbitrio traderetur, affirmans se inimicos a finibus Angliæ per annum integrum cum ipsa pecunia arta-turum, et insuper aliquod regno prægrande commodum alla-turum. Cujus importunæ petitioni, licet inviti, magnates assensum, non sine cordis amaritudine, præbuerunt; prænos-centes fortunam adversam sibi, et ipsum etiam tantum in regno valere, ut omnino non expediret eis ejus contradicere voluntati. Primum ergo diem mensis Martii statuunt, definito consilio, in quo omnes et singuli, qui huic profectioni interessent, ad mare parati per omnia convenirent. Et ne interim custodia mare careret, conductæ sunt novem naves de Baionensibus, quæ mare et aridam tuerentur ab incursibus et latrociniis Gallico-

Capture of Spanish wine ships.

rum. Quæ instructæ sufficienti manu armata, in brevi mare sulcantes, obviant navigio et mercimoniis Hispanorum; inito-que conflictu, classem vehementer invadunt Hispanicam, et in brevi captis decem et quatuor ratibus, onustis Baccho[3] ceteris-que necessariis, læta nova revertentes Angliæ nunciarunt. Domino tamen Roberto Knollis, custodi municipii de Brest,[4] de suis spoliis dedere primitias centum dolia vini præcipui, dum transitum per eum facerent versus terram istam.

Ut Bastardus Hispaniæ[5] paravit duci occurrere; sed[6] impeditus est per regem Portingaliæ.[7]

Henry the Bastard equips a fleet.

Henricus interea Bastardus, qui se dicit regem Hispaniæ, audito quod Baionenses tot dampna suis hominibus intulissent, et quod dux Lancastriæ ad ingressum maris se cum turba copiosa parasset, timuit vehementer, æstimans eum non ob

---

[1] Supplied from O.
[2] *expetiit*] petiit, O.
[3] *Baccho*] Bacho, H. O.
[4] *de Brest*] deberet, H.
[5] *Hispaniæ*] Hispani, H.
[6] *sed*] dꝫ, H.
[7] *Portingaliæ*] de Portingale, O.

Wals. Hist. i. 368.

maris custodiam solummodo accessurum, verum sed ob ejus regnum, quod idem dux petebat[1] ratione uxoris suæ, heredis legitimæ ipsius regni Hispaniæ, hostiliter vendicandum. Quare idem Henricus supradictus navigium de tota terra sua parari jussit, ut vel ipsum ducem ab ingressu terræ suæ viriliter perturbaret, vel, si fortuna faveret, ipsum[2] captivaret. Quod forsitan effecisset, si non rex Portingaliæ sibi impedimento fuisset. Nam ortis quibusdam simultatibus inter ipsos, rex Portyngaliæ, cum innumerabili pene Christianorum et Sarracenorum turba, regnum Hispaniæ hostiliter est ingressus, eo quidem tempore quando[3] idem Bastardus se contra ducem ad præcinctum itineris præparasset. Qua Bastardus occasione turbatus, ratus est tutius in terra morari, ad repellendum eos qui jam occupaverant ejus regnum,[4] quam dubium exitum arripere ad quærendum[5] eos qui nondum attigerant fines suos. A.D. 1378.

Oriuntur exsecrationes contra ducem.[6]

The duke delays putting to sea. f. 155 b.

Dux inter hæc, ut creditur, audito quod Bastardus mare contra eum petere decrevisset, sed minime cognito qualiter Portingalenses ejus consilium dissipasset, extimuit; et, cum pecuniam stipendiariam in festo Purificationis Beatæ [Mariæ][7] Virginis pro maris regnique custodia suscepisset, quatinus primo die Martii ipse cum suis essent in mari parati, ingressum tamen ejus in mare distulit usque post festum Sancti Johannis Baptistæ. Unde contigit quod hi, qui cum eo profecturi fuerant,[8] expensis stipendiis,[9] non in mari sed in terra propria cogerentur, urgente penuria, ad rapinas extendere manus suas, et, exceptis villarum incendiis et mortibus popularium, tanta mala facere, quanta pene fecissent Gallici, si affuissent. Quid igitur fit murmur

His troops forced to live by plunder on shore.

---

[1] *petebat*] patebat, H.

[2] *ipsum*] Some words, apparently "que[m voca]verat effe[mi]natis-" simum," added in O.; "propiti-" ante Marte" written over an erasure in R.

[3] *quando*] quanta, H.

[4] *ejus regnum*] regnum et terram ejus, O.

[5] *quærendum*] conquirendum, W.

[6] This chapter is omitted in R.

[7] Supplied from O.

[8] *fuerant*] erant, O.

[9] *stipendiis*] stipendiis suis, O.

A.D. 1378. in populo, non solum qui deprædationibus vexabantur, sed qui rapere cogebantur, universaliter; singulis deprecantibus hujusmodi malis finem imponi, illique præcipue malum finem, qui horum malorum omnium auctor exstitit exsecrandus!

His indecent conduct increases the public indignation.

Augebantur etiam tunc in eum exsecrationes pessimæ et invectiones turpissimæ, pro eo maxime, quod, postposita hominum verecundia Deique timore, ipse, deserta jam cura quam assumpserat militari, videbatur circumequitare patrias cum nefanda pellice, videlicet Katerina quadam de Swynford cognominata, ejus etiam frenum ipsemet tenendo publice, non solum in ejus uxoris præsentia, sed etiam cunctis videntibus patriotis, per celeberrimas villas regni. His aliisque nefandis initiis Deum, ut creditur, sibi reddebat offensum; et totius regni populum universum, cunctis generaliter metuentibus ultionem super totum regnum, propter talia,[1] divinitus affuturam. Omnes quoque regni incolæ sub tali duce hostibus se posse resistere desperabant.

Lament for the degradation of England.

O regnum, quondam cunctis regnis formidabile, jam [unius hominis][2] jaces depressum libidine, et in te ipso marcescis ignavum, timens quos ante terruisti, magis autem proprios, qui te eriperent a timore hostium externorum! Lugeas ergo tam dira fata[3] tua, cum nullubi valeas esse secura. Hinc namque inimicis extrinsecis manifeste pulsaris, hinc domesticis multo periculosius occulte turbaris;[4] ita ut inter cudem et malleum nullum tibi quiescendi speretur[5] refrigerium. Metuas adesse tibi[6] tempora prophetica voce prædicta, ne forte propter peccata populi tui regnare faciat[7] Deus super te hypocritam. [Regnare recte dixerim, quia nullus recte [reg]nare dicitur quam is[8] cujus non solum imperio

[1] *propter talia*] propter ejus scelera, O.
[2] Supplied from O.
[3] *fata*] facta, H.
[4] *turbaris*] turbariis, H.
[5] *speretur*] separatur, H.
[6] *tibi*] cibo, H.
[7] *faciat*] fecerit, O.
[8] *is*] hiis, in orig.

paret obsequendo popul[us] sed vitiis [se]u pecca[tis].][1] A.D. 1378. Igitur aliquando, licet sero, erige caput tuum, et collum excute de sub tantæ jugo malitiæ, ne super te adulterinos dominos patiaris. [Quid tibi et Johanni de Gandavo qui regis tui pueritiam [innocen]tiamque del[usit]?][1] Quid tibi et tot vitiis,[2] quibus [ipse][3] manifeste deservit, quibus ita perplexe adeo irretiris, ut nulla sit spes tibi evadendi, sine magna misericordia Dei tui. Convertere ergo ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo, quoniam benignus est [et misericors][3] præstabilis super malitia; et forsitan humiliabit adversarios tuos, ad laudem et gloriam nominis tui, restituetque tibi nomen, juxta nomen antiquum.

Nostrates vincuntur ab Hispanis.

Wals. Hist. i. 368.

Dum igitur res se haberent, ut diximus, circa ducem, et ipse [tam exsecrabiliter conversaretur in terra et][4] profectionem suam indies retardaret, moti hi qui classi occiduæ præfuerunt, non exspectato duce, maris alta cum nonnullis viris bellicis petierunt, ibidem ejus adventum exspectaturi; gloriosius reputantes in mari de manubiis[5] hostium victitare, quam in patria de spoliis incolarum. Cumque diebus aliquot maris peragrassent semitas, obvii fiunt eis Hispani cum armata manu. Qui mox, consertis viribus utrobique, ducti prædæ cupidine pugnaverunt; sed nostri, adversa tempestate disjuncti,[6] victoriam hostibus concesserunt, quibusdam fuga prolapsis, quibusdam captis per manus hostiles. Captus est in eo conflictu dominus Hugo Courtenay, miles egregius inter multos. Infortunium vero totum duci Lancastriæ est ascriptum, eo quod ipse suam præsentiam tam diu subtraxit ab eis; unde et maledictiones vulgi totius incurrit [et merito][3] ut refert fama communis.[7] Defeat of the English at sea by the Spaniards.

[1] These two passages, which only occur in O., are damaged by fire.

[2] *vitiis*] vitii, H.

[3] Supplied from O.

[4] Supplied from O.; "nil festi- "nare diceretur ad mare, sed," written over an erasure in R., and adopted in W.

[5] *manubiis*] manibus, O.

[6] *disjuncti*] defuncti, H.

[7] *unde . . communis*] sed si dux in culpa fuerat, ignoramus, non enim semper recte judicat vulgi furor, written over an erasure in R., and adopted in W.

A.D. 1378. *De obitu papæ Gregorii undecimi, Angliam diligentis.* Wals. Hist. i. 368.

Death of Gregory XI.

Eodem tempore, circa festum Annunciationis Sanctæ Mariæ,[1] obiit papa Gregorius undecimus; bonus utique vir et justus, qui multum doluerat de dampnis utriusque regni, et plurimum laboraverat ut pax fieret inter illa. Ipse etiam [2] ob amorem domini Symonis de Langham, cardinalis et episcopi Prænestini, quondam Cantuariensis archiepiscopi, dum pestilentia invaluisset in hac terra, per bullas suas, omnibus tunc morientibus, vere contritis et confessis, de thesauris ecclesiæ plenam remissionem indulsit; exceptis his qui ære alieno gravabantur. Magnum utique beneficium, et omni acceptione dignissimum, etiam quo majus incolis non potuit impendisse.

Election of Bartholomew, archbishop of Bari, to succeed him.

Huic successit Bartholomæus, Barensis archiepiscopus, qui multiplices tribulationes pertulit a cardinalibus pro cultu justitiæ, adeo ut ipsi niterentur eum cum dedecore papatu privare; ut inferius declarabimus suo loco.

Johannes Mercer cepit[3] *naves*[4] *apud Scarburgh.*

The son of John Mercer captures some English ships.

Circa tempus istud filius Johannis Mercer, natione Scotus, collecta non parva manu Gallicorum atque Scotorum, ac etiam Hispanorum, dum adhuc dux noster [infaustus][5] in terris ageret, aggressus est naves quasdam apud Scarburgh; quas incautas levi negotio cepit, et secum ad mare deduxit, occisis prius quibusdam qui navibus illis præerant, quibusdam vinculis mancipatis. Et ideo quam maxime ista nostratibus irrogaverat, in ultionem opprobrii patris sui, qui antea ab Anglis captus fuerat, et in castello de Scarburgh[6] mandato regio custoditus. Erat autem pater ejus æque Scotus tam
f. 156. gente quam patria, et regi Franciæ propter divitias multas prædilectus; nam erat mercenarius, et vir satis vafer et consilio providus, cujus non immerito oris decreta, in his quæ Angliam contingebant, ipse rex et omnes pene Gallici sequebantur. Hunc, casu interceptum cum quibusdam navibus, Northumbrenses eorum comiti præsentarunt. Qui, ut diximus, in eodem castello custodiæ deputatus, cito post deliberatus fuerat, ad magnum dampnum totius regni et omnium incolarum. Nam si redemptus fuisset captivorum more, regem et regnum in-

[1] *Annunciationis . . . . Mariæ*] Sancti Yvonis episcopi, mense Martio, W.

[2] *etiam*] sunt, H.

[3] *cepit*] capit, O.

[4] *naves*] nostras, H.

[5] *noster infaustus*] Lancastriæ Johannes, R. W.; *infaustus* supplied from O.

[6] Scardeburgh, O.

Wals. Hist. i. 369.

æstimabili pecunia divites effecisset. Hujus filius, ut prælibavimus, postquam dampna nostratibus apud Scarburgh intulisset, nimium gloriabatur de arridente sibi fortuna, et majora Angliæ dampna non solum meditabatur, sed[1] etiam publice minabatur. Sed ejus conatus impedivit, Qui superbos humiliat et exaltat humiles; enimvero suscitavit Deus contra eum unum ex civibus Trinovantum, qui eum humiliavit, et a timore ejus regnum Angliæ liberavit, ut patebit inferius volentibus intueri. A.D. 1378.

Viri Johannis Philipot capiunt J. Mercer et multam prædam.

John Philipot captures the son of John Mercer.

Johannes Philipot, civis Londoniensis, vir et ingenio præcluus et potentissimus opibus, ducis Lancastriæ et ceterorum dominorum defectum, [ne dicam falsitatem,][2] qui regnum defensasse debuerant, attente considerans,[3] et oppressionibus condolens incolarum, de propria pecunia conduxit ad millia armatorum, qui et prædicto Johanni Mercer eriperent naves et bona quæ latrocinando ceperat, et regnum Angliæ a talibus incursibus tuerentur. Et factum est, ut Omnipotens,[4] qui semper assistit piis votis, sibi et suis[5] successus prosperos ministraret; ita ut in brevi eundem Johannis Mercer filium jure bellico sui conducticii[6] caperent, cum omnibus quæ apud Scarburgh ipse violenter abduxerat, et aliis quindecim navibus Hispanorum, onustis multis divitiis, quæ sibi auxilio fuerant eodem tempore, infausta hora.

Praise of John Philipot, and unpopularity of the duke of Lancaster.

Fit ergo in plebe universa tripudium, omnibus laudantibus et admirantibus tantam ipsius viri[7] erga regnum[8] benevolentiam et caritatem, et e contra exsecrantibus ducis et procerum, quos omnes jam tunc fama fuerat sibi favere potius quam ipsorum naturali regi, quem non Anglorum sed Londoniarum regem appellabant, perfidiam et defectum. Quia revera, a tempore coronationis ipsius regis, ipse dux semper egerat, ut dicebatur,[9] promissionibus, minis, et muneribus, ut proceres[10] ab amore regis averteret, et ad sibi favendum potius inclinaret, quia rex novus

---

[1] *sed*] etsi, H.
[2] Om. H.; supplied from O. W.
[3] *ducis . . considerans*] Marked for erasure in R.
[4] *Omnipotens*] ēps, H.
[5] *suis*] ejus, H.
[6] *conducticii*] conducentii, H.
[7] *viri*] viri quod, H.
[8] *regnum*] regem, W.
[9] *ut dicebatur*] om. O.
[10] *proceres*] O.; preces, H.

A.D. 1378. magis plebis electione et favore constitutus fuerat, et præcipue a Londoniensibus honoratus, quam procerum
Richard II., "king of London." voluntate creatus. Ideo profecto "Londoniarum rex" ab ipsis proceribus ironice est vocatus; sed faveat, quæso, destituto nostro regi Qui miseretur pupillo et inopi.[1]

Proceres invident J. Philipot pro bono facto suo.

Jealousy of the nobles towards Philipot. Proceres regni Angliæ, scilicet barones et comites, videntes tam laudabile factum Johannis Philipot, conscientiæ propriæ stimulis agitati, illud ægre ferebant. Et quamvis se reos agnoscerent et culpabiles, in tantum ut jam plebi eorum foret manifesta desidia,[2] tamen eidem Johanni Philipot non solum occulte insidiari, sed publice improperari, cœperunt; dicentes non licere sibi talia facere sine consilio regis et regni, acsi non licuisset sibi benefacere regi vel regno sine consilio comitum et baronum. Quibusdam autem talia memorantibus, et præcipue omnium minus valido, sed pompatori[3] præcipuo, scilicet comiti de Stafford, Hugoni, idem Johannes dicitur
His answer to them. respondisse; "Prænosce," ait, "absque dubio, me neque "pecuniam meam neque meos ad maris pericula ideo desti- "nasse, ut tibi vel collegis tuis surriperem militiæ[4] nomen "bonum, mihique lucrarer; sed condolens plebis patriæque "miseriæ, quæ jam vestra desidia de nobilissimo regno, domina "quoque gentium, est in tantam devoluta miseriam, ut cujus- "libet vilissimæ gentis direptioni pateat; cum sit nullus ex "vobis qui ad defensionem ejus manus apponat, ego me "meaque exposui, pro propriæ gentis salvatione, et patriæ "liberatione." Comes autem non habens quid responderet conticuit,[5] his auditis. Wals. Hist. i. 370.

[1] *et e contra . . inopi*] Erased, and altered into, "jamque solus Johan- "nes Philipot ore omnium lauda- "batur, et admirationi habebatur. "De nostris vero proceribus, et mi- "litia quæ dudum conducta fuerat, "dicebantur probrosa verba, aspera, "et invectiva, prout commune vul- "gus solet inferre vario motu suo. "Londonienses præcipue obloque- "bantur, dicentes jam perpaucorum "procerum corda fore cum rege, "eos solos sibi fideles esse, quorum "rex, licet ironice, vocabatur a "nonnullis proceribus, eo quod ipsi "multum juvissent eum in corona- "tione sua." R., followed by W.

[2] *desidia*] perfidia, O.; inertia, R. W.

[3] *minus . . pompatori*] pene minori sed prolocutori, R. W.

[4] *militiæ*] meliorem, H.

[5] *conticuit*] O.; constituit, H.

Wals. Hist. i. 371.

Villa de Scarburgh[1] *conducitur ad opus regis Angliæ per comites Sarisburiæ et Arundelliæ.*

A.D. 1378.

Adhuc dux in Anglia morabatur, nolens maris experiri fortunam tempore fortunato,[2] scilicet nec in vere nec in prima æstate, vel ventos timens vel hostes metuens, qui tunc temporis vel insurgunt vel mare percurrunt.[3] Sed ejus persuasu ingressi sunt mare duo comites Sarum et Arundelliæ, qui, scrutatis ubique locorum hostibus, sibi et sociis mare ingressuris nulla pericula nunciarent. Comes vero Sarum, utpote vir in armis a juventute exercitatus et strenuus, mox ut mare ingressus est, compulit naves ad terram oppositam, ut aliquid dampni adversariis irrogaret. Ubi dum moram trahit nocivam adversariis, componit cum habitatoribus villæ de Scarburgh, quæ pertinebat regi Navariæ, qui jam et ipse inimicus factus fuerat regi Franciæ, ut eadem villa cederet dispositioni et arbitrio regis Angliæ; ita duntaxat, ut idem rex Angliæ manucapiat custodiam ejusdem villæ adversus Gallicos, ad commodum tam regis quam regni Angliæ, et nocumentum Gallicorum. Quod ut factum est, mox comites Sarum et Arundelliæ remiserunt ad regem et regni concilium, certificantes eos de tam gratioso eventu, et ut destinarent illuc ex Anglicis, qui villæ custodiam obtinerent. Missi sunt igitur ad custodiendum villam illam ex Anglicis quot sufficere videbantur; et paulo post comites in Angliam redierunt.

Cherbourg is placed under English protection.

Hugo Calverle decepit capitaneum de Arde ipsum decipere meditantem.

f. 156 b.

Hugo Calverle per idem tempus, cujus memoria in benedictione est dormire, non sinens Gallicos prope eum, cepit quoddam castellum cujus nomen erat Mercurius,[4] ad solum usque dejecit, cum ecclesia quadam, quæ castello vicina erat et magnum præsidium Gallicorum. Et parvo interjecto tempore, versus Sanctum Audomarum proficiscens, cepit innumerabilem multitudinem animalium diversorum, et ad Calesiam usque deduxit; nullo audente conatus ejusdem impedire, quia Deus erat cum eo et omnia ejus opera dirigebat.

Sir Hugh Calverley destroys the castle of Merk.

Ejus est insuper laudibus ascribendum, quod capitaneum castelli de Arde, qui eum dolose decepisse decreverat, ipse juste

He defeats a stratagem of the cap-

[1] Chirburgh, O.

[2] *fortunato*] limitato, R. W.

[3] *vel . . percurrunt*] nescitur quibus detentus impedimentis, R. W.

[4] Merk, W.

A.D. 1378. tain of Ardres.

deceperit, et in foveam quam effoderat eundem tali occasione impulerit sapienter. Petierat idem capitaneus a rege Franciæ auxiliares vires, videlicet quosdam milites et instrumenta bellica, machinas, et tormenta, et alia quibus vel infestari vel omnino prosterni solent munitiones hostium; promittens se magnum dampnum nostris municipiis, præcipue sitis prope Calesiam, illaturum. Præfinito igitur die, quo hæc omnia ad villam de Arde veherentur, timens idem capitaneus sollicitudinem ejusdem Hugonis, qui vix aut nunquam sinebat Gallicos vel eorum bona prope eum impune transire, ut eum teneret attentius occupatum, quominus impedirentur ejus vota quæ conceperat, mittit ad eum, nuncians aliqua velle tractare cum eo; et hoc caute egit, ut eodem die foret iste tractatus, quo omnia prælocuta pervenirent ad eum. Hugo vero, vir perspicax, æstimans non pro nihilo eundem capitaneum tam[1] sollicite eidem talem diem ad tractandum deputasse, sibi quidem concessit ipso die salvum conductum, tractaturo de quibuscumque placeret; suis autem propriis hominibus misit occulte, mandans ut viam ipsam obsiderent, secretiusque ducit de Bolonia ad villam de Arde, ne forte idem capitaneus nova aliqua ipsis nociva vel contraria moliretur. Et factum est, volente Deo, ut hæc omnia ab hominibus ipsius Hugonis prospere caperentur, et ad Calesiam ducerentur, cum omni apparatu armatorum et aliarum rerum, ipso capitaneo de Arde nondum egresso de prædicto colloquio, quod ipse dolose confinxerat ad decipiendum Hugonem. Videns igitur omnia venire Calesiam, expavit vehementissime, recedens cum gemitu atque murmure; dolum, quem imaginaverat, fatebatur, asserens se[2] ingeniose deceptum et in adinventione propria circumventum. Wals. Hist. i. 372.

De perniciosa præsumptione Northumbrorum.

The Northumbrians defeated in an incursion into Scotland.

Contigit sub eisdem diebus Anglicis grave dampnum, et dedecus toti regno, imprudentia et superbia Northumbrorum; quorum ut est proprium, loqui sublimia et grandia temere attemptare, ita de facili succumbere, et sine grandi negotio enervari. Hi namque, de sua virtute fidentes, inconsulte nimis eruperunt de occidentali marchia in terram Scotorum, putantes se posse ibidem montes æquare vallibus, lapidesque conterere sine auxilio vicinorum. Scoti vero de eorum eruptione satis edocti, congregata sufficienti armata manu, eis

---

[1] *tam*] tamen, H. | [2] *asserens se*] asse, H.

Wals. Hist. i. 373.

in obviam processerunt, et sine magno eorum dispendio, majorem partem eorum crudeliter peremerunt. Quo facto, accrevit Scotis audacia, Anglis vicinis timor et inertia, adeo ut jam effeminatos crederes, quos parum ante cordis magnitudo æquaverat leopardis. Missus est ergo dominus Edmundus Mortimer, comes Marchiæ, ad tractandum cum Scotis, ut moris est singulis annis, in die quam Anglici et Scoti diem[1] Marchiæ consuetudinaliter appellant. Qui id efficit, ut treugæ stabiles inter utrumque populum, sed parvo tempore, firmarentur. A.D. 1378. A truce.

De visitatoribus ordinis venientibus ad Sanctum Albanum.[2]

Circa festum Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli venerunt ad Sanctum Albanum, visitandi gratia, duo monachi de Ramesia, commissarii domini abbatis de Burgo Sancti Petri, qui legitimis causis impeditus non potuit visitationi præsentialiter interesse. Igitur, quia commonachi sui de proprio monasterio negotiis aliis præpediti fuerant, rogavit idem dominus abbas de Burgo dominum abbatem de Sancto Albano, ut monachos antedictos de Ramesia dignaretur ad visitationis officium acceptare benigne; quod et dominus abbas gratanter concessit eidem. Venientes autem ad Sanctum Albanum cum honore quo decuit sunt recepti. Et in crastino post acta more cotidiano secreta capituli et psalmos precesque consuetas, iterum cunctis residentibus, introducti sunt honorifice iidem monachi, et in eminentiori loco capituli collocati. Et post sermonem ab uno ex ipsis dictum, dominus abbas est exorsus[3] hujuscemodi orationem ad commissarios antedictos: "Domini "mei," inquit, "reverendi, quibus nos oportet ad præ- "sens in cunctis, quæ visitationem vestram contingunt, "auctoritate constricti apostolica obedire, notum vobis "facimus, quod in nullo vestræ commissioni volumus

Visitation of the monastery of St. Albans.

The abbat addresses the visitors.

[1] *diem*] Repeated, H.

[2] This chapter does not occur in R.

[3] *exorsus*] exorsum, H.

A.D. 1378. " derogare, sed in omnibus vobis parere, salvis privi-
" legiis domus nostræ. Iccirco, quantum ad personam
" meam attinet, in primis vestræ notifico reverentiæ
" me nulla scire de conventu meo vel defectibus de-
" ponere domus hujus, quæ non possunt emendari
" potius per me quam per adventum vestrum." His dictis in propatulo, dominus abbas recessit a capitulo, præcipiens fratribus universis ut, si scirent aliqua corrigenda, ipsi, prout moris est, visitatoribus propalarent.

Satisfactory conclusion of the visitation.

Visitatis ergo omnibus et auditis singulis, nihil compererunt, laudes Deo, visitatores dicti, per quod antiquus bonus odor monasterii vel minimo fœdari potuisset; sed potius ipsi, qui ad reformandam religionem se venisse putabant, in religione, quam invenerant, et

f. 157.

fratrum caritate edificati, cum stupore et gaudio recesserunt,[1] optantes prospera ipsi monasterio bonosque successus, ubi tot bona religionis ac virtutum studia reperissent.

De infortuniis quæ contigerunt [duci][2] in Britannia et regno Angliæ per idem tempus.

The duke of Lancaster at length prepares to embark.

Prope dies istos dux Lancastriæ [cujus memoria mœstificat],[3] post diutinam[4] moram in terra, quam protraxerat, conversaturus[5] in aquis validis accingitur, cum turba satis valida, versus mare. Quæ quidem multitudo ad resistendum quibuslibet hostibus suffecisset, si dux bonus[6] tanto agmini minime defuisset. Sed pudet recordationis tot rerum tam male gestarum ab ipso[7] adeo ut silentio multa tegamus quæ scribere deberemus, ne forte a suis fautoribus,[8] sive nostris æmulis, odii seu malitiæ argui valeamus. Ne ergo lateant omnino posteris facta sua,[9] parcius quam gesta sunt omnia ab eodem[10] locuturi

Wals. Hist. i. 373.

---

[1] *recesserunt*] O.; recesserent, H.

[2] Supplied from O.

[3] Supplied from O.; cujus memoriam sæpe perante fecimus, R. W.

[4] *diutinam*] execrabilem, O.; longam et diutinam, R. W.

[5] *conversaturus*] jam, licet sero, conversaturus, R. W.

[6] *dux bonus*] Dei gratia, R. W.

[7] *ab ipso*] ipso tempore, R. W.

[8] *a suis fautoribus*] ab incredulis, R. W.

[9] *sua*] nostratum, R. W.

[10] *ab eodem*] tunc temporis, R. W.

Wals. Hist. i. 374.

sumus, cursim[1] transeundo potius [ejus[2] infortunia], quam in talibus inmorando. A.D. 1378.

Ingressus mare igitur,[3] post non multos dies, ad Britanniam est trajectus Armoricam, ubi combustæ[4] sunt quædam villulæ per dominum Robertum Knollis; sed non impune, nam plures amisit ex valentioribus viris suis. Dux vero ad Sanctum Mauloum se cum omnibus copiis contulit, villam inter omnes villas Britanniæ bene munitam, ut, illa capta, fecisse magni aliquid videretur. Sed villani, ut dicitur, de tanti exercitus multitudine tremefacti, obtulerunt duci villam, eo pacto ut ipse eos a rapinis et incendiis tueretur[5] cum omnibus bonis suis. Sed dux, nesciens uti pace sibi et suis concessa cœlitus,[6] audita tam gratiosa conditione; mox tumuit,[7] et elevatum est cor ejus[8] in tantum, ut pacem oblatam sperneret, mandans ut sine conditione aliqua redderent sibi villam, facturo de ea et civibus quæcumque sibi placerent. Cives vero, postquam hæc audissent, videntes rem agi pro capitibus, audacia villam alacriter munierunt. Dux vero, cujus erat proprium, ut fertur, dicere non "venite" sed "ite,"[9] jussit suis ut irent ad experiendum vires cum villanis, dum ipse interim se contineret a longe, exploraturus rerum exitum et facti finem.[10] Conserunt ergo manus Anglici et Britanni, et utrobique acriter decertatum est, illis cupientibus res et capita custodire, istis e contrario nitentibus villanos atterere, et civibus et eorum possessionibus dominari. Sed tandem, ut creditur, injuriam passis fortuna favit, et prævaluerunt Britanni, Anglicis a muris turpiter satis dejectis et quam plurimis ex valentioribus interfectis. Quid plura? Noluit[11] dux suorum facta fœdari, nec[12] suis militibus præstantior[13] in opere martio reperiri.[14] Quapropter recessit

He lands in Brittany.

The people of St. Malo offer to capitulate.

The duke refuses the conditions.

He orders an assault.

His cowardice.

The English are beaten off.

[1] *cursim*] cursum, H.

[2] *potius ejus*] potiusque silendo, R. W.; *ejus infortunia* misplaced in H.

[3] *igitur*] dux, R. W.

[4] *combustæ*] couste, H.

[5] *tueretur*] teneretur, H.

[6] *nesciens . . cœlitus*] hanc civium submissionem æstimans esse vecordiam, prout dicebatur a pluribus, R. W.

[7] *tumuit*] timuit, H.

[8] *mox . . ejus*] non suscepit eos, sed repulit, R. W.

[9] *cujus . . ite*] collectis exercitibus, et rebus expugnandæ villæ necessariis, R. W.; *iste* for *ite*, H.

[10] *exploraturus . . finem*] contemplaturus bellantes, et optimos pro meritis remuneraturus, R. W.

[11] *Noluit*] Doluit, R. W.

[12] *nec*] cum, R. W.

[13] *præstantior*] præstantiores, R. W.

[14] *reperiri*] reperiret, R. W.

A.D. 1378. iratus, dedignans accedere ad hostes tam truces; sed illos commisit propriis arbitrio et voluntati, nunquam habiturus ex illis tantum honorem quantum habuit in principio adventus ad eos.[1] Wals. Hist. i. 374.

The French burn Fowey and other towns in Cornwall.

Sed dum hæc aguntur, Gallici oceanum pervagantes, villas in Cornubia licenter incendunt, videlicet Fouhay et quasdam alias, absque resistentia sive licentia Anglicorum.[2] Sicque sub ducatu ducis nostri[3] hic illicque percutimur, ubique vero generaliter flagellamur. Quia

> " Si bubo lapidi jactetur, vel lapis illi,
> " Ictus dampna gravis semper habebit avis."

De pollutione ecclesiæ Sancti Petri de Westmonasterio per nefandam interfectionem Roberti Hales.

Pollution of Westminster abbey.

Rem scripturus sum plus quam tragicam, qui comœdiam scripsisse semper optaveram; scelus a nostris seculis intemptatum, sed in nostris diebus, proh pudor! perpetratum; qualiter videlicet Sathanæ satellites, irrumpentes templum, inauditum perpetrant sceleris exemplum, pollutionem utique illius aulæ Dei, [ab] Apostolorum principe dedicatæ, et ad præsens tempus ab ipsis etiam incredulis et sine fide hostibus impollutæ. Sed invenit tempus nostrum, proh dolor! homines Christiano nomine insignitos, pejores infidelibus, et irreverentiores etiam ipsis ethnicis aut paganis. Revera pagani suorum sacrorum immunitates et jura, quæ non soldanorum, admiralliorum,[4] sive regum, chartis fulciuntur, sed solum devotione plebeiana, adeo illibata[5] custodiunt, ut capitale sit infra ambitum templi ullius hominem percussisse. At templa tanta gaudent immunitate, ut nulli liceat dampnum aut gravamen inferre his qui se talibus libertatibus contulerunt. E contra vero, Christiani modernis temporibus, sub fide falsi, et deteriores ethnicis, non sinunt domum Dei, portam cœli, januam Paradisi, Summi Sacerdotis aulam, videlicet Domini Jesu Christi sponsam, non solum liberam et immunem esse, sed eam incestis manibus, funestis gladiis, truci proposito, non tantum ancillare, sed insuper polluere humano sanguine, non verentur. Quid ergo dicendum, ubi

---

[1] *nunquam . . eos*] Erased in R.

[2] "Hæc tamen in ducis absentia " facta sunt in terra ista," added in R. over an erasure, and printed in W.

[3] *ducatu ducis nostri*] hac tempestate, R. W.

[4] *admiralliorum*] admirabiliorum, H.

[5] *illibata*] illabata, H.

Wals. Hist. i. 375, 376.

fides periit, jus evanuit, devotio friguit et abscessit? Vel quid scribendum, ubi omnis conspirat in deteriora consensus? Dolor namque nos silere compellit, magis autem ipsa periculosa tempora, in quibus perfidi Christiani, antichristi discipuli, divini verbi prædicatores, sive ipsorum morum detestabilium conscriptores, odiis, dampnis et injuriis persequentur. Sed tamen, ne videamur magis homines vereri quam Deum, etsi non universa mala quæ fiunt in terra scribere decreverimus, illa saltem trademus notitiæ posterorum, quæ pro sui magnitudine latere non debent. A.D. 1378.

Robert Hale and John Schakyl, refusing to surrender f. 157 b. the custody of the count of Denia's son, are imprisoned.

Erant ergo in his temporibus duo armigeri, quibus non facile vel in Anglia vel in Francia validiores reperiri valerent; nomen uni Robertus Hale, alteri vero Johannes Schakyl. Hi ante decennium, in bello quod illustrissimus princeps Edwardus contra Hispanos gesserat, in quo et Henricum Bastardum devicit, et Petrum fratrem ejus injuste pulsum regno restituit, ceperant comitem de Dena, virum non ignobilem inter Hispanos, qui judicio principis et Johannis Chaundos, dictorum armigerorum magistri, eorum captivus est effectus. Super quorum decretis ipsi armigeri chartas, tam principis quam dicti Johannis sigillis firmatas, obtinuerant, ne alicujus in posterum impetitio præpediret eos, quominus emolumentum tanti personæ perciperent. Dictus igitur comes de Dena filium suum primogenitum eis dederat in obsidatum pro eo, dum ipse, dictorum armigerorum indulgentia, ad propria remissus esset. Comes autem, postquam Hispanias pervenisset, concessit in fata,[1] filio, ut dictum est, in Anglia obside derelicto. Hunc ergo, postquam naturæ debita persolvissent duo illustrissimi Edwardi, videlicet rex pater, filius quoque princeps, consiliarii novi regis ad opus ejusdem tumide petierunt; ut quibusdam vero placet, hoc factum est in gratiam ducis Lancastriæ, qui habebat jus in regnum Hispaniæ, ut, habito tanto comite, ad prædicti regni possessionem facilius perveniret. Alii vero asserebant factum propter dominam Matildem, sororem regis, relictam domini P. de Courtenay, ut, illa sibi desponsata, et illa tanto viro promoveretur, et pax et concordia accresceret per tales nuptias inter regna. Sed nullo modo prædictum personam extorquere poterant ab illorum manibus rex nec ipse dux, quin ipsum occultarent et ab eorum manibus elongarent. Quapropter capti et in turri Londoniarum trusi sunt. De qua custodum[2] evadentes incuria,[3] ad Westmonaste-

They take sanctuary at Westminster.

[1] *concessit in fata*] parvipendebat fidem datis hiis qui eum ceperant, R. W.

[2] *custodum*] custodia, W.

[3] *incuria*] in curia, W.

A.D. 1378. rium confugerunt. Quod dux graviter ferens, ut fertur, et eorum æmuli, consiliati consilium inauditum,[1] ut videlicet, spretis tot sanctorum regum sanctionibus, tot summorum pontificum confirmationibus, et tot contravenientium terribilibus sententiarum comminationibus, postremoque divino timore ac sanctæ matris ecclesiæ reverentia, statuerunt eos, a sanctuario perturbatos, ad turrim usque reducere, et ibidem cautius conservare; vel, ut putatur, tot malis affligere, ut vitam deserere cogerentur. Proinde mittuntur ex aulicis[2] ad Westmonasterium, causa hujus injuriæ[3] in homines, Deum, et ecclesiam, committendæ, quinquaginta armati; secrete tamen, propter metum Londoniensium, ne forte tumultus fieret in plebe illa. Wals. Hist. i. 377.

Schakyl is retaken.

Qui ingressi sanctuarium[4] Sancti Petri, astu quidem primum, scilicet Johannem Schakil, circumventum libertate ecclesiæ exuerunt, et ad turrim illico reduxerunt. Ad secundum autem, Robertum Hale, cum venissent, et ipse missarum solemniis, in crastino videlicet Sancti Laurentii, interesset, convenerunt eum de satisfaciendo regi super his quibus ejus offenderat majestatem; quia cum esset ligius homo ejus, regiis non tantum postulationibus, quantum precibus ejus, spretis, contra eum tergiversari tam procaciter ausus fuit. Ille vero, dum non regem, sed regis[5] consiliarios, de injustitia, avaritia, falsoque consilio, accusare niteretur, et illi manus injicerent ad extrahendum eum de ecclesia videlicet,[6] extracto quodam curto gladio, mox omnes armatos ipse inermis ad fugam coegit, et salvare se cupiens, bis circa chorum monachorum currendo pro refugio, tandem in ipso choro ab ipsis undique circumvallatur. Quid multa? Ex omni parte strictis pugionibus impetitus ut se reddat perstrepunt, horribiliter exclamando, et sanctissimum illum conventum monachorum, necnon sacerdotum sacro[7] astantem altari, post perlecta Sancti verba Evangelii, conturbando. Amplius etiam exarsit eorum furor, in tantum, ut domum Dei non solum haberent despectui, sed etiam [in] ipsos Christi famulos, qui jam, ut dictum est, divino[8] in choro astabant ministerio, iniquitatis vasa converterent, pectoribus singulorum figentes cuspides gladiorum, vetantes eos sub pœna mortis horridæ, ne suffragio forent illi quem perimere laborabant. At illi, qui eundem Robertum Hale circumsteterant, dum pacem ecclesiæ peteret, dum

Hale is murdered in the abbey.

[1] *consiliati consilium inauditum*] conciliati conscilium auditum, H.; consiliarii consilium inauditum, W.

[2] *aulicis*] anglicis, H.

[3] *injuriæ*] incuriæ, W.

[4] *sanctuarium*] secularium, H.

[5] *regis*] ejus, W.

[6] *videlicet*] violenter, W.

[7] *sacro*] sacris, H.

[8] *divino*] Domino, W.

Wals. Hist. i. 378.

causam tanti sceleris quæreret, dum se tandem cancellatis manibus sub his verbis Deo et ecclesiæ commendaret, inquiens, "Deo me reddo, talium injuriarum vindici, et libertati "sanctæ matris ecclesiæ," unus eorum, inter hæc verba, gladio percutiens caput ejus, eum in choro, prope altare stantem, crudeliter excerebravit; alius vero ejus corpus in eodem momento mucrone transfodit a tergo. Quidam autem ex famulis ipsius ecclesiæ, qui conatus fuerat eos impedisse a tanti sceleris perpetratione, prædicando atque monendo, ne verendum illud templum, miraculose ab Apostolorum principe dedicatum et hactenus impollutum, fœdarent, cujusdam framea mox in ipso loco per latera trajectus interiit, martyrio, ut credimus, coronatus. Dicti vero ministri sceleris, antichristi[1] præambuli, non contenti tot exsecrandis maleficiis, ipsius Roberti Hale cadaver exanime per pedes arripiunt, et illud horrende trahentes per sacratissimum locum chori, ac per ecclesiam, ejus sanguine sive cerebro cuncta fœdantes, demum irreverenter foras ejiciunt; utpote beluæ[2] debacchantes,[3] quæ nec timent Deum nec hominem reverentur.

A.D. 1378.

A servant of the church also killed.

Hale's body dragged through the choir.

Sic[4] ergo profanatum est sanctuarium, luget Syon, Sancti Petri sacrarium sedet in tristitia; regum receptaculum, domina ecclesiarum facta est in opprobrium et derisum, viæ Syon lugent, quia omnes portæ[5] ejus obstructæ,[6] sacerdotes ejus gementes, et ipsa oppressa amaritudine; facti sunt hostes ejus in capite, inimici illius locupletati sunt, quia Dominus locutus est super eam. Et quid locutus est Dominus? Prædixit, ut a senioribus nostris audivimus, istud facinus; prædixit et vindictam deferendam ob necem Sancti Thomæ martyris et archiepiscopi Cantuariensis, donec sacrarium Westmonasterii humano sanguine fœdaretur. Timenda est vindicta, rogandus est Dominus ut fiat pax et veritas in diebus nostris.[7]

f. 158.

A prophecy.

Prima[8] *exsecutio per episcopos in malefactores.*[9]

Peracta apud Westmonasterium cæde prædicta, pastores ecclesiæ congregati aliquamdiu dubitaverunt quid faciendum

The clergy hesitate, but at length

---

[1] *antichristi*] anteque, W.

[2] *beluæ*] delire, W.

[3] *debacchantes*] debacantes, H., repeated in the next sentence, and wrongly marked in this place for erasure.

[4] *Sic*] Repeated, H.

[5] *portæ*] pote, H.

[6] *obstructæ*] destructæ, W.

[7] *nostris*] vestris, H.

[8] *Prima*] Primo, H.

[9] *malefactores*] Followed by *nostris*, H. In the margin is added another title, "Excommunicantur "peremptores R. Hail."

A.D. 1378. excommunicate the criminals; foret; utrum videlicet metu materialis gladii, gladio spirituali percuterent, vel omnino renunciarent potestati et viribus Sancti Petri. Tandem, quamvis tarde, concepta audacia, metropolitanus pontifex, cum quinque suffraganeis, procedit in publicum, et terribiliter fulminat excommunicationis sententiam in omnes qui huic nefario operi interfuerant, vel qui illis consilium impenderant aut juvamen; præcipue autem et nominatim, in milites dominum Alanum Buxhille et dominum Radulphum de Ferrariis, qui horum malefactorum fuere capitanei et ductores. Dominum [1] tamen regem et matrem ejus, necnon et avunculum ducem Lancastriæ, ab hoc anathemate specialiter exceperunt. Londoniensis vero antistes, apud Sanctum Paulum, Dominicis, feriis quartis et sextis, in dictos malefactores diu prædictam continuando sententiam, terribiliter publicavit; unde factum est, ut plures ex illis, tam terribilis fulminis adustione perculsi, citius pœnitendo ad pacem ecclesiæ se conferrent. Wals. Hist. i. 379.

with certain exceptions.

The sentence published by the bishop of London.

Dux dure fert publicationem præmissæ sententiæ.

The duke of Lancaster denounces the bishop. Factum est per idem tempus concilium apud Windeshore, ad quod dux Lancastriæ, cum ceteris qui eum ad mare, ut superius dictum est, comitati fuerant, jam post exhaustam pecuniam, et nil gestum prospere, inglorius et cum dedecore redierat militari.[2] Dux igitur cum[3] venisset, et audisset de tam terribili fulmine indies ab ore misso Londoniensis præsulis, ægre tulit; et præcipue autem abominari se dixit tantam in eo proterviam, qui cum regias literas supplicatorias accepisset, ut desisteret, vel differret publicationem prædictæ sententiæ, ipse nihilominus, regiis contemptis[4] precibus, perseverasset in[5] pertinacia præconcepta. Et quod magis absurdum, asseruit, invitatus a rege ad idem concilium venire superbe contempsisset. Quapropter affirmavit, si rex juberet, se velle properare Londonias, et illum contumacem episcopum, invitis Londoniensibus, quos ribaldos vocabat, violenter ad concilium adducturum. Præterea fatebatur[6] omnia, quæ scelerate gesta[7] retulimus apud Westmonasterium, ejus jussu et conniventia perpetrata, ut quidam dicunt; unde, postquam hoc innotuit, mul-

He is said to have confessed his participation in the outrage.

[1] *Dominum*] demum, W.

[2] *inglorius . . militari*] redierat, ut ore communium dicebatur, R.W.

[3] *Dux igitur cum*] Dum igitur, R. W.

[4] *contemptis*] conceptis, H.

[5] *perseverasset in*] Reversed, H.

[6] *fatebatur*] dicebantur, R. W.

[7] *gesta*] gestare, H.

torum maledictiones congestæ sunt, et non immerito, super caput ejus.[1] A.D. 1378.

De parliamento facto apud Claudio-cestriam instigatione ducis Lancastriæ.

Wals. Hist. i. 380.

Circa festum Sancti Lucæ Evangelistæ, factum est parliamentum apud Gloverniam, instigatione ducis Lancastriæ, Johannis de Gandavo;[2] et ea causa quam maxime, quia credebat episcopos et plebem regni communem, necnon et Londonienses, ut fertur, minus audere resistere vel contradicere votis suis[3] in partibus tam remotis. Nempe retulit fama vulgaris, quod inæstimabili summa pecuniæ decreverunt regnum multasse, ac etiam sanctam ecclesiam de pluribus possessionibus spoliasse, si fuisset[4] suum propositum consecutus.[4] Et iccirco locum illum elegit;[5] ne Londonienses, si Londoniis fuisset parliamentum prædictum, sua auctoritate vel potentia ejus[4] conatus ullatenus impedirent. Sed Ipse ejus[4] consilium dissipavit, qui perdit sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobat solo nutu. Revera cor archiepiscopi et ceterorum episcoporum, ut creditur, a Domino confortatum et visitatum est, et tam firmiter solidatum, ut decernerent inter se nihil concedendum eidem, quod in præjudicium ecclesiæ, vel dampnum aliquid, redundaret; quorum consilium ducem[6] non latuit. Quare ipse verens[4] pati repulsam cum dedecore, se in lucis angelum transformavit,[4] nihil pro tunc omnium quæ decreverat[4] temptaturus,[4] sed universa facturus[4] quæ ipse archiepiscopus et suffraganei pro tunc decernerent vel juberent.

Parliament held at Gloucester at the instigation of the duke.

His designs against the church are frustrated.

Hoc egit tamen,[7] ut regi de quolibet sacco lanæ per annum præsentem una marca a mercatoribus penderetur; et de qualibet libra argenti rerum venalium, quæ de ultramarinis partibus advehuntur, et ab emptoribus comparantur, sex denarios regi censuit[4] persolvendos.

Taxes granted.

---

[1] *ut . . ejus*] unde commota sunt corda multorum et ora, ad male sentiendum vel loquendum de persona sua, R. W.

[2] *ducis . . Gandavo*] quorundam perversorum, qui semper aliquid novi moliebantur incommodi sacerdotio sive regno, R. W.

[3] *suis*] eorum, R. W.

[4] All these words altered into the plural number, R. W.

[5] *elegit*] elegerant præmeditato facinori, R. W.

[6] *ducem*] malignos, R. W.

[7] *Hoc . . tamen*] Ne autem omnino nullum dampnum inferrent patriæ, hoc egerunt, R. W.

A.D. 1378. *Nuncii papæ et cardinalium veniunt ad parliamentum, allegaturi pro causis utrorumque.* Wals. Hist. i. 380

Envoys sent to England by Urban VI. and the opposing cardinals.

Ad idem parliamentum venerunt solemnes ex Italia papales nuncii, petentes succurri domino papæ, in arto constituto, per regem et magnates; declarantes injurias et dampna quæ idem dominus papa pertulit insolentia apostatarum [cardinalium,][1] qui nitebantur eundem, cum universa ecclesia, subvertere[2] et infirmare. Venerunt et nuncii eorundem cardinalium, afferentes literas decem signatas[3] sigillis, petentes et ipsi auxilium præstare cardinalibus, allegantes fortiter pro eisdem. Sed Domino Deo favente, qui juste cuncta disponit, repulsi sunt apostatici nuncii, et admissi papales, promissumque subsidium papæ gratanter quam cito tempus exigeret opportunum.

The archbishop of Canterbury preaches against the cardinals.

Cantuariensis nempe archiepiscopus, perpendens publicam falsitatem et errorem manifestum per scripta eorundem, in quo iidem cardinales voluntarie versabantur, et exsecratus[4] eorum actus sceleratos vehementer, spiritu Dei subito agitatus, cepit hoc thema, "Unus erit pastor omnium."[5] Nam invenit in eorum literis electionem factam de illorum apostatico[6] et ita
f. 158 b. luculenter illorum populo declaravit errorem, per multa argumenta, et præcipue per eorum dicta propria, ut omnibus constaret illorum malitia, et error[7] innotesceret[8] exsecrandus.

Causæ dissensionum inter papam et cardinales.

Aberat tunc quidam e cardinalibus, qui quondam fuerat Ambianensis episcopus, jussu venerandæ memoriæ papæ Gregorii supradicti, ad sedandum quasdam dissensiones apud Pisas, quæ ortæ fuerant inter papam et cives ejusdem urbis. Qui, audito de morte papæ Gregorii et de electione nova [facta, tunc quidem ibidem morari decrevit, donec nova][1] reciperet a fratribus aut a papa; quod factum est. Sed ex post in brevi apicibus accitus apostolicis, properavit ad curiam,

Pope Urban VI. denounces the

mandatis papalibus pariturus. Post cujus adventum, cum novus pontifex intrasset consistorium, cœpit ethice tractare de

---

[1] Om. H.
[2] *subvertere*] sub pretore, H.
[3] *signatas*] signas, H.
[4] *exsecratus*] exsecrans, W.
[5] Ezek. xxxvii. 24.
[6] *illorum apostatico*] illo apostolico, W.
[7] *error*] errores, H.
[8] *innotesceret*] innotescat, W.

Wals. Hist. i. 381.

multis, et inter multa disputare contra cardinalium avaritiam; qui, fulvo corrupti metallo, aut excæcati pecunia, plus venabantur argentum quam pacem gentium, ad quam inter regna missi fuerant reparandam. Ambianensis autem amplius publice detestabatur et condempnavit perfidiam, imponendo sibi, cum sæpius missus fuisset a papa Gregorio, prædecessore suo, ut quoquomodo pacem inter Angliæ et Franciæ regna firmaret, et ipse inæstimabiles[1] auri et argenti summas pro labore sui itineris, jussu papæ, de utroque regno cepisset, omisso suæ legationis officio, non curavit paci providere regnorum; sed potius elaboravit, ut, dissensiones et odia continuarentur inter reges diutius, ut, dum ipse sæpius descenderet taliter sub umbra firmandæ concordiæ rediretque multotiens, infecto negotio, suo provideret uberius[2] infando marsupio de male quæsita pecunia, relevata de Christi patrimonio, utroque regno sophistice spoliato. A.D. 1378. avarice of the cardinals, and especially of the cardinal of Amiens.

Ambianensis vero, his auditis, in furore mentis erexit se, cum indicibili fastu, et in propatulo, extento digito, domino papæ hæc verba furiose respondit; "Tu," inquit, "tamquam "Barensis, mentiris;" et mox, relicto consistorio, cum tanta contumelia recessit a conspectu papali. Quem illico secuti sunt plures e cardinalibus, qui parti suæ favebant, vel quos consimilia scelera obligabant. Quos omnes dominus papa confestim suis privavit titulis, et alios ordinavit, numero viginti novem, diversorum regnorum, homines excellentiorum dignitatum et[3] graduum, utpote archiepiscopos, episcopos, archidiaconos, inter quos et Londoniensem de regno Angliæ censuit eligendum. Cardinales igitur apostatici werram aperte contra papam ausi sunt suscitare, et ipsum et sibi faventes persequi usque ad divisionem corporis ac spiritus statuerunt. Et ut eorum conatus ampliora sortirentur robora, eligunt quendam, altis ortum natalibus, in papam, ex Gallia, qui ipsi Francorum regi et pluribus ex Franciæ magnatibus linea consanguinitatis erat junctus. Amplius autem ad diffiduciandum dominum papam, eidem epistolam, plenam minis et terroribus, transmiserunt. The cardinal leaves the papal court, followed by his partisans. The pope degrades them, and makes new appointments.

Litera anticardinalium missa diversis gentibus contra papam.

"Episcopi presbyteri et diaconi cardinales, apostolica sede "vacante,[4] Bartholomæo, quondam archiepiscopo Barensi, spiri- The cardinals' letter to the pope.

[1] *inæstimabiles*] inestimales, H.
[2] *uberius*] uberus, H.
[3] *et*] a, H.
[4] *vacante*] jactante, H.

PUBLIC LIBRARY

A.D. 1378. " tum consilii sanioris. Exigit sanctitas, et catholicæ fidei puritas, et Christiani populi devotio salutaris, totiusque ecclesiæ status clara professio, ac salus animarum Christi fidelium singularis, ut ea, quæ dissimulatam in fide maculam, subversionem in Christicola populo, status ecclesiastici enervationem, ac evidentia animarum pericula, inducerent, palam notificentur omnibus, et annuncientur in populis, et juxta doctrinam Evangelicam super tecta prædicentur, ne per indiscretum silentium in errore relinquantur hi qui poterant erudiri, ac hi, ad quos ex officio pertinet, subjaceant[1] reprehensioni prophetæ dicentis, 'Prophetæ et prædicatores tui videbant tibi falsa et stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent.'[2] Cum igitur nuper apostolica sede vacante, per obitum piæ recordationis domini Gregorii papæ undecimi, qui mense Martio proximo præterito in urbe diem clausit extremum, nos pro electione futuri pontificis, ut juris et moris est, celebranda, in conclavi ad hoc in apostolico palatio, in quo idem sanctæ memoriæ dominus Gregorius obierat, deputato, convenissemus, populus Romanus, etiam ad campanæ sonitum congregatus, hostili more locum totum circumdans, ab intus et ab extra totum fere implens palatium, et cum terrore vehementi minas etiam superaddens, quod nisi eligeremus, et sine mora, Romanum vel Italicum, statim incideremur per frusta; etiam congruo spatio, omnes in quo saltem de persona idonea deliberare possemus, penitus nobis subtracto, contra voluntatem et propositum nostrum, ad eligendum Italicum subito et ex abrupto[3] per violentiam et metum corporis coegerunt invitos. Propter quod, ad evitandum mortis duntaxat periculum, alias non facturi, ut etiam tunc palam inter nos diximus, te in papam duximus eligendum, æstimantes te, cui tam infanda impressio, sicuti et toti clero et populo, nota erat, talis esse conscientiæ, quod eam nullatenus attemptares.[4] At tu, propriæ salutis immemor, omni pura conscientia proculpulsa, ambitiosus alias mundani honoris ardore quam maxime inflammatus præsentatione electionis hujusmodi, ab illis qui a nobis in urbe remanserant etiam per metum extorta, contra canonicas sanctiones, in scandalum maximum cleri et populi Christiani ac exempli perniciem, electioni hujusmodi, licet nullæ et invalidæ ipso jure, consensisti; necnon metu, et ipsius metus causa, adhuc

Wals. Hist. i. 382.

---

[1] *subjaceant*] subjaceat, H.

[2] Lamentations, ii. 14.

[3] *abrupto*] arrupto, H.

[4] *attemptares*] acceptares, W.

Wals. Hist. i. 383.

" proculdubio perdurante in urbe, inthronizatus[1] et coronatus de " facto te in papam nominasti. Qui a sanctis et sapientibus " patribus, et a jure communi, apostaticus, anathematizatus, " antichristus, et totius Christianitatis invasor ac destructor " potius, et merito, nominaris. Nempe igitur cum ista tua " tam nefanda intrusio in papatu jam sit divulgata per orbem, " veluti tam notoria, quod jam alicubi celari non potest, cum " hoc tempore, videlicet modicum ante Pascha, factum fuerit, " quando de universis partibus Christianitatis major adest " populi multitudo in urbe, quod errores plurimi pullulare " inceperunt, et fidelium Christianorum illaqueari conscientiæ, " tuque diutius exspectatus, et in secreto caritative admonitus, " immemor salutis propriæ, totum in præcipitium cupiens tra- " here clerum et populum universum, ad cor redire non curas; " sed inanem et transitoriam mundi gloriam saluti animæ et " aliorum Christi fidelium anteponens, animo obstinato satagis " ipsum papatum tyrannio possidere, qui per ostium non intra- " sti—Nos, non valentes præmissa salvis conscientiis amplius " sub dissimulatione transire, ad tuam et aliorum Christi fide- " lium notitiam præmissa omnia, licet ipsa tam tibi quam pene " toti clero et populo exsistant notoria, deducentes, te anathema- " tizatum ac tamquam intrusum ad papatum, nulla electione " canonica præcedente, totius Christianitatis invasorem, qui " caput ipsius Christianitatis invadere non formidas, destruc- " toremque, qui ut sub tua occupatione tyrannica efficere " satagis, ut fere sacramenta deficiant, et ut Christicola " populus, tamquam vero pastore carens, per abrupta deducatur " in devium, publicamus et etiam denunciamus; te nihilominus " exhortantes et obsecrantes, per viscera misericordiæ Jesu " Christi, cujus ecclesiam, sponsam suam, non erubuisti " invadere, ut de fine cogites, ad quem te trahit plenitudo " dierum, ad Deum et puram conscientiam dirigas aciem " mentis tuæ, ipsamque Beati Petri sedem sanctissimam, quam " sine titulo occupas, liberam et vacuam omnino dimittas, " insigniaque deponas papalia, et ab administratione spiritu- " alium et temporalium papatus et Romanæ ecclesiæ abstineas " indilate, ac alias Deo et ecclesiæ suæ sanctæ per fructus " veræ pœnitentiæ satisfacere studeas, juxta posse. Quod si " feceris, gratiam Dei, et gloriam mundi, et laudes cleri et " populi, ac acerbarum pœnarum per jura canonica tibi " impositarum, ac imponendarum, remissionem, cum universa " indulgentia mereberis obtinere; aliter indignationem Omni- " potentis Dei et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, sancto-

A.D. 1378. f. 159.

[1] *inthronizatus*] intronizatus, H.

A.D. 1378. " rumque omnium, non immerito incursurus—nosque divinum Wals. Hist. i. 384.
" et humanum consilium cum Christi sponsa, et omnium Chris-
" tianorum, quorum mater per te proculdubio violatur, invoca-
" bimus, aliisque utemur remediis per canonicas sanctiones
" concessis—abinde et in antea nullam spem de misericordia
" habiturus. Data, etc."

Multi seducti sunt [per][1] præmissam epistolam.

Hanc epistolam, plenam veneno et malitia, iidem cardinales schismatici dolose confinxerunt, et eam publice domino papæ, ut supra retulimus, transmiserunt; desiderantes per eandem commune vulgus et innocentem populum a vero pastore suo fraudulenter avertere, et in favorem eorum talibus machinationibus inclinare; unde, ipso elaborante, qui nostris gaudet in periculis, et ecclesiæ lætatur perturbationibus et procellis, inimico homine qui solet puro tritico superseminare zizanniam, multi seducti ipsorum doctrinarum sequerentur errores, in brevi, ex discipulis facti magistri, utpote potentes Francorum cum ipso eorum rege, et aliis qui non parum naucellam Petri, sponsam Christi, matrem Christiani populi, perturbarunt. Hoc modo, suis ministris mille artifex viam providit, qua desiderium eorum attulit eis, et non sunt fraudati a desiderio suo, saltem pro tempore quo sponsus ecclesiæ, Christus, Petri naviculam inter tot fluctuum perturbationes agitari permisit.

Evil arising from the publication of the letter.

Responsio episcoporum ad literam pseudo-cardinalium.[2]

Answer of the followers of Urban VI.

"Universi Christi fideles, suo sacrosancto charactere insigniti super firmam petram fidei sic fundati, ut, manutenente
" Domino et nostræ sanctæ fidei irrigante radicem, nullo
" turbine hæreticæ seu schismaticæ persuasionis exstirpari
" poterimus, aut everti, Johanni episcopo Prænestino,[3] Gille-
" rino titulo Sancti Stephani in Cœlio Monte, etc., non, prout
" nobis scribitis, miseratione divina sanctæ Romanæ ecclesiæ
" cardinalibus, immo verius, divina super vos maledictione
" fulminante, lupis rapacissimis, totius gregis Christi invaso-
" ribus, ac vulpibus callidissimis, vineam Domini Sabaoth
" cupientibus demoliri, non salutem sed languorem, non gau-
" dium sed mœrorem, et indui, sicut diploide,[4] confusione

---

[1] *per*] om. H.

[2] Misplaced at the end of the letter, H.

[3] *Prænestino*] Penestrino, H.

[4] *diploide*] deploide, H.

Wals. Hist. i. 385.

" vestra. Tenor insipidus literarum vestrarum, quas, instigante diabolo, per omnes et singulas Christianitatis provincias temere destinastis, corda et intima quæque nostra sauciavit, non inquam fidei nostræ læsione, sed pia cordis compassione, de tam horrendo scandalo in ecclesia sancta Dei noviter suscitato; verumtamen væ vobis per quos scandalum venit! Nam pallida facta est matris ecclesiæ facies, pallore nempe turbationis immensæ, et ex errore scelerum vestrorum a seculis inaudito, qui putabamini esse legis æmulatores, sed estis sacrilegi. Rubor verecundiæ interdum conspergitur, dum ex vestris actibus scandalosis fines totius Christianitatis uruntur. O vestra detestabilis et [in]felix ambitio! quæ[1] tunicam Domini inconsutilem, quam sors beata vestræ dispositioni non annuit, scindere nititur et partiri, quæ divisionem non patitur, sed congaudet potius unitati. Servi[2] nequam, ex ore vestro judicandi, modum electionis[3] summi pontificis nuper celebratæ nobis per literas vestras declarastis, dicentes quod conclave vestrum vallavit armatorum indomita multitudo, minas vobis facientes terribiles et letales, nisi eligeretis Italicum[4] vel Romanum, nullam tamen certam vobis limitando personam ad quam vos compellerent eligendam. Manifestum est igitur, quod personam, quam vos conceditis elegisse, elegistis libere, et non coacte, et sic, quantum ad personam a vobis tunc electam, tenemus firmiter, et tenebimus, ipsam electionem esse et fuisse rite et canonice celebratam, et ipsi electo, inthronizato, et coronato, ut[5] sacrosanctæ ecclesiæ vero capiti, et Petri successori, et in terris Christi vicario, fideliter adhæremus, et ipsius monitionibus, et dictis, et factis, ut veri fideles et catholici, humiliter promittimus obedire, vestram perniciosam rebellionem et sacrilegam ac hæreticam contumaciam in exemplum dampnabile non trahentes. Detestamur insuper vestram vecordiam, qui cum in acie ecclesiæ sitis[6] constituti, velut pugiles et propugnatores orthodoxæ fidei et ecclesiasticæ libertatis, capellos in capitibus rubeos comportantes, ob signum strenuitatis et audaciæ, quod intrepide usque ad mortem certare pro justitia deberetis,—quomodo metus mortis vos invasit et vicit, ut perire justitiam sineretis; quomodo qui vos columnas ecclesiæ nominatis, facti estis infirmi et debiles, ut sustinere non possetis tectum quin rueret? Numquid affuit ibi Sampson,

A.D. 1378.

f. 159 b.

---

[1] *quæ*] O.; qui, H. W.
[2] *Servi*] Sequi, H.
[3] *electionis*] dilectionis, H.
[4] *Italicum*] Ytalicum, H. O.
[5] *ut*] tamquam, W.
[6] *sitis*] sic estis, O.

A.D. 1378. " qui longe prius abierat ?[1] Sed dicetis fortasse ad excusandum Wals. Hist. i. 386.
" excusationes in peccatis, quod Petrus, petra fidei, et post
" petram[2] Christum primum ecclesiæ fundamentum, ad vocem
" ancillæ hostiariæ expavescens, ipsum Christum detestando
" et jurando negavit; cujus infirmitatis vos estis participes et
" sequaces. Genimina[3] viperarum, callidi serpentes veneno
" nutriti, si amaram gustatis herbam, gustate similiter dulcem
" et suavem, et post capitis vestri dampnabilem negationem,
" redite cum Petro ad confessionem. Verum verbum hoc
" seminavimus super petram, cum vestra detestabilis obstinatio
" inde proditoris vos efficiat participes et consortes, cujus
" iniquitas residet super talentum plumbi. Ceterum non exis-
" timet[4] vestra stulta cæcitas et cæca stultitia, quod illa verba,
" quæ interdum in vestris literis videntur sapere pietatem et
" zelum domus Dei, nos commoveant, vel quicquam vobiscum
" consentiendo persuadeant; satis enim luculenter perpendi-
" mus, quod ipsa verba fermento Pharisæorum condiuntur, a
" quo in Evangelio Christus suos cavere præcepit. Locum
" ergo quem elegistis vestris sceleribus perpetrandis, idoneum
" nobis nominatis, ostendentes clare vos verum caput ecclesiæ
" reliquisse, et effectos membra diaboli in desertum abiisse
" cum Juda proditore, ubi vosmet ipsos estis laqueis suspen-
" suri, ut de vobis verificetur illud propheticum, 'Fiat habitatio
" 'eorum deserta, et in habitaculis eorum non sit qui inha-
" 'bitet.'[5] Et iterum, de singulis vestrum[6] dictum est, 'Fiant
" 'dies ejus pauci, et episcopatum ejus accipiat alter.'[7] Præ-
" terea comitis Fundorum claram famam vestris commenda-
" tionibus in toto Christicola populo denigrastis, cum dicat
" poeta, 'Idem est laudari a turpibus et ob turpia.' Animad-
" verte igitur, Fundorum comes, quod per quamplurimos
" Christianorum fines eras incognitus, et eo felicius[8] præser-
" tim, cum jam tibi non nomen, sed ignominiam, perquiris,
" inimicos Christi et unitatis ecclesiæ divisores, ac pacis et
" tranquillitatis totius Christianitatis turbatores invitando, eos
" in ipsorum detestabili perfidia confovendo, ut etiam contra
" Christum et populum catholicum ædificasse videaris asylum.
" Exsurge ergo, o comes, et mures de pera projicias, de
" tabernaculo tuo fuga serpentes, et carbones sulphureos a
" sinu tuo excute, ne flamma inextinguibili te exurant, et

---

[1] *abierat*] obierat, O. W.
[2] *petram*] Petrum, W.
[3] *Genimina*] Gemma, H.
[4] *existimet*] estimet, O.
[5] Psalm lxix. 25.
[6] *vestrum*] vestris, H.
[7] Acts i. 20.
[8] *felicius*] O.; felicios, H.; infelicius, W.

Wals. Hist. i. 387.

" Dei gratiam et benedictionem totius populi Christiani, gloriam mundi et commendationem adipisceris, et divinam mereberis effugere ultionem. Data, etc."[1] A.D. 1378.

Scoti capiunt castellum de Berwico, sed mox comes Northumbriæ illud recuperat.

The Scots surprise Berwick castle.

Circa idem tempus, videlicet die Jovis proxima ante festum Sancti Andreæ Apostoli, latrones de marchia regni[2] Scotiæ furtive intraverunt castrum de Berwico noctanter, per quoddam foramen cujusdam turris, et constabularium[3] dicti castri, dominum Robertum de Boyntone, militem strenuum, ibidem imparatum invenientes, occiderunt; uxorem vero ejus et filios,[4] ac etiam familiares alios, exire permiserunt, sub conditione reddendi [eisdem tria millia marcarum infra tres septimanas sequentes, vel alias reddendi][5] eorum corpora custodiæ carcerali. Deinde in crastino, idem vespelliones exeuntes, patriam conterminam pervagantes, oves et boves, et diversi generis animalia rapuerunt, et ad castrum pro eorum victu perduxerunt. Sperabatur autem a multis, quod hæc omnia facta sunt consilio et favore procerum regni Scotorum.

It is recaptured by the earl of Northumberland.

His auditis, dominus comes Northumbrorum animose ad obsidendum dictos malefactores advolat, et absque mora, adunatis quasi quadringentis[6] armatis, insultum facit ad castrum, deterrens inclusos insuper cum petrariis et aliis machinis bellicis per longam moram. Collocaverat autem idem comes semet ipsum et filium suum primogenitum Henricum, qui primo tunc vexillum [suum][5] displicuit, ad magnam portam ipsius castelli, dominum vero Alanum de Hetone, cum suis, ad aliam partem, dominum Thomam de Ildertone,[7] cum suis, ad aliam partem, et universos de familia de Heroicis[8] ad quartam partem; et adjutorio Altissimi invocato, insultum facere[9] unanimiter, quilibet in sua custodia, contra muros. Nec defuit inclusis animus, quin fortiter et viriliter repellerent Anglos instantes[10] contra eos, et arcerent eos ab ingressu amplius quam per duas horas. Tandem, post magnum longumque f. 160.

---

[1] Here is written the title of the letter, followed by these words, " Remittatis, si placet, istam litera, quia penes nos non habetur," H.

[2] *regni*] regis, W.

[3] *constabularium*] constabularius, H.

[4] *filios*] filias, O.

[5] Supplied from O. W.

[6] *quadringentis*] quinquaginta, H.

[7] *Ildertone*] Hildyrtone, O.

[8] *Heroicis*] Hetone, O.; Herones, W.

[9] *facere*] fecere, O.

[10] *instantes*] insistentes, O. W.

A.D. 1378. conflictum, fortuna nostratibus arridente, captum est castrum miraculose quidem, quoniam omnes, quos diximus resedisse in circuitu ejusdem,[1] simul et semel intraverunt, quilibet videlicet in ea parte quam ceperat expugnandam. Occisi sunt ex Anglicis tantum duo, sed plurimi vulnerati. Ex Scotis vero ad numerum quadraginta et octo contriti sunt, gladioque consumpti, uno tantummodo ad vitam reservato, qui Scotorum consilia ediceret nostræ genti. Sicque operarii iniquitatis, favente Deo,[2] ceciderunt in foveam quam fecerunt, et pene omnes malefactores marchiæ contriti sunt in superbia sua repente, qui putabant ex hoc uno successu Anglis exterminium irrogasse. Wals. Hist. i. 388.

Cum utique primo eorum irruptio in dictum[3] castellum comiti Northumbrorum nunciata fuisset, misit ad comitem de Dunbar, qui est custos marchiæ ex parte Scotorum, inquirens si ejus conscientia vel consilio fuissent treugæ taliter violatæ et hæc omnia perpetrata. Qui affirmavit, se nullo modo horum conscium exstitisse, nec istam injuriam præscivisse; quinimmo promisit, se velle communiter cum comite Northumbriæ ad locum properare, et, quantum in ipso foret, auxilium impendere ad extorquendum ipsum castrum de manibus perfidorum. Veniens autem juxta condictum, requisivit eos, virtute[4] treugarum, ut redderent castrum, quod injuste occupaverant, regi Angliæ vel comiti Northumbriæ, seu attornato regis. Qui, more gentis eorum, responderunt, tam breviter quam procaciter, se nullatenus regi Angliæ castrum illud, nec regi Scotiæ, reddituros; quinimmo servarent illud usibus regis Franciæ contra omnes homines quamdiu viverent. Quod et opere compleverunt; nam octo diebus[5] servantes illud, [nono die, ut prædicitur, perierunt].[6]

The earl of Dunbar had in vain demanded its surrender.

De dissensione inter regem Franciæ et Britones.

War between the king of France and the Bretons.

Rex Francorum, eisdem diebus coacto parliamento Parisius, proceres Britanniæ, qui affuerant, jurare compulit ad reddendum villas munitas et castella, quæ habebant in manibus, sibi vel ejus assignato, quandocumque placeret eidem regi ea petere ab eisdem. Nolentes autem quosdam se astringere hujuscemodi juramento mortis interminatione deterruit, et jurare coegit invitos.[7] Britanni vero, post dictum parliamentum festinantes ad propria, munierunt loca, comportantes frumentum et cetera[8]

---

[1] *ejusdem*] ejus, domini, O. W.
[2] *Deo*] Domino Deo, O.
[3] *in dictum*] inductum, H.
[4] *virtute*] juxta virtutem, O.
[5] *diebus*] dies, O.
[6] Om. H.; supplied from O. W.
[7] *invitos*] multos, W.
[8] *cetera*] alia, O.

Wals. Hist, i. 389.

necessaria ad instaurandum castella sua. Rex autem Franciæ, paulo post, misit Bertrandum Cleykin cum exercitu copioso, ad extorquendum præfatas munitiones de manibus Britannorum, et imponendum Francos suos. Sed Britones, non ignari de adventu eorum, restiterunt eis viriliter, arcentes eos a finibus Britanniæ cum armata manu valida, et retrocedere compulerunt. Et hac occasione facta est dissensio inter regem Franciæ et Britannos. A.D. 1378.

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo trecentesimo septuagesimo nono, qui est annus regni regis Ricardi, a conquæstu secundi, secundus, fuit idem rex ad Natale apud .[1] A.D. 1379.

Facta domini Roberti le Rouse.

Eodem anno dominus Robertus Rouse, miles egregius et custos villæ de Scarburgh, postquam Gallicos pluries infestasset, et cepisset Oliverum, fratrem Bertrandi Cleykin,[2] et alia multa regno Angliæ fecisset utilia, reversus est in Angliam, et missus est ad custodiam illius loci dominus Johannes Harlestone. Good service of Sir R. Rouse at Cherbourg.

Mutatio capitanei de Calesia.

Dominus Hugo Calverle per idem tempus vocatus est a Calisia, quam strenue custodierat ad totius Angliæ commodum et honorem, et factus est admiralius maris, et dominus Thomas Percy associatus est ei, ad observandum semitas maris per unum annum. Dominus vero Willelmus Mountagu, comes Sarisburiæ, missus est Calesiam, loco Hugonis Calverle; qui, modicum post adventum suum, prædas egit in Gallia, et instauravit Calesiam de non parva multitudine diversi generis animalium et jumentorum. The earl of Salisbury succeeds Sir Hugh Calverley at Calais.

Factum memorabile[3] *cujusdam militis Britanniæ.*

Eodem tempore dominus Hugo Calverle, et dominus Thomas Percy profecti[4] sunt ad mare cum magna multitudine armatorum; qui, Britannicum perscrutantes oceanum, obviarunt septem navibus onerariis et uni navi bellicæ, onustis vino, quas levi negotio subactas ceperunt, et Bristoldum transmiserunt. Cum Some English troops captured by a Breton knight are restored without ransom.

---

[1] The name of the place omitted, H. O.

[2] *Cleykin*] de Cleykyn, O.

[3] *memorabile*] mirabile, O.

[4] *profecti*] profector, H.

A.D. 1379. autem circa litus maris[1] Armorici pervenissent, exierunt ex hominibus dictorum Hugonis et Thomæ ad deprædandam patriam convicinam. Quidam vero miles, nomine Galfridus Carmel, in insidiis delitescens,[2] cum magna manu bellicosorum[3] hominum, irruit in eos improvisos insidiarum talium, et cepit quotquot ascenderant super terram. Mandaverat tamen suis, ne cuiquam nocerent ex ipsis, sed captos illæsos omnino servarent. Quod et factum est. Igitur dictus[4] Galfridus, sumens homines quos jure belli ceperat, properavit ad dominum Hugonem Calverle sub conductu, et reddidit sine redemptione homines supradictos, promittens, si idem Hugo vellet in regionem ascendere, multum placeret dominis et habitatoribus ipsius terræ, et quod ipsi parati fuerunt ad deliberandum sibi villas munitas et castella. Si tamen vellet morari ad custodiam regionis, obtulit insuper idem Galfridus, nomine principum regionis, sibi et suis victualia, et mille equos exercitui suo, si placeret ei per patriam equitare.[5] Sed idem dominus Hugo, quoad equitationem vel moram excusans se, dixit aliud se habere opus consummandum, quod susceperat, nec posse vacare pro tunc, ullo modo, ad satisfaciendum votis eorum. Wals. Hist. i. 390.

Archiepiscopus Cassillensis venit in Angliam cum potestate magna.

The archbishop of Cashel preaches against the f. 160 b. supporters of the antipope.

Sub eisdem diebus venit a Roma archiepiscopus Cassillensis Hibernicus, qui illuc missus fuerat, urgentibus quibusdam causis, reportans magnam potestatem ligandi et solvendi, indultam sibi ab apostolico. Cum autem venisset Londonias, habito sermone ad populum, denunciavit regem Franciæ, et quotquot antipapæ adhærebant, involutos excommunicationis sententia; asseverans etiam jam Angliæ fore tempus[6] acceptabile, tam in causa Dei quam in causa regis Angliæ, ad invadendum regnum Franciæ, præsertim cum esset verisimile quod rex anathematizatus non haberet fiduciam resistendi.

Factum regis Franciæ.

Proclamation of the king of France

Circa idem tempus, rex Franciæ fecit proclamari per universum regnum suum, quod nullus pareret vel obediret Urbano

---

[1] *maris*] mari, H.
[2] *delitescens*] delitesses, H.
[3] *bellicosorum*] bellicorum, O. W.
[4] *dictus*] dominus, W.
[5] *equitare*] equita, H.
[6] *tempus*] temptus, H.

Wals. Hist. i. 391.

papæ. Quod si aliquis attemptaret, decollandum se nosceret, et omnia bona sua regiis usibus confiscanda. A.D. 1379. against Urban VI.

Parliamentum in quo novum statutum, et nova taxa et inaudita.[1]

Eodem anno factum est parliamentum Londoniis, in quo fuit ordinatum, quod immunitates et privilegia ecclesiæ Westmonasterii illibata manerent; sed apposita est modificatio satis rationabilis atque utilis, super impunitate illorum qui pro debito illuc essent de cetero fugituri. Nam cum prius quidam, quibus erat superabundans substantia ad reddendum quibus obligantur debita, scrupulosam sibi formantes conscientiam, illuc fugerunt, ibidem lætos ducentes dies in commessationibus et convivationibus; quorum bona seu possessiones eadem gaudebant immunitate ubicumque locorum sitæ essent, qua ipsorum domini exsistentes intra libertatem Westmonasterii fruebantur; ac per hoc nonnunquam hi, quibus debebantur pecuniæ, defraudabantur nequiter et depauperabantur, dum eorum debitores, commorantes ibidem, vel omnino recusabant solvere quæ debebant, vel quibus debebant[2] dimidium pro toto recipere compellebant; et ita, ut diximus, semper pars justior injuste gravabatur; statutum est ut ecclesia, quæ justa debet universa disponere, justitiæ non præjudicet, sed sicut illa suis gaudere debet privilegiis,[3] ita debet omnem justitiam adimplere. Quapropter ordinatum est, ut pro debito confugientes ad libertatem Westmonasterii, si actor hoc expetierit, præconis voce proclamatione facta in loco ubi est verisimile quod talis proclamatio debet venire ad audientiam debitorum, moneantur parere justitiæ. Quod si noluerint, extunc liceat ministris regiis investigare bona debitorum, vel intrare in possessiones eorundem, et venditionem[4] facere de bonis seu possessionibus talium, donec plene creditoribus persolvatur. Parliament. Privilege of protection of debtors at Westminster abolished.

Item, connivente duce[5] [qui[6] semper aliquid incommodi ruminabat,][7] ordinata est nova taxa ad opus regis; parcendum enim decrevit[8] communibus, qui [jam][6] exactionibus præteritis pene depressi fuerant, et exigendum, ut censuit,[9] censum Unfair taxation.

---

[1] *et . . inaudita*] et taxa inaudita, O.

[2] *debebant*] debeban, H.

[3] *privilegiis*] privilegii, H.

[4] *venditionem*] vendicationem, O.

[5] *connivente duce*] conniventibus quibusdam, R. W.

[6] Om. H.; supplied from O.

[7] *ruminabat*] ruminabant, R. W.

[8] *decrevit*] decrevere, R. W.

[9] *et . . . censuit*] ad exigendum censuit, O.

A.D. 1379. a divitibus, tali forma:—Duces videlicet Lancastriæ et Britanniæ solverent viginti marcas, scilicet quilibet eorum decem, archiepiscopi vero tantum ;[1] comites autem sex marcas, episcopi quoque et abbates mitrati tantum, non obstante quod abbates tenerentur solvere pro singulis capitibus monachorum suorum quadraginta denarios. In quo decreto patet manifestius eos bono judicio caruisse, qui talia statuere, dum quilibet pauperrimus abbas pro cornibus suis compelleretur[2] solvere tantum, sicut comitum ditissimus vel episcoporum, et ultra pro monachis suis donec excederet taxam ducum. Nullus præterea, justiciarius, vicecomes, miles, vel armiger, rector, vicarius, vel simplex capellanus, subterfugit[3] hanc taxam; sed si habitura sit eventus sordida præda bonos, Deus novit. Wals. Hist. i. 392.

Bellum inter papales et antipapales milites;[4] *et de inexcusabilitate*[5] *regis Franciæ adhærentis antipapæ.*

The antipapal army defeated. Hoc anno, post Pascha, domini Urbani papæ milites, cum Romanorum et Italicorum exercitu, inierunt bellum adversus exercitum antipapæ, qui dicit se Clementem, et adversus Britones qui omnino favebant eidem; et cessit[6] nostris victoria, favente Deo, occisique sunt ex antipapalibus quinque millia sive plures, ex communibus exercitus, et capti milites sexaginta, cum eorum campiductore[7] Barnardo Delsale. Quod audiens, non jam Clemens, sed pene demens factus antipapa, concito[8] fugit ad quoddam castrum reginæ Neapolis, quod vocatur Spelunca, ibidem latitans et in terra comitis Fundorum, donec furtive transvectus est a schismaticis Avinoniam.[9] Sperabat nimirum in umbra alarum regis Franciæ, quem novit parti suæ favere, et iccirco illum locum pro majori securitate censuit expetendum. O detestanda, profana, dampnanda, non ignorantia, sed malitia hujus regis! qui non ignorat quam injustus, quam invalidus, quam nullus[10] sit titulus hujus pseudo-papæ, et tamen non solum in perniciem animæ suæ sed multorum dampnationem et interitum, [et] totius ecclesiæ subversionem, nititur talc idolum adorare, colere, et exaltare.

Clement escapes to Avignon.

---

[1] *scilicet . . tantum*] om. O.
[2] *compelleretur*] teneretur, W.
[3] *subterfugit*] subterfuit, H.
[4] *milites*] milite, H.
[5] *inexcusabilitate*] inexcusabilite, H.
[6] *cessit*] concessit, H.
[7] *campiductore*] campidoctore, H.
[8] *concito*] concita, H.
[9] *Avinoniam*] Avinionam, O.
[10] *nullus*] vilis, W.

Wals. Hist. i. 393.

Constabat utique sibi, quod non intravit per ostium, sed ascendit aliunde, videlicet per maceriam; et ideo dampnabilis ejus favor omnibus fidelibus esse videtur. Susceperat equidem epistolas ejusdem, post electionem Urbani papæ, de ejus electione concordi, de ejus inthronizatione solenni,[1] et aliis, quæ verum Petri successorem decerent; unde nihil aliud videtur facere nisi talibus consentire, qui dicunt verum falsum, et falsum verum. Audierat insuper, sicut nec eum latere poterat, quas epistolas idem de ingressu Urbani papæ suo consanguineo, comiti Flandriæ, direxerat, quibus eum verbis commendaverat; quorum effectum, etsi non omnino tenorem, dicam, ut per hæc ejus malitia clarius fidelibus elucescat. Erat siquidem hic antipapa, ut præmisimus, comitis Flandriæ consanguineus, vir et nobilitate generis præcluis,[2] et scientia literarum non minus spectabilis, si genus et scientiam hac perfidia minime maculasset. Hic igitur mox, ut[3] Urbanus papa pontificatum est ingressus, adhæsit eidem familiarius ceteris, unde et ejus consiliis specialius est accitus. Quod ut compertum est comiti Flandriæ memorato, gavisus est, quasi per ipsum multa esset apud papam et facturus et impetraturus. Nec secus accidit quam sperabat. Nam confestim ad ipsum suas destinavit epistolas,[4] oneratas precibus et promissis, ut quendam clericum sui comitatus, præpositum videlicet Sancti Donasti, transferre laboraret ad[5] episcopatum Morinensem sive Carvernensem,[6] ac quendam alium clericum de sua familia in præpositum Sancti Donasti, faceret promoveri. Quibus acceptis, statim cardinalis, respectu tanti viri, consanguinei sui, domino papæ ejus petitiones curavit exponere; nec segnius a papa quæ petierat impetravit. Expeditis igitur pro suæ voluntatis arbitrio Flandrensis petitionibus, confestim remisit eidem suas literas, nuncians et suas petitiones auditas, et quam benignum dominum papam repererat erga suam personam, commemorans etiam multa de sanctitate papæ et justitia. Unde precabatur[7] obnixius ut et ipse comes esset amicus ejus, quem senserat in primis suis petitionibus sibi tam favorabilem; ac insuper, in suis literis curaret idem[8] papæ ipsum cardinalem specialiter recommendare. Quæ omnia idem comes opere adimplevit. Expost vero, cum iste[9] cardinalis et ceteri de collegio, quibus ecclesiæ perturbatio complacebat, viderent Urbanum

A.D. 1379. Account of Clement's change of behaviour towards Urban, after his election.

f. 161.

[1] *solenni*] solio, W.
[2] *præcluis*] precluus, H.; præclarus, W.
[3] *mox, ut*] morum et, H.
[4] *epistolas*] literas et epistolas, O.
[5] *ad*] aliud, H.
[6] Tarvernensem, O.
[7] *precabatur*] peccabatur, H.
[8] *idem*] eidem, W.
[9] *iste*] ipse, W.

A.D. 1379. papam, ut summum pontificem per omnia condecebat,[1] agere, contra avaritiam ipsorum disputare, adversus injustitias disceptare, et in omnes simoniacos intrepide terribiliter fulminare, pœnituit eos fecisse hominem. Augebat insuper eorum furorem, quod publice protestatus fuerat se justitiam facturum inter virum et virum, et maxime inter reges Francorum et Anglorum, per quorum discordias pene tota Christianitas detrimentum accepit. Favebant nimirum regi Francorum, ejus illecti muneribus, unde et metuebant ne aliquid salubriter statueret contra eum, per quod vel eorum minueretur commodum, vel eorum opinio penes regem. His itaque et his similibus causis desciverant ab eo, quasi vir unus; et istum de quo fit sermo, ad instar Baal, quod interpretatur vanitas, erigentes, statuerunt simulacrum suum, et ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt, et procidentes curvaverunt genua sua ante Baal. Relicti sunt tamen aliquot viri justi timentes Deum, ex collegio cardinalium, qui non incurvati sunt ante eum, sed cum Urbano in unitate ecclesiæ permanserunt. Ex quibus præmissis, ut dixeram, manifeste clarescit, quantum periculum suo capiti rex Francorum aggeravit, qui hæc omnia sciens, sed dissimulans, nitebatur viribus et substantia totam Christianitatem trahere in erroris abyssum. Wals. Hist. i. 394.

Ut pauci Britones turbaverunt totam Romam.

A Breton garrison hold the castle of Sant Angelo for Clement;

Dum[2] hæc ita se haberent, arridere cœpit aliqualis aura serenior domino Urbano papæ populoque Romano, Domino auferente opprobrium ex Israel, et conterente portas æreas, et vectes ferreos confringente. Portas, inquam, et vectes castelli munitissimi, castelli videlicet Sancti Angeli, quod fuerat eis spina in oculo, in latere stimulus, quamdiu antipapales, Britanni videlicet, illud municipium occuparunt. Britanni revera, ad ejus custodiam mox [in][3] initio dissidii inter papam et cardinales destinati, illud viriliter munierunt, bellicose gubernarunt, et strenue servaverunt; adeo autem, ut [in][3] ignominiam Romani populi redundaret, quicquid meditati sunt, quicquid machinati sunt, quicquid denique opere compleverunt. Romanorum namque bona diripientes, in castellum comportarunt, loca convicina[4] devastarunt, et objecta quæque, scilicet domus et palatia, quæ eis ullo modo esse possent impedimento, machinis, trabeculis, missilibus, et petrariis, con-

[1] *condecebat*] condecenter, W.
[2] *Dum*] Cum, O. W.
[3] Om. H.; supplied from O. W.
[4] *loca convicina*] loco vicina, W.

Wals. Hist. i. 395.

quassarunt. Erat ibidem cernere (nescio utrum magis miserandum an dolendum spectaculum) populum, cujus patribus nulla civitas, nulla[1] provincia, nullum regnum, denique nec totus mundus quandoque resistere potuit, jam propriis finibus ita artari, ita vexari, adeo reprobabiliter deturbari a facie mediocris castri,[2] ut pene omnem spem amitteret resistendi.[3] A.D. 1379.

but surrender on hearing that Sir John Hawkwood is to be summoned against them.

Propriis utique diffidens viribus, quendam Anglicum militem, Johannem videlicet Haukewode, in Italia et Lumbardiæ partibus cum non parva manu militum et armatorum militantem, vocandum, vel potius multa pecunia coemendum, ad suum auxilium, peroptimum fore putavit. Sed Britones qui in castello erant, cum hæc audissent, tutius rati sunt se occulte domino papæ reddere, quam ejus adventum in sui perniciem exspectare. Constabat namque eis Romanos, sicut a militia veterum et probitate exciderant,[4] sic a clementia et pietate quæ semper antiquos Romanos victores comitari solebant. Et revera Romani moderni crudelissimi viri sunt, et nulla pietate præditi, præcipue penes eos quos armis subjugare contingit. Hac ergo causa præcipue coacti sunt Britones occulte cum domino papa componere, ut, salvis corporibus tantum[5] illæsi permitterentur abire. Dominus vero papa, ut vir pacificus, eorum petitionibus acquievit. Redditum est itaque castrum domino papæ, sed occulte, sed[6] in nocte, ne forte venirent Romani et tollerent ipsum locum et gentem. Constabat autem domino papæ Romanos nullis eorum petitionibus inclinandos, f. 161 b. nullis precibus fore flectendos; et ideo dimisit eos occulte, propter metum eorum qui oderunt eos. Numerus quidem eorum, qui castrum ita tenuerant, qui Romanos veluti aspis in sinu afflixerant, vix excrevit ad septuaginta quinque; unde et eos majori odio perstringebant, cum videbant a tam paucis eorum posse retundi[7] superbiam, et ipsos Romanos amplior rubor confusionis invasit. Quare, ut diximus, nullo modo saluti eorum consensissent, si dominus papa pro liberatione eorum Romanorum arbitrium exspectasset.

The treasures removed by the pope's orders.

Britonibus itaque de castello egressis, et papalibus juxta conditionem[8] immissis,[9] per totam noctem aurum, argentum, vasa concupiscibilia, et universa quæ usui papæ prodessent, fecit dominus papa ad suum palatium comportari. Illucescente crastino, senatus populusque Romanus, cum comperissent

---

[1] *nulla*] nulla pro nulla, H.
[2] *castri*] castelli, O.
[3] *resistendi*] resisteret, H.
[4] *exciderant*] exaderant, H.
[5] *tantum*] tamen, W.
[6] *sed*] et, W.
[7] *retundi*] contundi, W.
[8] *conditionem*] conditionis, H.; condictum, W.
[9] *immissis*] missis, H.

A.D. 1379. deditionem castelli, occurrit illico cum securibus, ligonibus, et omnis generis instrumentis, ad diruendum castellum, in ultionem tanti opprobrii accepti per Britones castellanos. Confractum est itaque castellum in ipsa die, et dirutum pro magna parte; et ita Romani de insensibili materia crudelem quodammodo cepere vindictam. Wals. Hist. i. 396.

The people destroy part of the castle.

De mirabili pugna et victoria Anglicorum juxta villam de Chereburgh[1] *in Normannia.*

The English garrison of Cherbourg in want of provisions.

Eodem anno, stipendiarii qui erant cum domino Johanne Harlestone apud Cherreburgh,[1] et maxime hi qui remanserant post recessum domini Roberti le Rous, versi in seditionem dixerunt, "Ecce! nihil superest quod manducemus, et quo- "modo pascere poteris hanc multitudinem, præsertim cum "Gallici omnes pene aditus, omnes vias, concluserint, per "quas spes victus nobis esse possit?" Dominus Johannes vero, eorum compassus necessitudinibus, eorum lenire cupiens amaritudinem, dixit ad eos, "Cernitis, commilitones, me eadem "necessitate pressum vobiscum communiter, qua vos urgeri "doletis. Et quid est quod ultra facere[2] debeam? Decernite "quid me vultis facere pro salute vestra, et paratum me "habebitis sive ad vitam sive ad mortem." Cui illi, "Est "hic," inquiunt, "non procul ecclesia et quoddam molen- "dinum, in quæ hostes nostri sua victualia comportarunt; "transeamus illuc instructi armis, ut experiamur si forte "nobis arrideat fortuna serenior. Melius est enim et honori- "ficentius nobis mori fortiter, quam fame et inedia cum "dedecore deperire."

They successfully attack a neighbouring mill;

Applaudit ille dictis eorum, et nocte sequente accinguntur ad iter. Ad loca ergo prædicta perveniunt, sed ea Gallicis repleta reperiunt. Nec mora, insultum dant acerrimum ad utrumque locum, et fit utrimque magnus strepitus, hinc Anglicis certantibus pro communi victu, illinc[3] Gallicis eos viriliter propellentibus pro custodia utrarumque rerum, victus videlicet atque vitæ. Ibi videres in Anglicis non per speculum vel in ænigmate, sed facie tenus, quid fames imperat, quid inedia stimulat; dum nostrates potius letale ferrum hostium appetunt, saxa libenter subeunt, muros alacriter sed periculose invadunt, quam famis incommoda se ipsos tolerare per-

---

[1] Chirburgh, O.; Scherburgh, W.

[2] *quod ultra facere*] quod vobis facere, O.

[3] *illinc*] illuc, H.

Wals. Hist. i. 397, 398.

mittunt. Quid multa? Pro victu instatur audacius, pugnatur ardentius; occupant famelici saturatos, Anglici Gallicos, et captivos accipiunt pro libito jure belli; redeunt onusti spoliis, gaudent victoria affectata. Sed non diu perseverat ista jocunditas, "Nec longum tenet uva comas, nec populus umbras;" nam in ipso itinere obvios habent quosdam ex Gallicis, qui bellum eis indicunt,[1] aut captivitatem omnibus repromittunt. Turbantur Anglici a facie verborum eorum, Gallici redeunt ad ipsos qui miserunt eos. Nec mora; apparent Anglicis qui delituerant in insidiis Gallici; unde nostrates, certiores effecti de pugna, parant se ad gloriose vivendum aut fortiter moriendum. Instruunt acies, turmas disponunt juxta disciplinam ordinis militaris, præponunt sagittarios, stabiliunt pedites, et ipsi qui equites fuerant pedites efficiuntur. Gallici cernentes[2] apparatum talem, et ipsi se præparant,[3] et mutuis exhortationibus se confortant. Deinde venitur ad pugnam, manus conserunt. Sed Gallici, multo nostratibus fortiores, primo impetu [nostros][4] retrocedere vi compellunt. Interim arcitenentes nostris præsidio fiunt, dum denso sagittarum imbre Francos obnubilant, dum plures vulnerant, et plurimos Plutoni commendant. Nec tamen cedunt Gallici, sed instant animosius, pugnant alacrius, percutiunt fortius, mortem, si contingat, subire pro gloria reputantes. Fit itaque personantium grandis tumultus invicem se collidentium, gladiorum galearumque tinnitus, tubarum hinc inde clangor et strepitus, unde non mediocriter animantur partes ad res bellicas magis strenue peragendas. Ibi dominus Johannes Harlestone, Anglorum ductor et capitaneus, primus vel unus e primis, Francos invadens fortiter, concidens horribiliter, prosternens immisericorditer, et ipse [a][5] multitudine eorum se circumdantium, sicut apes, opprimitur, solotenus[6] dejicitur, pedibus et hominum et equorum conteritur, et ibidem relinquitur semivivus. Illic cernendum[7] Anglorum animositatem et fidem, qui cum suum ita dejectum cernerent campiductorem,[8] non cedere, non fugere demum, nec mente concidere, sed audacius, sed fiducialius mortem contemnentes, in campo perstare[9] didicerunt.

A.D. 1379.

but are attacked by the French on their return.

Dum hæc aguntur, et Bellona pro parte Francorum desæviret, dominus Galfridus Wurselee, miles et manu promptus et bello

The French are finally defeated.

f. 162.

[1] *indicunt*] inducunt, H.
[2] *cernentes*] ergo videntes, W.
[3] *præparant*] parant, W.
[4] Om. H.
[5] *a*] om. H.; supplied from O. W.
[6] *solotenus*] selotenus, H.
[7] *cernendum*] corruendum, H.
[8] *campiductorem*] capidoctorem, H.
[9] *perstare*] prostare, W.

A.D. 1379. strenuus, quem nostrates ex industria ad succurrendum, si necessitas urgeret, reliquerant, improvise cum turma sua supervenit, durissimis armata securibus, et Gallorum stationem petit, ipsosque invadit, dissipat, et prosternit. Omnes itaque qui convenerant Anglici cum eodem, viri fortes, scientes bellum, elevatis securibus Gallicos mactant ut pecudes, dum nullus ictus effectu careret, nullus feriendo laboraret in vanum. Quicumque hostem uno ictu percusserat, non opus erat ut secundum adderet. Cernere erat ibidem fortissimas galeas a viris fortibus omnino dissectas, nonnullas autem ita collisas, ut omnino vel conquassato capite vel contrito, unum latus hæreret alteri, nulla arte levandum, nulla ratione reformandum, sine dissolutione totius operis. Affuit inter hæc et alia turba garcionum et aliorum, qui ad custodiam equorum remanserant, et ad sarcinas; quæ videns jam statum belli ex parte Francorum aliqualiter inclinatum, sumpta audacia, et assumptis instrumentis, vel quæ de propriis habere poterant vel quæ de cadentibus Francis extorserant, repente ex adverso super Gallicos irruunt; et eos velut duplici contritione conterendo, dum hi istac cædunt, illac, ut diximus, dominus Galfridus memoratus et [sui][1] sæviunt, in desperationem adducunt, et violenter, immo turbulenter, ad deditionem compellunt; occisis primitus plus quam centum viginti, et captis pene prisonibus ad numerum supradictum. Wals. Hist. i. 398, 399.

Facta est igitur in illa die magna salus in gente Anglorum, et collaudabant Deum[2] Omnipotentem, cui non est difficile salvare in paucis æque ut in multis. Et reversi sunt ad municipium cum magna gloria et spoliis et multis, digni per omnia quibus dicatur, "Vos estis qui fecistis salutem in Israel, et "abstulistis opprobrium de gente nostra."

Qualiter detecta est fraus et falsitas Flandrensium.

Fickle character of the Flemings.

Eodem anno, circa festum Nativitatis Sancti Johannis Baptistæ, manifestata est hominum malitia dolose diligentium, et consequenter, Deo volente, in dolosos justa animadversione vindicatum. Malitia quidem hominum impiorum, hominum ficte loquentium, hominum instabilium, perfidorum, Flandrensium, qui, more Samaritanorum, Judæos quondam colentium inter prospera, persequentium inter adversa, Anglicos vicissim et amant et odiunt varietate temporum. Hi siquidem et Anglos colunt et diligunt, dum constat eos esse superiores

---

[1] Om. H.

[2] *Deum*] Dominum, W.

Wals. Hist. i. 400.

adversis, fortiores hostibus, fortunatiores adversantibus, solito ditiores; at contra, cum cernunt eis adversa consurgere, prævalentes hostes insurgere, miserias crescere, ærumnas augeri, fortunam adversari, negant consilium, [negant auxilium,][1] negant fiduciam, negant notitiam, et postremo ipsi efficiuntur eisdem cunctis hostibus sæviores. Patuit hoc non semel aut iterum, sive tertio, sed puto infinities, si ab origine gentis ejusdem retexere cuncta fas sit. Patet et in præsenti tempore quod nostris dampnis sentimus, effectualiter cernimus, miserabiliter experti sumus. A.D. 1379.

A Cornish vessel, parting company with the English fleet, is captured by Flemings.

Enimvero, cum dominus Hugo Calverle et dominus Thomas Percy ad custodiam maris destinati fuissent, obvia fuit eis bargia quædam Cornubiæ, de villa de Fouway, quæ, jam transacto tempore a regiis[2] sibi deputato ad maris custodiam, ante ingressum dictorum militum Hugonis et Thomæ, consumptis stipendiis domum redire parabat. Quam cum cognovissent iidem milites et causam ipsius reditus, petierunt ut qui in ea erant cum eodem vase reverterentur cum eis, promittentes se interim quosdam ex suis Angliam remissuros pro eorum stipendio renovando. Ipsi vero, propriis[3] cessurum commodis arbitrantes, si quid ex hostium manubiis obiter lucrari valerent, negant se pro tunc redituros, sed potius dicunt se navigaturos ad propria, et postea novis victualibus, novis utensilibus, novo robore, reversuros. Quid multa? Velificant ipsi versus patriam; milites cum suis ad maris custodiam et tutelam. Cum ecce! volucri cursu sejuncti[4] essent procul ab invicem, et utrisque visus et cognitio fuisset ablatus,[5] obviam habent Cornubienses quandam navem Flandrensem, armatis onustam, perfidis repletam, crudelibus refertam, impiis oneratam. Qui cernentes bargiam solam, et cognoscentes nostrum navigium in alias partes concessisse, operi consueto dantes operam, fide profligata, pietate repulsa, sumpta audacia, in nostros arma convertunt. Sed et nostrates, cernentes rem agi pro capitibus, et ipsi se parant ad viriliter resistendum. Fit igitur conflictus atrocissimus, nostris pro rebus et vita certantibus, Flandrensibus e contra laborantibus, ne eorum in hac parte prodatur dolus et falsitas, si non contingat eos superiores exsistere, seu victores. Sed quid pauci contra multos, fessi contra fortes, valerent? Siquidem nostri, diutina maris experti incommoda, eis erant impares, qui et plures erant et minime fluctibus fatigati. Cessit ergo victoria

---

[1] Om. H.; supplied from O. W.
[2] *regiis*] rege, W.
[3] *propriis*] properans, H.
[4] *sejuncti*] semoti, W.
[5] *ablatus*] ablatas, H.

A.D. 1379. They sink the vessel, after slaughtering all the crew, except one boy;

hominibus inhumanis, trucibus, cruentis. Reverâ bargiam occupantes, occidunt, prosternunt, et demergunt nostros, nulli parcentes, nulli deferentes, nullum denique quem sors eorum crudelitati obtulit· reservantes. Occisis tandem, ut arbitrabantur, omnibus, bargiam profundo commendant, ne videlicet eorum fraudulenta dolositas et dolosa fraudulentia Anglicis fieret manifesta. Wals. Hist. i. 401.

Superfuit tamen quidam garcio ex eadem bargia, qui dum instantissime utrimque pugnaretur, cernens nostros perdendos, transilierat[1] in navem Flandrensium, descendensque sentinam ibidem latuit, nulli cognitus donec iidem Flandrenses portum Anglicum attigissent. Hic ergo per tres dies sine victu perseverans, dum audisset Flandrenses Anglicis colloquentes, et idioma suorum agnovisset, repente surrexit e profundo navis, fidem et suffragium Anglorum inclamitans magna voce. Accurrunt Anglici, turbantur Flandrenses; nulli tamen rei veritas erat nota. Sed demum, invalescente clamore pueri,[2] res innotuit Anglicis sicut erat. Et mox Flandrenses capti sunt et carceribus destinati, recepturi pro facinoribus meritis dignam. Navis autem et bona eorum regiis sunt usibus confiscata.

f. 162 b.

upon whose testimony they are seized at an English port.

De probitate Johannis Clerk et ejus captione.

Ne Anglis unquam dampna sola venirent, quin potius multiplicata concurrerent, accidit Anglis eodem anno grande[3] dispendium et toti insulæ deplorandum. Nam vir armipotens et bellicosus, prudens et strenuus, Johannes [Clerke,][4] socius et collega strenuissimi militis domini Hugonis Calverle, dum in Armoricam Britanniam concessisset,[5] et moraretur in castello de ,[6] quædam galea portum intravit ejusdem[7] castelli, tamquam naves ejusdem incensura. Videntes autem hoc qui cum eodem Johanne erant, mox armati ad vasa concurrunt, et ipsi defensuri naves ab incendiis vel rapinis. Dictus autem Johannes, cui nunquam defuit quod ducem deceret, cernens suos ita corditer[8] pro rerum defensione concurrere, et ipse leviter armatus descendit, accurrit, navem ingreditur, asserens se velle fortunæ suorum fore socium, sive adversa futura esset, sive secunda. Qui vero in galea erant, cernentes rem pro

Sir John Clerke is attacked in a Breton port.

---

[1] *transilierat*] transierat, W.
[2] *pueri*] puer, H.
[3] *grande*] grave, W.
[4] *Clerke*] om.H.; supplied fromW.
[5] *concessisset*] concessi, H.
[6] A blank in all the MSS.
[7] *ejusdem*] dicti, W.
[8] *corditer*] graviter, W.

Wals. Hist. i. 402.

votis accidere, nostros scilicet persequi incircumspecte, quasi meticulosi fugiendo nostros lacessunt jaculis et missilibus, donec pervenirent [1] ad introitum ipsius portus. Et egressis utrisque, illis ficte fugientibus, nostris cum ardore sequentibus, mox nostri proditos se senserunt. Nam repente se inter quinque galeas, quæ [2] in insidiis delituerant, conspexerunt. Quid tunc nostri facerent, quo se verterent, dubitabant; cum subito, Johannes memoratus, sumpta audacia, velut gigas, efferatur in hostes, hos prosternens, istos repellens, ut ipse solus contra tot sufficere videretur. Mirantur et hostes animositatem hominis et audaciam, et in ipsum solum vires, mentes, odium, arma convertunt. Interim quidam ex suis ejus hortatu portum reintrant, ejus protecti præsidio, forti defensi brachio, salvati periculo. Ipse tandem omnes suos cernens posse salvari, eos qui in ejus navi erant ejicit ante eum, ipse murus pro illis effectus contra hostes, dum illi terram attingunt; nec prius fatigatus est, donec omnes suos cerneret salvos et incolumes terram præoccupasse ante eum. Demum cum ille navem relinquere vellet, saltando de navi, cujusdam securi percussus in femore corruit, et illico captus est. Fractum est utique femur ejus illo ictu, et tibia fere a corpore separata. Vir spectandæ probitatis [3] et audaciæ, posteris multarum peroptime rerum a se ipso gestarum monumenta relinquens.

A.D. 1379.

He is wounded and taken prisoner.

De perditione bargiæ Eboraci.

Ad malorum autem cumulum, amissa est eodem tempore et nobilis bargia Eboraci, quæ, dum nimis inconsulte galeas invaderet, repente circumvallata undique a multitudine galearum, capitur a viris earundem. Sed male gavisi sunt hostes tanto lucro; nam mox, ut barbari eam intrassent, et quodammodo suis et nostris, quos captivos jam tenebant, esset impleta, subito et insperate petiit profundum maris abyssi, et demersa est cum universis Anglicis atque barbaris qui in eam concesserant, rebusque omnibus quas utrique comportarant in eam. Perforata utique fuerat dum manus consererent nostrates et hostes, in profundo ejusdem; [4] quod latuit tam nostros quam hostes, donec effectualiter dispendia vitæ sentirent submersione præfata.

A barge of York, captured by the enemy, founders with all on board.

[1] *pervenirent*] veniret, W.

[2] *quæ*] qui, H. W.

[3] *spectandæ probitatis*] spectatæ bonitatis, W.

[4] *ejusdem*] eidem, H.

A.D. 1379. *Ut dux Britanniæ, dominus Johannes de Monte-forti rediit in terram; et de ejus honorifica receptione.*

John de Montfort returns to Brittany.

Sub eisdem diebus, dux Britanniæ, quem prædiximus vocatum a suis ad recipiendum ducatum suum, a quo velut exsul ejectus fuerat multis annis, susceptis obsidibus et sufficienti securitate, transfretavit ad sua, applicuitque ad portum juxta Sanctum Maloum pridie nonas Augusti. Cui occurrentes domini, milites, armigeri, mercatores, cives, pene præ gaudio visionis domini sui naturalis, semet ipsos intra se capere non valebant. Tanta erat universa hilaritas omnibus in commune gaudium et jocunditas, ut cerneres certatim ipsos[1] populi principes splendidissime armatos, indumentis pretiosissimis circumamictos, præ desiderio videndi, recipiendi, honorandi quem eorum anima diligebat, sua ornamenta velut vilissima quæque contemnere, et se maris fluctibus præcipitanter ingerere, et ad navem devote, in qua dux eorum dominus erat, accedere, ac in ipsis Neptuni gurgitibus, prout poterant, genua flectere; quibusdam, dum honorem adventanti certant impendere, pelagi fluentis ad genua, nonnullis ad pectora, plerisque ad mentum usque, totaliter madefactis. Wals. Hist. i. 403.

His reception.

He is met by many nobles;

Inter alios occurrerunt ei ad eundem portum de villa de Dinnam, dominus Karolus de Dinnam, dominus de Mountafillan; item dominus Beumners, dominus Petrus Turnemoyn, dominus de Hannaday; item vicecomes de Dinnam, capitaneus de Dinnam et de Selidort; item dominus de Sancto Giel, dominus de Ferrys, dominus de Pleisers, dominus de Mountaban, et plures alii milites, quorum nomina scribere supersedi.

f. 163.

Venerunt et armigeri in notabili numero cum eisdem, usque ad numerum, ut usu vulgari loquar, trecentarum sexaginta lancearum.

and afterwards joined by others.

Septimo die Augusti venit ad eum constabularius de Reynes, et plures alii, ad numerum sexaginta lancearum. Octavo die Augusti, venit ad eum dominus de la Vale, dominus Castelone, dominus de Mounford, et plures alii milites et armigeri, ad numerum nonaginta lancearum. Decimo die Augusti, venit ad eum vicecomes de Rone, quondam fortissimus et infestissimus inimicus sibi; cum quo venere plures alii milites et armigeri ducatus sui, usque ad numerum quadringentarum lancearum. Qui omnes eum, ut eorum dominum naturalem et legitimum, honoraverunt, recognoverunt, ac susceperunt, et pacem, secundum ejus arbitrium, cum eo fecerunt. Reperitque idem dux, quod mirum dictum est, post ipsius

[1] *ipsos*] ipso, H.

Wals. Hist. i. 404.

patriæ tot dissidia, tot bellorum coruscationes et fulgura, tot hostium direptiones et vispellionum furta publica, quæ jugiter per [multos][1] annos pertulerat ipsa regio, omnem domus suæ supellectilem et thesaurum, omnia denique bona quæ dimiserat relinquens patriam, adeo intacta et integra, ac si ipse præsentialiter ea cum omni virtute sua et robore conservasset. Tanta itaque constantia arserant populares in amore domini, tanta fide viguerant in amore principis, tanta perseverantia perstiterant in amore ducis, ut prius, ut citius, ut potius paterentur propria in direptionem[2] et prædam dari, quam quicquam minueretur de his quæ apud eos reliquerat eorum dominus naturalis. Tributum insuper regionis, quod soliti fuerant in pace colligere usibus sui ducis, etiam in vastitate hostili colligi fecerant, et ad securum locum comportari, ut, quandocumque advenisset ad tractandum eos in mansuetudine et lenitate, ut accidit, thesauros tam insperatos quam inæstimabiles reperisset. Dux autem omnia ista considerans[3] præter spem evenisse, indicibili repletus gaudio, gratias agit Deo, qui, quando vult, transfert et immutat regiones et regna, et quibus vult ea tribuit; et iterum,[4] cum tempus miserendi Ejus advenerit, restituit ea timentibus nomen Ejus. Deinde plebi, pro incredibili fide et gratitudine quam in eis invenit, regratiatur uberrime; promittens se de cetero eis non ut tyrannus aut hostis præfuturum cum furore, sed, ut prius, princeps in[5] justitia et amore.

A.D. 1379. Loyalty of his subjects during his absence.

Factum laudabile H[ugonis] Calverle.

Nec oblivioni Lethææ tradendum æstimo factum notabile, factum non minus laudabile quam memorabile illius virtutum et fortitudinis exemplaris, illius præfulgentis speculi militaris, domini Hugonis Calverle; qui tamen sua sapientia, animositate, et virtute, ipsum ducem servavit a derisionibus hostium, et insuper commune vulgus quod sequebatur, apparatus aulæ seu cameræ thesauros publicos et privatos, arma bellica, vasa aurea et argentea, omnemque ducis supellectilem defendit a rapinis et invasionibus barbarorum.

Cum autem, [ut] præfati sumus,[6] dux Britanniæ et dominus Thomas Percy, ceterique majores, portum præoccupassent, Sir Hugh Calverley defeats an

[1] A blank in H.; supplied from W.
[2] *direptionem*] direcconem, H.
[3] *considerans*] considerant, H.
[4] *iterum*] interim, W.
[5] *in*] cum, W.
[6] *præfati sumus*] præfatus, W.

A.D. 1379. attempt by a French and Spanish fleet on the store ships of the duke of Brittany, off St. Malo.

simulque cum eis dominus Hugo memoratus; nec dum naves onerariæ quæ victualia vehebant, et cetera quæ prædiximus, portum tetigissent, (non enim poterant omnes simul intrare, quia portus artus est et periculosus,) ecce! repente vispelliones Gallici, simul cum Hispanis, vecti galeis advolant, rati cuncta sibi cessura pro votis, cum naves nostræ, quæ jam portum tenebant, reverti non poterant ad ferenda præsidia; duplici, ut eis visum est, de causa, quia videlicet et aura erat eis contraria et malitia loci suspecta. Nec mora, consuetis adhibitis instrumentis, missilibus scilicet, quæ vulgus gunnas vocat, terribiliter feriunt et conquassant ipsam classem, et adeo constanter invadunt, ut omnis spes liberationis earum, et ipsis et illis qui jam terram tenebant, esset adempta. Vidit dominus Hugo Calverlee, et ingemuit, et concaluit cor ejus intra se, et totius oblitus periculi, imperat nauclero ut convertat navem in qua erat ad hostes, "Quoniam," inquit, "pudendum est "nos affici incommodo duplici, videre nostros cum nostris "deperire, et auxilium ferre non posse. Citius mortem "deberemus amplecti, quàm tam probrose dampna talia cum "cachinnis hostium sustinere. Ne igitur dicant nos nostrati-"bus vel noluisse, vel ausos non fuisse, in tantis periculis "tulisse solatium, sentiant quid Deus valeat, sentiant et nobis "animos non deesse." Wals. Hist. i. 405.

Diutius vero reluctanti nauclero, et impossibilitatem prætendenti revertendi ad nostros, et pericula commemoranti quæ passuri essent si forte reverterentur, comminatus est pœnas nisi laboraret reverti; sicque factum est, ut cum maxima difficultate revertendo penetrarent ad hostes. Quo cum pervenissent, mox dominus Hugo et ipse sua præparat instrumenta, et sagittariis imperat, ut jam demonstrent hostibus, quid manus, quid brachia, quid arcus, quid tela sua prævaleant. Ipsi ergo [1] non segniter jussis ejus parent, et tam animose, tam dense, sagittas in hostes emittunt, ut tempestas grandinis descendere consuevit in ortu primi veris.[2] Igitur nullus locus, nullus angulus, a sagitta volante tutus erat, quin ubicumque locorum hostes concesserant, vel læderentur, vel configerentur, vel saltem per sagittas impedirentur a cœptis;[3] sicque dum sagittarii eminus, gladiatores nostri cominus prœliantur,[4] parata est via et occasio navibus onerariis evadendi.[5] Nec prius destitit Hugo, quoadusque omnes prædictas naves tutam stationem cepisse videret. Tunc demum et ipse subsequitur,[6]

---

[1] *ergo*] vero, W.
[2] *veris*] ver, H.
[3] *a cœptis*] acceptis, H.
[4] *prœliantur*] non prœliantes, W.
[5] *evadendi*] suadendi, H.
[6] *subsequitur*] obsequitur, W.

Wals. Hist. i. 406.

hostes viriliter a sua rate proturbans, qui eum insecuti fuerant, et eorum conatus tam vi quam astu deludens, donec et ipse cum suis portum salutis reintrasset. A.D. 1379 f. 163 b.

Viderant hæc omnia una parte Britones, cum duce suo, qui ob facta fortia ejusdem Hugonis et Anglorum, qui cum eo fuerant, in tantum amorem eorum exarserunt, quod vitam et animam pro eis ponere, si necessitas hoc exigeret, cum juramento, dulce reputarent. Sed et ipse dux vix unquam a gratiarum actione cessabat, nunc Dei collaudans virtutem et gratiam, nunc Hugonem extollens et magnificans, quasi per eum ex inope factus fuisset opulentus, quippe qui opes et substantiam turpiter et cum dedecore perdidisset, nisi jam Hugonis animositas, strenuitas, atque probitas, opem tulissent. His bravery equally praised by the duke of Brittany,

Stabant ex adverso, in muris et turribus villæ Sancti Maloi,[1] Gallici, cum eorum capitaneo, Bertrando Cleykyn, qui et ipsi, non minus quam Britones, viri ausus laudantes et facta, afficiebantur eidem, timentes, ut assolet vulgus, casum aut captionem viri quem diligit; et quamquam hostes exsisterent, tamen pro ejus incolumitate Dominum precabantur. Ipse insuper Bertrandus Cleykyn publice protestatus est, se maluisse omnes Gallicos in illo conflictu deperisse, quam quicquam adversi tantus vir pertulisset. Quibus laudibus iste vir dignus habetur, qui et suis salutem per hostium detrimenta tulit, et tamen pro virtute sua hostium promeruit laudem et favorem. Profecto nostris temporibus non est inventus in ordine militari similis illi qui conservaret legem Excelsi; et iccirco reor omnia hæc sibi contigisse præter solitum, ut cognoscant posteri quanta erga Deum devotio, erga sanctos affectio, erga matrem ecclesiam veneratio, ac postremum, erga cultum justitiæ fervor et dilectio, valeant obtinere. Nullus quippe, ut verum fateor, virum magis sanctitati deditum, orationibus aut eleemosynis assuetum, nostro tempore facile reperisset. and by Bertrand Du Guesclin. Character of Sir Hugh Calverley for piety.

Ut Londoniensium quidam malitiose peremerunt quendam mercatorem Januensem.

Eodem tempore, quidam nobilis et prædives mercator Januensis, veniens in Angliam et plura commoda regi regnoque promittens, si rex dignaretur permittere eum apud Hamptonam, castellum de novo constructum, occupare, et ibidem sua mercimonia recondere, repente interemptus est a A Genoese merchant assassinated by English merchants, through jealousy.

[1] *Maloi*] Maloy, H.

A.D. 1379. mercatoribus Anglicanis, magno detrimento plebis et regni. Nam promiserat, et effectualiter complevisset, ut dicebatur, si consecutus fuisset vota sua, et vita privatus subito non fuisset, eo provexisse portum Hamptoniæ, quod nullus portus in his occiduis Europæ partibus æquiparari potuisset eidem. Revera, quicquid ex Orientalibus regionibus per mercatores Januenses, Flandriæ, Normanniæ, Britanniæ Armoricæ, solebat inferri ante, nostris regionibus fuisset allatum; et ita consequenter compulsi fuissent ab Angligenis exteri suas merces requirere, a quibus ipsi non sine magno periculo suas divitias petere consueverunt. Sed tantis commoditatibus obvia[1] fuit nostrorum malitia; et nimis licenter efferata est in virum innocentem et molientem nostra commoda. Mercatores siquidem, suis cessura dampnis arbitrantes quæcumque in hac parte publico proficerent incremento, ut ferunt, hominem nihil doli suspicantem, noctu repente circumventum, Londoniis in strata publica ante fores obtruncant hospitii sui, per quosdam conductos ad illud facinus exsequendum. Sicque nostrorum detestanda malitia, nec minus exsecrabilis avaritia, nobis inimicitias peperit amicorum, Januensium videlicet et aliarum nationum quæ in circuitu nostro sunt; et paucorum perfidia suspectam reddidit fidem omnium incolarum. Quis enim externus in posterum audebit se fidei nostræ committere, cui tanta infidelitas sive inhumana crudelitas nota erit? Quis non timebit nostras versutias, et abominabitur nomen nostrum? Et super hæc omnia, metuendus est Dominus, quem proterve nostris malis offendimus, cujus mandata adeo infinite[2] despicimus, ut non jam negligenter quidem delinquimus, sed, tamquam servi qui sciunt domini voluntatem et non faciunt, voluntarie suis legibus contraimus.[3] Scimus enim Eum comminando præcepisse, "Innocentem et justum non interficies;"[4] sed nihil pendit mandata divina avara cupiditas, et legis naturalis scita refugit ambitio mundialis; plus valet apud inhumanos homines lucrum temporalis substantiæ quam caritas vel affectio[5] socialis vitæ, quæ nos omnes generaliter fratres effecit. Timendum est igitur ne nobis iratus Dominus in ultionem fraternæ necis comminando dicens improperet, "Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra, "et maledicta terra in opere tuo, quæ aperuit os suum, et "suscepit sanguinem fratris tui."[6] Quis autem frater carnalis unquam majora commoda fratribus suis elaboravit inferre, quam iste nostratibus machinatus est? Revera dicebatur, quod

Wals. Hist. i. 408.

[1] *obvia*] quia, H.
[2] *infinite*] infrunite, H.
[3] *contraimus*] contrahimus, H.
[4] Exodus xxiii. 7.
[5] *affectio*] affeccie, H.
[6] Genesis iv. 10, 11.

Wals. Hist. i. 409.

libram piperis pro quatuor denariis generaliter vendidisset, et ita consequenter de singulis faciendo generibus specierum. Quod profecto tractu temporis indicibile[1] emolumentum incolis[2] peperisset. A.D. 1379.

Pestilentia invalescit inter Northumbrenses; et Scoti interim affligunt eos.

Pestilence in the north of England.

Eodem anno, tempore æstivali, tanta pestis exorta est in partibus borealibus ex iniquo sidere, quanta nunquam antea visa fuit. Adeo namque invaluit ibi ipsa mortalitas, ut pene totam patriam de probatissimis viris subito spoliaret; et de mediocribus, quid dicendum? Vacuavit quamlibet fere domum, ut nullus penitus remaneret; familias amplissimas absorbendo delevit, non usque ad unum, sed usquequo nullum superstitem derelinqueret. Sed hæc perpauca sunt respectu eorum quæ sequuntur.[3] Enimvero, in tantum aggravata est super eos manus Domini, ut villas et oppida, olim viris bellicis, prudentibus, et prædivitibus, ac ipsis colonis refertissima, suis habitatoribus destitueret et in solitudinem redigeret et desertum. f. 164.

The Scots take the opportunity to make an inroad.

Et super hæc omnia Scoti, ut patet, humani generis inimici, non compati tot proximorum mortibus, non condolere tot calamitatibus didicerunt gentis miseræ, postremo nec manum Domini, tam vicinam eis, vereri sciverunt, sed inhumaniores brutis, efferatiores feris, istud tempus accommodatum eorum crudelitati[4] putantes, in gentem morbo et peste tabescentem efferati, quos Dominus percusserat persecuti sunt, et super dolorem vulnerum eorum addiderunt, percutientes in ore gladii viros bello aptos, quos nondum morbus aut pestis infecerat, et, plurimorum amputatis capitibus, vesano spiritu agitati ipsa capita ad invicem pede percutere et repercutere, ad modum cum pila ludentium, non horrebant.[5] Et cum nullum tot malis obviantem, nullum resistentem conspicerent, exinde audaciores effecti, universa sibi licere putantes, patriam pervagantur, villas prædantur, divitias asportant, fugant coram eis bestias et jumenta, in tantum ut ipsos greges porcorum coram ipsis abigerent, quod genus animalium nullus ante Scotorum abducere prætemptavit.

---

[1] *indicibile*] indiobile, H.
[2] *incolis*] in celis, H.
[3] *sequuntur*] sequitur, H.
[4] *crudelitati*] crudelitat et, H.
[5] *horrebant*] inferrebant, H.

A.D. 1379. Cum autem patriæ ipsius præmeditati fuissent direptionem, antequam ingrederentur regionem illam, accitis quibusdam ex incolis, sollicite sciscitati[1] sunt, cur ipsis tantum tanta pestis acciderat, plus quam Scotis aut aliis gentibus convicinis. Qui simpliciter responderunt, se nescire causam tantæ mortalitatis, quippe quibus occulta fuere divina judicia. Sed unum constanter affirmabant, quod omnis calamitas, omnis mortalitas, demum omnis adversitas, quæ eis acciderant, ex speciali Dei gratia contingebant; quandoque propter peccata sua, ut luerent in hac vita commissa nefarie, et malis operibus dediti timore mortis desisterent ab inceptis; aliquando propter exercitium justorum, ut majorem fidem in Deo habeant, quemadmodum scriptum est, "Videbunt justi et timebunt et sperabunt in Domino;"[2] et aliquotiens propter multas causas occultas quas non expedit nobis scire. Cum ergo[3] Scoti audissent ab incolis pestem eis illatam Dei gratia, trepidaverunt timore ubi non erat timor, saltem talis qualem assumpserant satis bestialiter; unde ingressuri terram, et postquam ingressi sunt eam, cotidie mane signaverunt se tali benedictione, ab ipsis magna deliberatione composita, et multum necessaria, ut eis visum fuit. Senior igitur, vel major natu, inter ipsos taliter inchoavit, "Benedi-" cite," et respondebatur "Dominus." Deinde major prosecutus est, "Deus et Sanctus Kentegernus, Sanctus Rimanus, et "Sanctus Andreas servent nos hodie et cotidie a divina gratia "et fœda morte qua Anglici moriuntur." Et post istam benedictionem, videbatur eis se satis protectos satisque munitos a cunctis malis casibus quæ supervenire valebant. Quæ benedictio multo ridiculosius sonat in ipsorum idiomate quam lingua Latina, et propterea illam in præsenti loco scribere dignum puto; nam isto modo sonat: "*God and Sen Mongou,* "*Sen Riman, and Seynt Andreu, schelde us þis day and ilke* "*a day*[4] *fro Goddes grace, and þe foule deþ þat Englisshe men* "*deyen upon.*"

Wals. Hist. i. 410.

The Scots in fear of the plague.

Their prayer for preservation therefrom.

Sperandum est ergo, etsi non in præsenti, in futuro tamen, precum suarum consequentur effectum, et inhumanitatis crudelitatem, quam exercuerunt in populum humiliatum sub flagello Dei, peste videlicet laborantem, digna compensatione persentient. Lento namque gressu progreditur divina severitas, sed tarditatem suam gravitate compensat.

---

[1] *sciscitati*] scitati, W.
[2] Psalm xxxix, 4.
[3] *ergo*] vero, W.
[4] *and ilke a day*] om. W.

Wals. Hist. i. 411.

De mirabili fidelitate filii comitis de Dene, obsidis pro patre suo apud Johannem Shakle.

A.D. 1379.

Agreement with John Shakyl for the surrender of the count of Denia to the king.

Eodem tempore, intercurrentibus personis gravibus, qui multum de injuria irrogata personis dudum in ecclesia Westmonasterii, videlicet Roberto Haule et Johanni Shakle, pie justeque doluerant, reddita est pax et libertas Johanni Shakle, quem supra dicimus irreverenter extractum de eadem ecclesia, et ad turrim Londoniarum tractum, ibidemque carceri mancipatum. Convenit siquidem inter dominum regem et ipsum, id postulantibus viris venerabilibus, ut Johannes Shakle captivum suum, filium comitis de Dena, qui jam, nuper defuncto patre, et ipse hereditarie comes effectus est, domino regi publicaret;[1] nondum enim sciebant quis aut qualis esset, vel ubi moram traxerat ita diu. Et præterea ordinatum est, ut dominus rex daret eidem Johanni, pro possessione prædicti captivi, terras ad valorem centum marcarum per annum, et in pecunia quingentas marcas; et quod dominus rex de bonis regiis fundaret unam cantariam pro animabus eorum quos ejus ministri in ecclesia supradicta peremerant, de [quinque][2] f. 164 b. sacerdotibus, perpetuis temporibus duraturam. Firmatis istis conditionibus, regi captivus redditur, et Johannes Shakle pristinæ libertati. Jussus autem exhibere captivum, cunctis admirantibus, ministrum suum obtulit, qui ei astiterat et more valecti servierat in omni tribulatione sua, et ante persecutionem, quæ sibi illata fuerat, in carcere et extra carcerem; et ita fideliter sibi adhæserat, ut non potuisset agnosci; ita impense ministraverat, ut putari conductionis[3] suus famulus ineptus[4] potuisset. Erat cernere inter Anglos ibidem confusionem magnam et verecundiam de tanta viri fide, dum quisque non haberet in summa tranquillitate, quod ipsum in maxima perturbatione et regni totius commotione habuisse conspiceret; omnibus inter se quærentibus quisnam ex ipsis inveniri potuisset ei similis, qui potuit transgredi, et non est transgressus, ut honorificus dominus habitus a rege fuisse, regnique proceribus; et omnia, respectu fidei quam magistris suis debuit, contempsisse, ac demum, in ipsa persecutione suis magistris illata, pene caput suum intuitu fidelitatis ipsis gladiis posuisse.

Fidelity of the count.

---

[1] *publicaret*] puplicaretur, H.

[2] A blank in H.; supplied from W.

[3] *conductionis*] conductitius, W.

[4] *ineptus*] merito, W.

A.D. 1379. O constantia juvenis prædicanda, quæ licet posita[1] inter pressuras persequentium, nulla tamen varietate fortunæ frangi potuit, quominus inveniretur perfecta, stabilis inter aspera, secura inter dubia, fide certans inter adversa. Anglice, quisquis es, qui pecunia corruptus, aut aliis donis illectus, proditionem patriæ tuæ moliris, respice speculum hujus externi, fidem scilicet hujus viri, qui non Anglicus, non indigena, sed quodam jure hostis et alienigena, et tamen, ita proterve, tam pertinaciter, fidem servat, juramentum observat quo magistris suis, ut ita dicam, se devinxerat,[2] quod pauper et inops, et servus miseriæ magistrorum in fidelitate plus elegit effici, quam in fidei læsione semet ipsum prodendo, dampno magistrorum cum rege regnique proceribus juxta conditionem suæ genesis,[3] in abundantia, jocis, ac divitiis gloriari. Hæc iccirco scripsi, ut pudeat Anglos præsentes et futuros proditionis infamia, qui respectu hujus Hispani in promptu habent fidei non fictæ sed perfectæ speculum, et discant quanta laus et gloria fide et probitate perquiritur, et e contra quam pudenda recordatio, quam fœda memoria, sequitur proditores. Wals. Hist. i. 412.

Ut comes Flandriæ expellitur a terra sua propter exactiones, et iterum restituitur.

The count of Flanders driven out by his subjects.

Sub eisdem pene diebus, comes Flandriæ, dum novas consuetudines a suis communibus exigit, dum novas exactiones exquirit, dum onera nova minus prudenter imponit, dum insueta contra suorum libertates inquirit, cum omni domo sua, universa familia, totoque concilio, de terra sua vi communium est expulsus. Et mox exercitus plebis cito deligitur viginti millium, et eo amplius, virorum de communitate selectorum, ad custodiendum fines patriæ ab incursu faventium comiti, suo videlicet domino naturali, et ad obsidendum vel capiendum eundem comitem, si persistendum in inceptis putaret. Interim, ut assolet, fiunt direptiones et prædæ bonorum comitis sibique faventium, incendia prædiorum, mortes famulantium, et cuncta quæ vel odio personarum geri solent, vel vindicta victorum.

The count of Saint Pol forced to make concessions to his people.

Sensit dampni partem dominus Walerannus comes Sancti Pauli, qui per idem tempus ad partes illas concesserat, ad muniendum et videndum castra sua in illis partibus constituta. Nam cum comperissent eum favere parti comitis,

[1] *posita*] polear, H.
[2] *devinxerat*] adjunxerat, W.
[3] *sua genesis*] sui generis, W.

Wals Hist. i. 413.

mox ad quoddam ejus manerium universi se transferunt in spiritu furoris et iracundiæ; et totum illud prædium, quod in ædificiis et pulchritudine omnia comitatus excedebat prædia, solo complanant, non relinquentes tignum super parietem, aut lapidem super lapidem; ut omnibus luceret clarius illos in corde et ex corde odio prosequi dominum suum comitem, et omnes qui ei familiaritate aliqua jungebantur. Cum igitur, elapsis jam multis diebus, comes cerneret eos in sua perseverare pertinacia, et prius mori velle quam consuetudines suas avitas amittere, et ipse pertæsus dampni quod patriæ inferebatur medio tempore, mittit ad eos, qui eorum palparet animos, si forte interim flexi fuissent, vel labore militiæ aut expensarum nimietate animo concidissent. Sed ubi didicit eos nullo modo deflexos, nullis laboribus fatigatos, decernit condescendere suorum naturalium voluntati. Et iccirco renunciavit illis, se fore paratum ad præsidendum eis ut dominus placidus, si ipsi in ceteris modo consueto sibi submittant. Ipsi vero nequaquam se subjiciendos renunciant, nisi omne concilium ejus amoveatur[1] ab ipso, et recipere solum velit consiliarios ex communis vulgi decreto; et insuper, ut tradat in manus plebis ipsos qui hujus perturbationis, seu commotionis, causa fuere. Comes igitur, nullam aliam viam cernens ad recuperandum ejus dominium, licet invitus, adjudicavit fieri petitionem eorum, et ita postremo est suo comitatui restitutus. A.D. 1379.

Acta Edmundi de Brounfeld volentis esse abbas de Bury.

Per idem tempus, venit a Romana curia Edmundus Brounfeld, monachus ecclesiæ sancti Edmundi regis de Burgo, afferens secum bullas, in quibus, dono [et provisione domini papæ, asseveravit se abbatem et pastorem ipsius][2] ecclesiæ confirmatum. Iste siquidem Edmundus, promotus ex substantia illius monasterii usque ad summum gradum theologiæ, quotiens a studio revocabatur ad monasterium, semper contentiosus et seminator discordiarum et odii concitator exstitit[3] inter fratres. Unde fratres illius loci, fatigati sæpe per ipsum, cum consilio domini Johannis Brincle, patris tunc et pastoris eorum, decreverunt quovis pacto, aut per fas aut per nefas, deliberari de persona sua, ne videlicet una ovis morbida totum gregem ipsius monasterii contaminaret; et ut illorum propositum

Edmund Brounfeld, a litigious monk of Bury, is sent on a mission to Rome; f. 165. his convent being glad to be rid of him.

[1] *amoveatur*] removeatur, W.
[2] Om. H.
[3] *exstitit*] exstiterat, W.

A.D. 1379. cautius et secretius, ac sine fratrum vel loci aut ipsius Edmundi scandalo, sortiri valeret effectum, offerunt sibi officium [procuratoris][1] domus illorum, ut vadens ad Romanam curiam, ibidem pro ecclesiæ necessitatibus jugiter moraretur, ac sic per consequens domus illa sua præsentia vacuaretur, et fraterna quies suis simultatibus in posterum minime turbaretur. Sed antequam hoc negotium eum exsequi, aut ab eis recedere, permiserunt, cogitantes quod plerumque cœli diversa facies vel externa regio non mutat conditiones quorundam, nec potest Æthiops mutare pellem suam, exegerunt ab illo juramentum de non acquirendo aliquo beneficio ipsius domus, et de non procurando quod in ipsius ecclesiæ cederet præjudicium quovismodo. Quod et juravit, facto coram ipsis[2] publico sacramento. Postea vero, præsidentibus capituli generalis id procurantibus, impositum est ei onus procuratoris generalis totius Nigri Ordinis; et ut favorabilius acceptaretur a summo pontifice, literas commendatorias, quamquam aliqualiter contra conscientias tam præsidentium quam domus suæ, accepit ad papam; quæ postea magno detrimento domus suæ fuere, ut inferius declarabo. Wals. Hist. i. 414.

The abbacy falling vacant, he takes the opportunity to obtain it from the pope.

Cum ergo Romam venisset, et ibidem longam moram traxisset, nec assecutus ab apostolico ullum fuisset beneficium, tandem audivit dominum Johannem Brinkle, quondam abbatem suum, diem clausisse supremum, et putans jam tempus opportunum arrisisse sibi, ad procurandum et consequendum quod diu mente conceperat, accessit ad quendam advocatum, sed falsum,[3] qui tamen morabatur in curia et vocabatur magister Johannes Shipdam, et promisit ei magnam summam pecuniæ annuæ, si id efficeret, ut abbas de Burgo quoquo pacto creari posset. Et si contingeret eum in hoc negotio minime expedire, procuraret sibi aliquem ex vacantibus episcopatibus; aut si hoc non posset assequi, prioratum de Derhirste obtinere laboraret eidem, habiturus pro labore suo pro quolibet istorum annuatim certam[4] summam; et spopondit. Dictus ergo[5] Johannes quosdam e cardinalibus, qui nunquam aurum respuunt, ad partem suam traxit, ut ipsorum interventu et favore Edmundi prædicti negotia efficacius expediret. Securus ergo de ipsorum cardinalium adjutorio, proponit coram domino papa causam Edmundi, asserens eum vere fuisse[6] electum capituli, et[7] omnium fratrum votis optatum, eidem ecclesiæ præessendum.

---

[1] Om. H.
[2] *ipsis*] eis, W.
[3] *falsum*] Flandrensem, W.
[4] *certam*] unam, W.
[5] *ergo*] vero, W.
[6] *vere fuisse*] verum, W.
[7] *et*] ut, W.

Wals. Hist. i. 415.

Dominus vero papa, considerans malitiam ipsius temporis, et sui adversarii antipapæ cotidianum incrementum, et sperans Edmundum magno adjutorio sibi futurum, si abbas efficeretur ibidem, de facili inclinatus est ad confirmandum eundem, vel, si electio rite celebrata non fuisset, ad gratis dandum ipsi Edmundo beneficium supradictum. Quid multa? Consequitur Edmundus dono et favore papæ imaginarium appetitum, et ad repatriandum cum bullis suis se præparat toto nisu. A.D. 1379.

Fratres vero de Burgo, statim post mortem abbatis sui, ad electionem convenerant, et unanimi consensu elegerant in abbatem dominum Johannem de Tymworthe, domus suæ supriorem, virum idoneum, et Ordinis zelatorem. Qui audientes Edmundum eos taliter prævenisse, mox festinant duos monachos ad Romanam transmittere curiam, ad certificandum dominum papam de falsa suggestione Edmundi, et ad petendum confirmationem ipsorum electi. Deferunt etiam [1] secum literas regias, et plurium dominorum, supplicatorias, pro confirmatione electi et Edmundi depositione. Sed papa, plus pro tunc favens Edmundo quam monachis, permisit eosdem ibi dampnosam trahere moram.

John de Tymworthe meanwhile elected at Bury.

The monks send to Rome to oppose Brounfeld.

Interea Edmundus, cogitans quod mora trahit periculum, et quod "Semper nocuit differre paratis," [2] properat ad Burgum Sancti Edmundi, et ibidem alliciens sibi vicinos de patria, in brevi magnum exercitum in partem suam traxit. Stipatus igitur multis assentatoribus, publicari facit in parochialibus ecclesiis bullas suas; et, ut fieri solet in talibus, plebs avida semper ac cupida novorum, suis credit assertionibus et favet honori, maxime quia patriota fuerat et vicinus eis. Videns autem Edmundus principia sibi cessisse pro votis, sperat cœlos miscere terris et spiritum carni conjungere et claustrum foro; monachos scilicet conflare laicis, et unum serere spiritum in utrisque. Intrat ergo capitulum cum turba multa, mittens notarios qui invitarent monachos ad capitulum ex parte domini papæ, ad audiendum, sub pœna inobedientiæ, ejusdem mandata. Simpliciores vero fratres, timentes hanc notam, capitulum intraverunt. Alii quoque, qui pericula mente libraverant et incommoda quæ monasterio possent emergere per talem provisionem, a turba se et capitulo subtraxerunt. Edmundus igitur, in capitulo residens, de facili traxit in partem suam fratres qui aderant, partim timore censuræ, partim affectione, partim dominandi cupidine, præcipue quos amor administrationum temporalium detinebat. Creat iccirco post expressata negotia

But he, coming to England, takes possession.

f. 165 b.

[1] *etiam*] ergo, W.

[2] Lucan. Phars. I. 281.

A.D. 1379. sua, et postquam vidit partem favere, novos obedientiarios, et deponit antiquos; sed et electum eorum, dominum Johannem de Tymworthe, restituit officio supprioris, si tamen idem electus putet cedendum electioni et mandatis ejus parendum. Dehinc cum illa parte conventus quæ convenerat ad capitulum, et ejus suasioni[1] acquieverat, intrat ecclesiam, et, arreptis pontificalibus ornamentis, missam solemniter celebrat more abbatis loci, agens diem solemnem in condensis, non tantum[2] usque ad cornu altaris, sed usque ad ipsas mensas et convivium, cum magna videlicet[3] sexus utriusque frequentia atque plausu. Wals. Hist. i. 416, 417.

He is arrested and brought before the chancellor at Westminster.

Sed non diu gaudium istud durat, quin perturbatio atque luctus ejus extrema occupat. Nam paulo post, regales tam milites quam armigeri, cum lictoribus, ad Burgum conveniunt, et Edmundum sine magna difficultate seducunt ad respondendum regi super præmissis. Egresso autem cum illis Edmundo, pars conventus, quæ sibi favebat, secuta est illum, monachi circa decem et octo. Cumque ad Westmonasterium pervenisset, requisitus est a domino cancellario Ricardo Scrop, cur sine licentia regia abbathiam de Burgo Sancti Edmundi intrare, et abbatis vices ibidem agere, præsumpsisset. Quo respondente se tamquam pastorem legitimum intrasse ovile proprium, ut et ovibus suis intactis[4] peste præstaret solatia, et morbidis salutifera procuraret remedia, subintulit cancellarius, "Puto," inquit, "te in ipso loco nec ægras oves nec "sanas possidere; præsertim cum sine conniventia regia, immo "contra jus regium et approbatas regni consuetudines, non "ut pastor, sed nec ut mercenarius tantum, sed ut lupus "potius, subintrasti. Et ideo scire debes te et omnes tui "similes eos læsæ majestatis regiæ tamquam proditores ar-"cendos et carceribus mancipandos; præcipue propter statu-"tum parliamentale editum vicesimo secundo anno regni "Edwardi, regis ultimi, quod docet omnes tales vel decapi-"tandos vel carceribus detrudendos. Decernimus ergo te ad "turrim Londoniarum mittendum, cum his qui te in regis "injuriam prosecuti sunt de monasterio monachis, ut ibidem "sollicite conservemini, donec voluntatem regiam et decre-"tum parliamenti futuri super isto negotio plenius cognos-"camus."

He and his followers are sent to the Tower;

Nec mora, cum verbo et decretum perficiebatur; deductique sunt ad Turrim una cum eo qui præsentes[5] aderant; et proclamatum est Londoniis, ut caperentur pari custodiæ, si

---

[1] *suasioni*] suas non, H.
[2] *tantum*] tamen, W.
[3] *videlicet*] utique, W.
[4] *intactis*] infectis, W.
[5] *præsentes*] consentientes, W.

Wals. Hist. i. 418.

inveniri possent, hujus viæ monachi non præsentes. Factumque est, ut qui quietem claustralem sponte deseruerant, inviti commendarentur inquietudini carcerali. Expost tamen, vel propter regales expensas minorandas, vel propter zelum religionis, concilium regale decrevit, ut monachi, qui Edmundum secuti fuerant, diversis monasteriis mitterentur, cum mandato regio super eisdem, ut videlicet abbates vel priores, quibus directi fuerant, eorum custodiam agerent, responsuri pro corporibus eorundem domino regi in parliamento sequenti.

A.D. 1379.

but the latter are afterwards dispersed among various monasteries.

Actus pudendi, et mors deflenda domini Johannis de Arundela et nostratum in mari.

An expedition sets out from England, to aid the duke of Brittany against the French.

Ipso anno, prope festum Sancti Nicholai præsulis, exercuit Dominus manum magnam super Anglicos, in quosdam vindicta desæviens,[1] quibusdam misericordiam suam prætendens. Cum enim jam regium concilium in parte succurrendum putasset duci Britanniæ, qui, Francis infestantibus eum post adventum suum in terram suam, pene videbatur Francorum numerositate terrendus, communi decreto missi sunt cum armata manu ad auxiliandum sibi dominus Johannes Arundell, dominus Hugo Kalverlee, dominus Thomas Percy, dominus Willelmus Elmham, dominus Thomas Morews, dominus Thomas Banastre, et plures alii milites et armigeri, quos enumerare longum foret. Hi igitur armis et equis instructi nobiliter, post perceptum a rege aurum stipendiarium, ad confinia maris properant, ibidem auram prosperam præstolaturi. Qui sicut pro generis prominentia et in armis exercitata prudentia, atque bellatorum sequentium populosa frequentia, Anglicis et Britannis fiduciam magnam, et bonam spem hostes conterendi, pepererant, ita et Gallicis metum grandem incusserant. Nec immerito, quia profecto si Deo non displicuisset talis exercitus, pro virium gloria, pro prœliandi cautela, pro resistendi[2] contra hostes audacia, non temere fuisset cunctis Gallicis metuendus. Sed quid valet vis humana; quid astutia; quid opulentia; si, cui hæc accommodantur, persona displiceat Creatori? Utique non ad gloriam proficiunt, sed ignominiam, et forsitan tendunt ad dampnationis augmentum. Sed de his hactenus; jam ad materiam revertamur.

Outrages committed in a nunnery by Sir John Arundel's men.

Cum igitur, ut prædiximus, dominus Johannes de Arundell cum suis complicibus ad mare pervenisset, et necdum aura secunda flaret eisdem, statuit, ut optabat, opperiri tempus

[1] *desæviens*] deserviens, H. | [2] *resistendi*] peitendi, H.

A.D. 1379. gratioris venti. Perrexit interea ad quoddam monasterium virginum non procul situm, et, cum suis ingrediens, petiit a matre monasterii, ut ibidem suos commilitones, in negotiis regiis laboraturos,[1] permitteret hospitari. Sanctimonialis autem femina, mente librans pericula quæ per tales hospites possent emergere, et quia omnino religioni talis petitio contraibat, cum reverentia et humilitate qua decuit, exposuit sibi juvenes esse plures qui cum eo venerant, et impelli posse de facili in scelus inexpiabile; quod non solum in opprobrium et infamiam illius loci, sed in periculum et perniciem sui et suorum redundaret, qui non modo castra pudicitiæ impugnare vitarent, sed etiam omne genus peccati effugere laborarent, si id agerent, quod viros ad bellum profecturos oporteret. E contra, ille insistere magis fervide cœpit in proposito, dicens illam falli in suis suspicionibus, et non esse verisimile quod mente imaginarie pertractarat. Cui illa, solo prostrata, "Scio," inquit, "domine, viros tuos viros effrenes esse, utpote qui Deum "forsitan non verentur, et omnino non expedire nobis, nec tibi, "ut ingrediantur claustra nostra. Quapropter, junctis manibus, "tuam generositatem oro, convenio, consulo, ut, hoc dimisso "proposito, alibi tibi tuisque requiras hospitia, quæ super-"abundant in patria convicina." Ille vero, persistens in proposito, contemptibiliter præcepit ut surgeret,[2] jurans se nullo modo flectendum quin in eodem loco suis hospitia provideret. Confestim ergo jubet suis ut domos ingrediantur, et cameras publicas occupent et privatas, donec velificandi tempus insistat. Qui mox, ut creditur, diabolico spiritu agitati, irruunt in claustra monasterii, et, ut assolet in tam indisciplinato vulgo, ille istam, iste illam, irrumpit cameram, in quibus virgines filiæ majorum provinciæ servabantur ad discendas literas, et pleræque[3] jam paratæ fuerant ad suscipiendum sacræ religionis habitum, et in proposito virginitatis mentem fixerant. Quas, spreta loci reverentia et Dei timore postposito, opprimunt et polluunt violenter; et non solum in istis eorum libido furit, sed et vidualem continentiam et conjugale vinculum pollutioni tradere minime verebantur. Nam plures illuc viduæ confluxerant hospitandi gratia, ut moris est in talibus abbathiis,[4] vel pro rei familiaris inopia, vel pro perfectius et securius servanda continentia. In mulieres insuper conjugatas, quæ illuc ex causis præmissis convenerant, adulterium commiserunt publicum, sed violentum. Nec tantis contenti nequitiis, ut fertur, ipsas sanctimoniales suæ luxuriæ substraverunt, parvipendentes

Wals. Hist. i. 419.

f. 166.

[1] *laboraturos*] laboratores, W.
[2] *surgeret*] surgerent, H.
[3] *pleræque*] plerisque, W.
[4] *abbathiis*] abbathis, H.

Wals. Hist. i. 420.

incesti notam. Qua de re primo patientes injuriam, mox universi qui in vicinia morabantur, ad quos notitia tanti mali pervenerat, maledictiones congerunt super eorum capita satis horribiles, et eis quicquid infortunii, quicquid adversi, Deus eis suscitare valeat, imprecati sunt. A.D. 1379.

In his omnibus, ipse dominus Johannes Arundell nihili pendens tantum clamorem, tot exsecrationes, talis infamiæ dedecus, adjecit peccata peccatis, addidit mala malis. Revera permisit suos quodammodo spoliare patriam, apporiare vulgus; dum victualia vel cetera necessaria vi auferentes non compulit ad solvendum, sed potius eorum favebat violentiæ, et ipse particeps effectus erroris eorum; unde protestati sunt illius regionis incolæ maluisse adventum hostium in terram illam, præter domorum incendia, quam ipsius domini Johannis, cum sequela sua. They ravage the country.

Pauca sunt ista, immo parva sunt ista, respectu eorum quæ sequuntur. Die namque illo quo mare ingressuri erant sui, et ipse cum eis, quandam novam nuptam, et illo eodem die per manus et orationes sacerdotis viro de provincia copulatam, de ecclesia post missam et sponsalia celebrata revertentem, violenter rapiunt de medio et manibus eam ducentium, et ad naves usque deducunt, operaturi in ea opus nefarium post ingressum eorum in mare; non considerantes nec putantes tanta scelera celeriter punienda. Ex abbathia etiam, ut fertur, prædicta feminas conjugatas, viduas, et virgines, abduxerunt, et in suis navibus collocarunt. Nec istis saturati, quidam ex ipsis ad sacrilegia manus extendunt. Nempe post auditam missam, ut apparuit, indevote, antequam sacerdos casulam deponere potuisset, accedentes, et calicem de altari rapientes, cum summa festinatione, lætabundi quasi de præda, currunt ad naves, sacerdote eos in sacris vestibus, scilicet, alba, stola, et fanone, prosequente,[1] et sub interminatione censuræ calicem repetente. Cumque nisi sannas et terribiles minas, nisi retrocederet, accepisset, non sic quidem silere decrevit; sed, accitis convicinis sacerdotibus, ad litus usque processit, cum candelis accensis, campanulis, libris, et his quæ sententiis hujuscemodi promulgandis requiruntur; ibique petiit, sub pœna excommunicationis, ablata restitui. Cum autem nec sic curarent satisfacere, in eos excommunicationis sententiam terribiliter et[2] publice fulminavit, jactu in mari cereum extinguendo. They carry off a bride and certain nuns to their ships; and pillage a church. They are excommunicated.

Dominus Hugo Kalverlee et dominus Thomas Percy, et nonnulli alii, quos hæc præmissa latebant, antequam naves ascensuri erant, fecerunt proclamari per patriam voce publica, Good discipline maintained by Sir H. Calverley and Sir T. Percy.

[1] *prosequente*] persequente, W. | [2] *et*] ut, H.

A.D. 1379. f. 166 b. ut venirent ante diem navigationis qui molestati fuerant per suos ullo modo, vel per illatas injurias, vel per alias quascumque causas, habituri condignam satisfactionem de quibuscumque transgressionibus conqueri voluissent. Unde contigit, ut ipsos cum devotis precatibus populus prosequeretur ad mare, sicut e contra dominum Johannem Arundell diris imprecationibus fuerant insecuti. Wals. Hist. i. 421, 422.

Sir John Arundel's ships caught in a storm.

Post hæc, evolutis non multis horarum spatiis, cum ventus flavisset paulo turgidius, imperat dominus Johannes ut omnes naves ingrediantur, et mandat naucleris[1] ut, velis expansis et in altum deductis, committant navigia ventis. Nauta vero in cujus navem ipse dominus Johannes concesserat, videlicet Robertus Ruste de Blakene, præsagus intemperiei venturæ, dissuadet ei se pro tunc mari committere, dicens tempestatem post modicum tempus affuturam, quæ et indubitatum afferret[2] periculum, et forsitan naufragii causa foret. Ipse autem, quem jam sua fata trahebant, aurem accommodare noluit verbis ejus, sed magis urgebat ad velificandum. Igitur nauta, cernens non posse persuadere dicto Johanni ut remorari deberet, dat Neptuno naves, et in brevi ingreditur alta maris; et, ut ita dicam, "Postquam altum tenuere rates," mox "venti, velut agmine facto," "incubuere mari," "cæruleusque "supra capita eorum imber astitit, noctem hiememque ferens, "et inhorruit unda tenebris. Continuo quoque venti volvunt "mare, magnaque surgunt æquora; et dispersi jactantur "gurgite vasto. Involvere diem nimbi, et mox humida "cœlum abstulit;" ita "cæcis errant in undis," "præsentem-"que eis intentant omnia mortem."[3] Et, quod[4] ipsa morte terribilius est, ut ferunt, diabolica visio, sive species, apparuit inter eos, quæ visibiliter videbatur eorum perditioni, qui in navem dicti Johannis Arundell concesserant, imminere. Quis clamor, quantus luctus, quales gemitus, quot lacrymæ, tunc inter mulieres, quæ vi vel sponte in naves ascenderant, fuerint, est enarrare difficile, cum impulsu ventorum et fluctuum ascenderent usque ad cœlos, et descenderent usque ad abyssos; cum jam non mortis imaginem, sed ipsam mortem, præsentem cernerent, et continuo morti dari minime dubitarent. Quanta perturbatio mentis, quæ trepidatio corporis, quam magnus remorsus[5] et anxietas conscientiæ viros invasit, qui pro explenda libidine mulieres ad pericula maris traxerant, ipsi optime

---

[1] *naucleris*] nauclerus, H.

[2] *afferret*] ferret, W.

[3] Cf. Virgil, Æneid, i. 82–91, iii. 192–200.

[4] *quod*] quos, H.

[5] *Quanta . . remorsus*] Quanta perturbatio mentisque trepidatio, corporisque magnus remorsus, W.

Wals. Hist. i. 423.

referre noverunt, qui, participes exsistentes tanti mali, quandoque Domino miserante, salutis portum contingere merucrunt. A.D. 1379.

Iccirco, quid inter hæc agerent dubitabant, cum hinc ventis et procellis, illinc fluctibus et feminarum clamoribus, urgerentur. Temptant ergo primo alleviare vasa, projicientes impedimenta vilia, dehinc quæque pretiosa, si forte vel sic eis exsurgeret spes salutis. Sed cum ita non minui[1] desperationem, sed potius augeri cernerent, refundunt causas infortunii in ipsas feminas, ac, in spiritu furoris, eisdem manibus quibus ante illas blande attrectaverant,[2] eisdem brachiis quibus eas libidinose demulserant, arreptas in mare projiciunt piscibus [et][3] marinis beluis devorandas, ad numerum, ut fertur, sexaginta feminarum. Sed nec ita quidem cessavit tempestas, sed excrevit per amplius, ut cunctis omnem spem adimeret mortis pericula evadendi. Attempts to lighten the vessels. The women thrown overboard.

Cumque diebus aliquot atque noctibus, non tantum in mortis periculo quantum in mortis faucibus, non sine trepidatione maxima transegissent, tandem vident[4] quoddam litus, et quandam insulam, in regione Hiberniæ, circa litus illud in fluctibus marinis sitam; unde momentaneo [gaudio][3] perfusus, dominus Johannes Arundell mox jubet ut nautæ se transferant ad litus illud, si forte eis terram contingere donaretur. Nautis autem reluctantibus, et asserentibus in tantis turbinibus magis tutum fore maris alta tenere, quam vi ventorum illidi arenæ vel scopulis appropinquando terræ, irruit in eos dictus Johannes furibunde, et quosdam ex eis, ut fertur, crudeliter interfecit. Robertus vero Ruste, cujus erat navis ipsa, timens etiam sibi de dicti[5] J[ohannis] violentia, promisit se, si non desit gratia, navem impulsurum non procul a terra. Cui dictus Johannes, "Nonne conspicis illam insulam prope terram? Salvemur ad "tempus in ea, ascendendo saltem in ipsam, et refocillando[6] "membra nostra. Fortassis qui in terra sunt videbunt nos et "nostræ miseriæ condolebunt, et victualia nobis afferent, vel "efferent ad terram suam, vel certe, quod grave videtur, "naufragos[7] captivabunt. Esto, captivamur ad tempus: minus "grave est hoc quam in mari totiens ante mortem mori, et "tandem mortem dedecorosam evadere nullo modo posse. "Aut si inimici sunt qui in hac terra sunt, citius eligo per "manus hostiles interfici, (forsitan sepulturam cadaveri indul-"gebunt,) quam more pecoris marinis mergi fluctibus, et fieri "pelagi monstris cibus." Cum hæc dixisset,[8] Robertus præ- The ships are driven to the coast of Ireland. Sir John Arundel's

[1] *minui*] nimis, H.; minus, W.
[2] *attrectaverant*] att²averant, H.
[3] Supplied from W.
[4] *vident*] vidit, W.
[5] *de dicti*] deduci, H.
[6] *refocillando*] refocillanda, H.
[7] *naufragos*] naufragas, H.
[8] *dixisset*] audisset, W.

A.D. 1379. ship is wrecked. fatus, navis rector, omni nisu elaboravit ut navem impelleret inter terram et prædictam insulam, sperans insulam posse protegere navem a ventis, et æstimans facilem fore ascensum in terram; sed cum illuc navis pervenisset, cernit scopulos miræ magnitudinis ex utraque parte, et se in medio subito[1] constitutum. Qui mox more morituri in clamorem erupit, et sociis confessionem facere monuit, et quemlibet hortabatur se morti parare, "Quoniam," inquiens, "jam nullus superest evadendi "locus." Cumque in tam horrendo periculo huc illucque per magnum tempus jactati fuissent, et navis illæsa[2] scopulis jam undas admisisset, repente apparuit ascensus in insulam, sed arduus et difficilis propter scopulos et arenas. Nauta igitur, omnem vim exercens, impulit navem in arenam, ut vel sic saltem, fracta navi, daretur eis occasio evadendi. Et cum navem marinis fluctibus quantum possibile fuerat expulisset, ipse primus in arenam exsiluit, deinde multi saltando post eum[3] insulam præfatam sunt ingressi. Wals. Hist. i. 424.

f. 167.

He is drowned. Demum dominus Johannes Arundel et ipse saltavit, et arenam attigit; sed, ut videbatur, salutis suæ nimis securus fuit; nam quasi tamen nihil metuendum exsisteret, in arena viva stans, cœpit aquas excutere vestimentis suis, quæ in navi aquis marinis fuerant madefacta. Quod cum vidisset memoratus Robertus Rust, pericula librans quæ nondum dominus Johannes Arundell evaserat, descendit in arenam, et, arripiens manum ejus, nitebatur secum trahere de statione periculosa; sed dum alienæ saluti nimis[4] caute consulit, et suam negligit, vitam perdit. Revera dum nititur dictum J[ohannem] secum trahere, mare undosum et inquietum, quippe quod tunc fluxit, in ulteriora fluctus dirigens, utrumque prostravit, et in regressu suo ambos ad maris profundiora traxit; et hic finis eorum.

Death of others of his company. Armiger specialissimus domini Johannis memorati, nomine [Nicolas][5] Musarde, vir inter magnos maximus et decentissimus, et inter omnes Anglicos audacissimus et fortissimus, qui et ipse saltaverat in arenam, et manibus quendam scopulum detinuerat, alluvione[6] maris, dum flueret, violenter avellitur ab ipsa petra, et longius in mari projicitur, et hac illacque, modo supinus, modo resupinus, defertur, donec mare, secundo fluxu eum ad scopulos illidendo, confregisset. Alter armiger, vocabulo Denyok, similem finem sortitus est. Nobilissimus miles dominus Thomas Banastre, dominus [Nic.][7] Trumping-

[1] *subito*] stetit, H.

[2] *illæsa*] illa, H.

[3] *eum*] ipsum, W.

[4] *nimis*] minus, W.

[5] *Nicolas*] Added in a later hand, H.

[6] *alluvione*] allivione, H.

[7] *Nic.*] Added in a later hand, H.

Wals. Hist. i. 425.

tone, et dominus Thomas de Dale vel Johannes de Dale, dum saltant de navi, dum quisque contendit alium currendo præcedere, quilibet exstitit[1] alterius impedimento; unde contigit, ut simili ascensu, sicut prius, mare, eos et plures alios rapiens, secum traheret in abyssum. Pauci qui evaserunt et insulam attigerunt, pannos non habentes, aut si fortassis habebant quidam, tamen aquis erant pleni, unde abundantioris frigoris causa fuere, cum domos non invenissent ibidem, frigore moriebantur. Ceteri modo currendo, modo luctando, quoquo pacto frigus deludere contendebant, degentes etiam ibidem in magna miseria a die Jovis usque ad nonam Dominicæ sequentis, qua hora, post mare sedatum, Hibernienses, ascensis naviculis, ad insulam navigarunt, et reductos ad terram exiliter refecerunt; fuerant enim pene inedia exanimati. A.D. 1379.

Perdidit in dicta procella dominus Johannes supradictus non solum vitam, sed omnem supellectilem suam, et omnem apparatum, qui merito ornatum regium superaret. Habuit nempe quinquaginta duos pro proprio corpore novos apparatus, vel aureos vel auro textos, ut ferunt; quos omnes mare absorbuit, cum equis et dextrariis, qui ad valorem decem millium marcarum taxabantur. Præterea, viginti quinque naves aliæ, quæ secutæ[2] sunt eum cum hominibus et equis, aliisque divitiis, sorte consimili perierunt. Corpus ejusdem domini Johannis, et cum eo eorum corpora qui similem experti sunt fortunam, ab his qui remanserant post triduum sunt inventa, et in quadam abbathia in Hibernia tumulata. Loss of Sir John Arundel's goods, with twenty-five vessels.

Dominus Thomas Percy et dominus Hugo Kalverlee, necnon dominus Willelmus Elmham, et nonnulli alii, spatiose dispersi, sed tamen pelagi profunda sulcantes, juxta meritum sinceræ vitæ et bonæ fidei evadere meruerunt; apud quos illud mirabile contigit. Cum dictus[3] Thomas Percy, post tantum fragorem et horrendam mortis diutinam exspectationem, magis aptus fuisset ad refocillandum membra inedia, vigiliis, laboribus, et tot ærumnis, debilitata[4] et fatigata, lecto vel molliori stramine, irruit repente super eum navis Hispanica, armatis onusta, qui putabant eum levi negotio post tot infortunia superandum. Sed quid tunc ageret miles invictus, non opus exstitit deliberatione, ubi nec locus nec tempus pro hujusmodi suppetebant; sed mox intra se censuit illud modicum vigoris et spiritus militaris quod remanserat, in hostes expendere, et sic saltem, si victoria negaretur, vitam honeste finire. Sed Sir T. Percy is attacked by a Spanish ship, which he takes;

[1] *exstitit*] existit, W.
[2] *secutæ*] secuti, H.
[3] *dictus*] dominus, W.
[4] *debilitata*] debilitate, H.

A.D. 1379. fortuna parti suæ, immo Deus, sibi suisque robur contulit et audaciam, et de inimicis victoriam gratiosam. Nec fuit conflictus iste momentaneus, vel cito pertransitus, sed per tres horas ante deditionem hostium continue perduravit. Igitur post mare sedatum, cum ipsa navi quam superatam ceperat, et captivis, rediit, reportando duplicem regioni lætitiam, de sua salute servata et de victoria prælibata. Qui mox ut incolarum colloquio frui potuit, navem quam ceperat pro cautione posuit, acceptis a patriotis centum libris argenti. Cum quibus illico audacter ingreditur mare iterum, et cursum versus castellum de Brest, cujus erat concapitaneus cum Hugone Kalverlee, dirigit, ne locus ille, diutius capitaneo destitutus,[1] ullum incurrat infortunium per manus hostiles; ad quem locum, Domino ducente, feliciter in brevi juxta vota pervenit. Wals. Hist. i. 426.

f. 167 b.

and reaches Brest in safety.

Sir H. Calverley and Sir W. Elmham escape without loss.

Ac non multum post hæc, dominus Hugo Kalverlee et dominus Willelmus Elmham, et quidam alii, diversa litora in Anglia et Hibernia attigerunt. Sed in his mirandum, quod cum ceteri vix vita salvata evadere potuerunt, dominus Thomas Percy et dominus Hugo Kalverlee nullum omnino ex suis hominibus, sed nec equos quidem aliquos, perdiderunt. Intueri libet in præfato negotio et evidentem[2] vindictam divinæ severitatis et manifestam misericordiam Dominicæ pietatis. Sed ne judicemur odio vel favore prosequi, quorum infortunia vel fortunas declaramus, istam materiam, conferendam[3] ad quemcumque sensum placuerit, lecturis derelinquimus; hoc pro certo adjicientes, quod, omni fuco mentiendi, circumloquendi, excitandi, vel commovendi, postposito,[4] solidam veritatem, ut ab eis qui his omnibus interfuere didicimus, quibus nos non decet discredere,[5] scripsimus universa.

Perditio hostium.

The Spanish and French fleets suffer severely from the storm.

Per idem tempus, Hispani et Gallici magnam vim navium ex universa Gallia, Hispania, Portingalia, et regionibus illis subjectis, congregaverant, ad impediendum nostrorum profectionem prædictam versus Britanniam, vel potius ad dimicandum contra nostrates, ut debilitatos, vel certe captos, desistere compellerent ab inceptis. Sed ne libertas eis accresceret[6] gaudendi super nostris infortuniis, manum Domini super eos similem senserunt; et non tantum[7] similem, sed multo, ut dicitur,

[1] *destitutus*] destituis, H.
[2] *evidentem*] evitem, H.
[3] *conferendam*] toto ferendam, H.
[4] *postposito*] postposita, H.; proposita, W.
[5] *discredere*] describere, W.
[6] *accresceret*] accesceret, H.
[7] *tantum*] tamen, W

Wals. Hist. i. 427.

graviorem. Nam et majorem numerum navium, et plures personas hominum, perdiderunt in procella superius memorata. A.D. 1379.

Mutatio capitanei de Calesia.

Hoc tempore rediit a Calesia dominus Willelmus de Monte Acuto, comes Sarisburiæ, qui annualem custodiam egerat illius villæ; cui subrogatur dominus Johannes Dewnros, miles ab antiquo exercitatus[1] in armis. A.D. 1380. Changes in the command of Calais;

Circa dies istos rediit de custodia villæ de Chereburgh nobilis miles dominus Johannes Harlestone; cui successit ad custodiam dictæ villæ dominus Willelmus de Wyndelshores. and Cherbourg.

Acta parliamenti subscripti.

Isto anno, post octavas Epiphaniæ coactum est parliamentum Londoniis, quod usque ad caput kalendarum Martiarum continue perduravit; in quo regni communitas petiit aliquem ex baronibus ordinari ad tutelam regiam, qui sciret forinsecis[2] prudenter dare responsa, et esset maturus moribus, potens opibus, tractabilis et discretus. Electus est ergo, communi sententia, dominus Thomas Beauchamp comes Warwici,[3] ut jugiter cum rege moram traheret, et de thesauro regio [quandam summam pecuniæ][4] pro stipendio vel labore, [ut decuit,][4] perciperet annuatim. Deputati vero fuerant ad idem negotium, anno præcedenti, certi episcopi, comites, et barones, cum justiciariis et multis aliis, qui ejus astarent consilio commodisque vacarent. Qui omnes per annum magnam pecuniæ summam de regis ærario exhauserunt, et nullum aut modicum fructum protulerunt; unde jam, ut diximus, communitas unum petiit, amotis ceteris,[5] qui omnia et singula satis expleret quæ omnes antea perfecerunt. In hoc etiam parliamento, dominus Ricardus Scrop cessit officio cancellariæ, et archiepiscopus Cantuariæ, magister Simon de Sudburye, contra gradum suæ dignitatis, ut plurimi conclamabant, illi officio militaturus accessit; sed si ipse illud procuraverit, aut sponte susceperit, novit Deus. Parliament. The earl of Warwick appointed governor of the king. The archbishop of Canterbury made chancellor.

Ad istud etiam parliamentum venerunt quidam a Romana curia; non directe missi a papa, sed a cardinali de Agapito, ferentes secum ejusdem cardinalis literas, in quibus idem car- Papal envoys arrive on behalf of Edmund Brounfeld.

[1] *exercitatus*] egeratatus, H.
[2] *forinsecis*] forinforis, H.
[3] *Warwici*] Warwicy, H.
[4] Supplied in a later hand, H.
[5] *ceteris*] aliis, W.

A.D. 1380. dinalis fatebatur dominum papam sibi mandasse, ut archi- Wals. Hist. i. 428.
episcopo Cantuariæ, capitulo Sancti Edmundi regis de Burye, et domini papæ collectori, scriberet, et mandaret universis et singulis, ut, visis ejus literis et intellectis, sine dilatione rescriberent singulas literas, certificantes eum de statu domini Edmundi de Brounfeld, cujus superius egi memoriam, si videlicet, acceptus in gratiam regiam, admissus fuisset ad pacificam possessionem abbathiæ de Burye.

Proceedings at Rome on his account.

Causa autem hujus missionis ista dicitur exstitisse. Postquam dictus Edmundus Brounfeld recessisset a curia, ut dominus papa audivit et vidit tot literas supplicatorias pro confirmatione electi de Burye, ac regi regnique magnatibus displicere provisionem suam quam fecerat, conferendo ei dictam abbathiam, mente turbatus est vehementer. Et revolvens in anima, quantum auxilium rex cum magnatibus contra suum adversarium, f. 168. antipapam, conferre valeret, si eorum frueretur amicitia, et quanto detrimento foret eidem, si adversarentur, statuit cameraliter, non quidem dictum Edmundum deponere, sed, quia clericus et ejus creatura fuerat, ad quendam episcopatum in Hibernia, tunc vacantem, transferre. Quod audiens supra-nominatus falsidicus, magister Johannes Shipdam, confestim in crastino, cum procuratores electi de Bury in consistorio affuissent coram papa, et petissent confirmationem electi prædicti, affuit et ipse, allegans hoc nequaquam debere fieri, maxime quia dictus Edmundus jam receptus esset in gratiam regiam, et suis temporabilibus investitus. Quod ut probaret ita esse, introduxit quendam monachum Cisterciensem, et quendam presbyterum, qui paulo ante de Anglia venerant; quos et conduxerat[1] ut jurarent coram papa, se pro certo scire dominum Edmundum admissum in regis gratiam; et non solum in gratiam, sed et accitum[2] ad ejus familiare concilium, et suis temporalibus investitum. Ac ut majorem fidem facerent in præmissis, juraverunt se oculis suis vidisse eum, ante eorum egressum de Anglia, Londoniis nobiliter incedentem, ut tantum abbatem decuit, stipatum magna caterva, præeuntibus eum bis senis armigeris in una secta. Quæ omnia procuratores electi constanter refellebant, asserentes hæc nullatenus ita esse. Quapropter dominus papa distulit in causa procedere, donec alia certiora nova de ista materia percepisset. Et hæc, ut dixi, fuit causa quare dictus cardinalis præfatis dicto modo scripsit.

The archbishop of

Archiepiscopus ergo Cantuariæ[3] imprimis maturavit domino

---

[1] *conduxerat*] conduxit, W.
[2] *accitum*] ad accitum, H.
[3] *Cantuariæ*] Katerinæ, H.

Wals. Hist. i. 429.

papæ scribere; et eundem certificare super his quibus fuerat oneratus. Qui post præmissa verba subjectionis et reverentiæ debitæ, innuit se, ob apostolicam reverentiam, institisse penes regem et proceres pro Edmundi prædicti deliberatione, et ut Edmundum ecclesiam, papali sibi provisione collatam, pacifice ingredi paterentur. Sed post pauca in progressu asseverat pro firmo, se ex responso regali ac regni procerum intellexisse, nunquam eos passuros ingressum Edmundi in abbathiam de Burgo, sed nec egressum ejus a carcere, timore vel interventu alicujus personæ, nisi solummodo contingat eos flecti per ipsius domini papæ preces sollicitas et instantes. Explicat præterea, et[1] jus regium [et] regni consuetudines talibus ab initio provisoribus contravenisse; et inter cetera deprecatur ut, temporis præsentis considerata malitia, condescendat voluntati regiæ, intuitu undecumque periculorum emergentium, electum de Bury, juxta regis et magnatum regni desiderium, confirmando. Hortatur præterea humilitate qua condecet,[2] ut nullius credat literis, nullius fidem det sermonibus, qui aliter scripto [vel] verbo suæ significabunt reverentiæ, quam ipse propriis literis commendavit. Hæc[3] tempore prædicti parliamenti acta fuere.

A.D. 1380. Canterbury writes to the pope, explaining the course taken in the matter.

In eodem parliamento concessum est ab ecclesia una decima, et a laicis una quintadecima, ad opus regis, adjecta conditione quod ab illo tempore, scilicet a kalendis Martii usque ad festum Sancti Michaelis, anno revoluto, aliud non fieret parliamentum. Sed conditio ista non servabatur, ut in sequentibus demonstrabimus.

An aid granted.

Comes Sancti Pauli ducit uxorem sororem regis.

Nuptiæ factæ sunt eodem tempore,[4] in octavis Paschæ, apud Wyndeleshores, tubicinum et histrionum magna frequentia, paucorum[5] gaudio, inanis[6] commodo, sed livori et odio plurimorum. Siquidem dominus Walerannus, comes Sancti Pauli, externus et alienigena, adamatus dominæ Johannæ Curtenay, sorori regis, in tantum ut nullius Anglici, respectu illius, dignaretur amplexum, duxit, ut prædictum est, eam supramemoratis loco et tempore in uxorem desponsatam. Et quia contra consilium matris suæ, quondam principissæ, tunc vero matris regis, et omnium amicorum, eadem Johanna

Marriage of the count of Saint Pol with the king's half-sister.

[1] *et*] eum, W.
[2] *condecet*] condetat, H.
[3] *Hæc*] Hoc, H.
[4] *tempore*] anno, W.
[5] *paucorum*] Francorum, W.
[6] *inanis*] nullius, W.

A.D. 1380. ista præsumpsit, ipsorum destituta subsidiis, merito et indignationem incurrit, et de gente sua opprobrium non leviter transiturum. Rex tamen, quia soror ejus erat, consilio eorum qui astabant ei, contulit eis villam suam et manerium de Byflet; ut videlicet et illam honoraret, et comitis animum suæ fidelitati magis et obsequiis inclinaret. Wals. Hist. i. 430.

De causa habita inter episcopum Northwycensem et abbatem Sancti Albani, pro priore de Wymundham.

The bishop of Norwich appoints the prior of Wymundham to collect the tenth in his diocese.

Circa dies istos, Henricus Le Spencer, episcopus Norwicensis, vir nec literis nec discretione præditus, juvenis effrenis et insolens, amicitias nec servare doctus nec locare, levavit contra amicum suum calcaneum suum, priorem videlicet de Wymundham, dominum Nicholaum de Radclef, sacræ paginæ professorem; et cui gratiam debebat pro meritis, inquietudinem machinatus est. Siquidem cum, prout moris est, mandatum accepisset a rege ad colligendum, in sua diœcesi, decimas concessas regis usibus in parliamento ultimo, Londoniis, ut prædicitur, celebrato, vel deputandum ad idem opus ex suis subditis collectorem; non sibi subditum, non voto professionis obnoxium, cum hujusmodi mandato onerare voluit, sed externum, et a sua obedientia omnimodis alienum, virum videlicet exemptum, et nulli, citra Romanam curiam, subditum, præterquam abbati Sancti Albani, ut patet per
f. 168 b. privilegia ipsius loci, infestare decrevit, dominum, scilicet, Nicholaum prædictum, de ejus amicitia satis præsumentem, ob merita et beneficia præeminentia quibus sperabat sibi eundem episcopum amicum maximum præparasse. Huic ergo mandat, ut diximus, collectoris officium, ut vel sic quicquam in eo jurisdictionis habere videretur, si mandatum susciperet; vel, si tantum laborem declinare decerneret, saltem donum aliquod prægrande ab eodem,[1] vel pecuniam,

[1] *eodem*] exequi, H.

taliter extorqueret. Credebat quippe unum ex his duobus proculdubio eventurum. A.D. 1380.

Prior autem, modeste declinare cupiens[1] utrumque inconveniens, cum reverentia qua decebat, et mandatum remisit eidem, et ipsum collectoris officium non debere suscipere, præsertim cum per privilegia monasterii Sancti Albani quo modo a sua subjectione alienus exsisteret, intimavit. Ad hæc iracundiæ felle commotus antistes instabilis, et velut alter Herodes insaniens, ad juramenta se contulit, affirmans se nec regalis majestatis intuitu, nec ullius interventu, mandatum flectendum a dicto priore de Wymundham, quin[2] vel collector remaneret, vel regi responderet de summa in illa provincia colligenda. Sed Qui cunctis legem mandavit, dicens, "Non jurabis, ne forte perjures," pontificale juramentum stare non permisit; sed perjurum, ut expost claruit, et esse pertulit, et incomposito desiderio, non sine magna amaritudine mentis, dimovit. Revera prior, cernens præsulis animum erectum taliter ad ejus inquietationem, prudenter declinavit a patria, et ad monasterium Sancti Albani perrexit, malens cedere prioratui quam se ipsum et locum suum contra fas tanta sollicitudine irretire. Episcopus vero nihilominus incepta prosequi, et justiciarios et apprenticios regni legisque doctores allicere, conducere, et in partem suam trahere, promissionibus et muneribus laboravit. The prior claims exemption by the privileges of St. Alban's.

Prior ergo cum ad Sanctum Albanum pervenisset, et tantos motus abbati plenius intimasset, mox dominus abbas, ut cunctis luceret episcopum nullam jurisdictionem habere in ipsum priorem, vel in fratres apud cellam suam de Wymundham commorantes, priorem cessare jussit ab officio prioratus, et eundem archidiaconum monasterii esse præcepit. Sed nec sic pontifex et ejus conductitii a prædicti negotii prosecutione cessaverunt; sed constanter asseverabant eundem The abbat of St. Alban's removes the prior.

[1] *cupiens*] cupiendi, H. | [2] *quin*] qui, H.

A.D. 1380. priorem electivum esse, et ideo deponi nec posse nec debere. E contra, advocati pro parte abbatis allegabant abbatem plenam habere potestatem in ponendis et remòvendis cellarum suarum prioribus, et non solum abbatem, sed priorem monasterii, abbathia vacante, cum consilio conventus, eandem potestatem habere dicebant; et ideo talis conditionis priores astringi ad tam grande officium non posse nec debere probabant. Sed nec ista agebant ad quietem, tanta erat partis adversæ fulvo metallo cæcata multitudo, tam graviter accensa indignatio, ut nulla ratio, nulla allegatio, nulla probatio, adversos ducere posset ad orbitam veritatis; quin potius, magis ac magis nocere cupientes, secreto quoddam breve, sub obtentu juris regalis, fusa pecunia, emercarentur ad distringendum bona prioratus pro regis subsidio, defectu prioris minime relevato. Interea, prosecutores negotiorum abbatis, hæc cognoscentes, et ipsi in contrarium breve regium consequuntur ad vicecomitem, ut supersedeat, et quiescat ab exsecutione prioris scripti sibi directi, usque ad certum tempus.

Dolet igitur episcopus, et pontificales advocati turbantur in istis, et totis animis eriguntur ad infirmandum breve prædictum. Pergunt iccirco latenter, ut dolo deciperent quos ratione manifeste nequibant, et occulte aliud breve, quod Distringas dicitur, priori simile, petunt et accipiunt; nocituri proculdubio immaniter,[1] si non magis nostrates fuissent in nostris negotiis vigilantes. Sed, quod "vigilantibus, et non dormientibus, "jura subveniunt," in præsenti negotio experti sumus. Enimvero,[2] cum pro instanti negotio et domi orationes fierent, et Londoniis sollicitudo magna procuratorum nostrorum, adepti sunt diligenti vigilantia, contra communem modum regalis curiæ, et aliud breve regium,

The case finally decided in favour of the abbat.

[1] *immaniter*] inaniter, H.

[2] *Enimvero*] Cum vero, H.

quod merito tantæ commotionis turbinibus finem daret, A.D. 1380.
in hæc verba:—

"Rex thesaurario et baronibus suis de scaccario, salutem. "Licet in certificatorio venerabilis patris Henrici, episcopi "Norwycensis, ad scaccarium misso, inter alia contineatur "quod idem episcopus loco sui priorem de Wymundham, "ad subsidium nobis per clerum nostrum regni Angliæ "ultimo concessum, in archidiaconatu Norwycensi et North-"folchensi, in episcopatu prædicto, ad opus nostrum levandum, "assignavit; quibusdam tamen certis de causis, coram con-"cilio nostro motis et propositis, de avisiamento ejusdem "concilii vobis mandamus, quod prædictum priorem, prætextu "certificationis prædictæ seu levationis subsidii prædicti, non "molestetis in aliquo, seu gravetis, sed cuicumque processui "coram vobis in dicto scaccario, contra dictum priorem ex "causa prædicta facto seu faciendo, supersedeatis omnino. "Mandavimus enim præfato episcopo, quod de levatione sub-"sidii prædicti hac vice disponat, ita quod nobis inde citra "terminos in mandato nostro limitatos respondeatur, ut est "justum."

De duello facto inter dominum Johannem de Anneslee et Thomam Kateringtone.

Wals. Hist. i. 430.

Res nova per hoc tempus in Anglia visa est, quæ, quo magis insolita, tanto plures ad spectaculum traxit, propterea quippe quia[1] natura humana gaudet non solum variis sed insuetis. Miles quidam, nomine Johannes de Anneslee, in parliamento quod Bonum merito appellatur, Thomæ Katringtone armigero, quondam custodi castelli de Sancto Salvatore, quod recolendæ memoriæ dominus Johannes Schaundos construxerat in Galliis, intra insulam de Constantyne, imposuerat notam proditionis, eo quod dictum castellum, ut asseruit, vendiderat Gallicis pro inæstimabili summa pecuniæ, cum nec defensio sibi nec victualia defuissent. In qua causa cum eodem armigero armorum lege obtulit se pugnaturum. Ad eum namque, ratione uxoris suæ, cui debebatur hereditas, tamquam proximæ de affinitate dicti Johannis Chaundos, dominium illius castri spectasset, si non proditiose alienatum fuisset commentis dicti Thomæ. f. 169. Sir John de Annesley having charged Thomas Katrington with treason, and challenged him;

Prædictus autem Thomas pro hac causa captus et incarceratus fuit pro tunc; sed cito post, quando duci licuit quicquid the duel is postponed by undue influence;

[1] *quippe quia*] quod, W.

A.D. 1380. libuit, dum rex pater ejus in extremis agebat, deliberatus est, interventu, ut dicitur, domini de Latemere, cui idem armiger in pace et in bello, in justis et injustis, in veris et falsis, perante militaverat. Nec potuit Johannes Anneslee sui clamoris effectum per totum tempus sequens consequi usque modo, quibusdam asserentibus contra jura regni fore aliquem de ipso regno pro ulla causa tali lege in regno pugnare. Obstabant[1] quam maxime, qui simili nota percelli[2] timebant; sed tandem coactis juridicis et senioribus militibus regionis, definitum est pro causa extrinseca, sicuti pro præsenti causa, quæ non intra regni limites orta est, et pro possessione rerum transmarinarum, bene licere quemquam duello confligere, si constabulario et marescallo regni perante causa fuisset notificata, et in eorum præsentia duellum a partibus acceptatum. Wals. Hist. i. 431.

but is at length arranged.

Account of the duel at Westminster.

Statuitur ergo dies belli, [et interim præparantur duello][3] necessaria in curia apud Westmonasterium, limites videlicet, quas listas vocant, de lignis fortissime fabrefactæ,[4] tamquam perpetuo duraturæ. Adveniente die præfixo, conveniunt de cunctis regni partibus ad insueti belli spectaculum, in tanta quidem copia, ut numerus Londonias confluentium multitudinem eorum, qui ad regis coronationem paucis annis ante concurrerant, excessive, multorum testimonio, superaret. Ipso vero die, summo mane, rege cum proceribus et regni communitate locum ingressis, prout moris est, miles intrat armatus, insidens dextrarium decentissime phaleratum. Nam appellator debet ingredi primo locum, defensoris præstolaturus adventum. Deinde, post aliquam horam, vocatus est armiger ad defendendum causam suam, tali forma: "Thoma de Katringtone, defen-
" sor, compareas defensurus causam tuam, pro qua dominus
" J[ohannes] de Anneslee, miles et appellator, te publice et
" in scriptis appellavit." Hoc autem tertio[5] voce præconis bellici factum fuit. Tertia vocatione completa, adest armiger et ipse armatus, equitans dextrarium, stratum regaliter stramentis præferentibus arma dicti Thomæ. Qui mox, ut ad listas pervenit, descendit de equo, ne juxta consuetudines prœlii constabularius vendicaret eum, si limites fuisset ingressus. Sed nihil sibi valuit astutia sua; nam equus, juxta listas discurrens, aliquotiens totum caput et pectus injecit ultra limites. Ob quam causam constabularius, dominus Thomas de Wodestoke, equum vendicavit, jurans se velle caput ejus habere,

The claim of the constable to the

[1] *Obstabant*] Constabant, H.
[2] *percelli*] per celum, H. Om. H.
[3] Om. H.
[4] *fabrefactæ*] fabrifactis, H.
[5] *tertio*] teras, H.

Wals. Hist. i. 432.

videlicet quantum inter listas de equo visum fuit; unde adjudicatus est ei equus. Sed hæc expost; jam ad formam duelli revertamur. A.D. 1380. defendant's horse allowed.

Armigero itaque limites pedes ingresso, per marescallum et constabularium allata est indentura quondam coram ipsis confecta, consensu et voluntate partium, in qua continebantur articuli depositi contra eum per militem adversarium; et in omni audientia legebantur. Armiger autem, quem conscientia stimulabat, nitebatur exceptiones facere, ut quoquo pacto sua causa purior effici valuisset. Dux vero Lancastriæ, cum vidisset[1] eum tardare, et audisset eum exceptiones jam velle facere, publice juravit, nisi juxta conditiones duelli et leges armorum vellet admittere cuncta in indentura conscripta, quæ non sine ejus assensu confecta fuerat, quod mox tamquam proditionis reus ad suspendium traheretur. Quo facto, dux multorum sibi conciliavit gratiam, et partem infamiæ suæ antiquæ detersit. At armiger, ut ista persensit, fatebatur se audere pugnare cum milite, non tantum in his casibus sed in omni casu mundi. Fidebat utique plus in robore fortitudinis suæ et favore amicorum, quam in causa quam susceperat defendendam. Erat enim magnus statura, cum miles inter mediocres minimus videretur; et habebat amicos potentissimos, dominum de Latemere, dominum de Basset, et plures alios, quorum nomina supprimimus ad cautelam; quorum interventu fulciri sperabat, si forte quicquam adversi passurus esset. Hujuscemodi occasionibus animatus, ingreditur locum pugnæ, et præmisso ab adversario suo milite juramento, prout moris est, et ipse idem juravit audacter, videlicet, quod causa, in qua pugnaturus erat, vera fuit, et quod non erat conscius ullius[2] artis magicæ, per quam de adversario posset reportare victoriam; nec gestabat super se herbam, aut lapidem, nec experimenti genus, quibus solent malefici de hostibus triumphare. Katrington's exceptions to the articles of accusation are overruled by the duke of Lancaster. Oath of the combatants. f. 169 b.

Quibus patratis,[3] et ab utroque devote oratione fusa, pugnam ineunt; primo lanceis, deinde gladiis, postremo cultellis rem agentes. Pugnatum est ergo diutius, donec miles omnia instrumenta bellica armigero subripuisset. Tandem armiger a milite virtuose prosternitur, et miles se præparat ad irruendum in eum; sed tamen, sudore decurrente per cassidem aliqualiter visu hebetatus, dum credit semet ipsum projicere super eum, a latere corruit, armigero non appropinquans. Quod persentiens armiger, quamquam jam pene exanimis factus esset a[4] labore, se convertit ad militem, et, injecta manu super eum, semet ipsum The combat.

[1] *vidisset*] venisset, H.
[2] *ullius*] vanis, H.
[3] *patratis*] paratis, W.
[4] *a*] præ, W.

A.D. 1380. erigens super corpus militis, totum jecit; quo viso, diversi diversa loquebantur. Quidam asserebant jam militem inferiorem exsistere, et ideo quantocius devincendum. Alii vero dicebant militem in proximo surrecturum, et victoriam de armigero habiturum. Interea rex pacem clamari præcepit, et militem de terra levari. Quid multa? Mittuntur qui armigerum erigunt; sed cum pervenissent ad militem, rogavit cum instantia ut dominus rex permittat eum modo prætacto jacere, asserens sibi bene esse, et victoriam reportaturum, si armiger reponatur modo quo prius jacuit super eum. Tandem cum miles non posset sua vota consequi in hac parte, permisit se levari de terra. Qui mox postquam levatus est, sine fulcimento cujusquam perrexit ad regem alacriter; cum armiger, postquam levatus fuisset, sine sustentamento duorum hominum, nec stare, nec quoquam progredi, potuisset, et iccirco depositus in cathedra se dedit quieti. Miles igitur, cum ante regem venisset, rogavit eum et proceres, ut sibi illam concederent gratiam, ut iterum in loco quo prius posset reponi, et armiger super eum; persenserat enim armigerum jam pene ultimum flatum emissurum, præ nimietate laboris et caloris, et armorum suorum ponderositate, quæ sibi vitales fere spiritus subripuerant. Wals. Hist. i. 433.

Rex vero et proceres, cum vidissent militem tam animose, tam vivide, bellum repetere, et insuper magnam summam auri offerre publice ut id posset effici, decreverunt eum iterum reponendum, et armigerum super eum, modo universaliter servato, quo jacuerant ante prostrati. Sed interim armiger, deficiente spiritu, repente de cathedra corruit quasi mortuus inter astantium sibi manus. Accurrunt ergo multi, hominem vino perfundunt et aqua; sed nihil omnino proficiunt, donec, detractis armis et omnibus indumentis, ad corpus usque nudatus fuisset. Quod factum et militem victorem probavit et armigerum esse victum. Post diutinam autem moram, paululum revixit spiritus armigeri, et apertis oculis cœpit caput erigere, et terribiliter unumquemque respicere circumstantem; quod et[1] nunciatum est militi. Accessit armatus, quippe qui nihil deposuerat armaturæ a pugnæ principio, et alloquens eum, et proditorem et falsum appellans, quærit si iterum audeat duellum repetere. Illo vero nec sensum nec spiritum habente respondendi, clamatum est pugnam finitam, et ut quisque ad propria remearet. Armiger igitur, mox ut ad lectum delatus est, cœpit furere, et, in insania mentis perseverans, in crastinum, circa horam nonam, spiritum exhalavit. Actum est bellum

Katrington, unable to proceed with the duel from exhaustion,

is declared vanquished.

He dies on the morrow.

[1] *et*] ut, W.

præfatum septimo idus Junii, communis vulgi gaudio, proditorum dolori. A.D. 1380.

De casu campanæ miraculum.

Si mundi nobilitates, et varios fluxus temporis, ac caducarum diversos rerum eventus, et hæc quidem laudabiliter nostris posteris scribendo relinquimus; quanto magis laudabiliter contradere nos oportet nostris successoribus ea, quæ circa nos, divina gratia, virtus Altissimi, Dei dextera operatur! Equidem sicut scribenda, ita appetenda est rerum transitarum notitia, præcipue tamen earum quæ vocantur et sunt miracula, pro alicujus sancti gloria, ab omnium Conditore nobis exhibita et monstrata. Unde non immerito præmissis primo Creatori et Ejus sancto martyri, beato videlicet Albano, Anglorum protomartyri, debitis gratiarum actionibus, miraculum, quod facit Dominus et ostendit nobis hoc anno, dignum scribere æstimamus.

Fall of a great bell at St. Alban's abbey.

Aderat itaque quartus dies ante festum passionis dicti gloriosi martyris, in quo, pro consuetudine exercitiorum operum spiritualium, habebatur in conventu, pro recommendatione quondam invictissimi regis Angliæ Edwardi de Wyndeleshores, officium mortuorum; cum, prout moris est in talibus principalibus anniversariis, omnia magna signa pulsabantur. Et inter pulsandum, repente campana, quæ maxima est præter unam, quæ et vocabatur Albanus, avulsa loco suo, cecidit, et aream turris confregit et duas trabes super quas eadem campana resedit. Erat tunc cernere perhorrendum spectaculum, campanam requiescere super trabes confractas, quæ semet ipsas ferre non poterant alleviatæ a campanæ sarcina, velut illo immenso pondere fortiores effici, et sic per diem integrum illud onus, non sine cunctorum admiratione, supportare.[1] f. 170.

[1] This sentence is imperfect, the scribe having apparently omitted some words.

A.D. 1380. Sed mox ut per ingenia carpentariorum campana fuerat elevata, eædem trabes, quæ prius campanam supportaverant, se ipsas alleviatæ portare nequibant, quin illico in partes confractæ corruissent ad terram, nisi, funibus et restibus constrictæ et alligatæ, per artes artificum ad superius tectum nexæ fuissent. Grande prorsus miraculum et stupendum, et martyris merito ascribendum; qui contritas trabes supportare fecit onus tam immensum, ne læderet suos, qui subsederunt in choro, monachos famulantes sibi.

De profectione Anglicani exercitus in Britanniam.

An expedition sails from England to aid the duke of Brittany.

Circa dies istos rex Angliæ et ejus concilium, validum conflantes exercitum, miserunt in succursum ducis Britanniæ, qui pene ab omni spe exciderat resistendi Gallicis, postquam audisset videlicet dominum Johannem de Arundel et ejus exercitum in mari, ut prædiximus, expertos tam dira fata. Præfecti sunt autem huic exercitui dominus Thomas de Wodestoke comes Bukynghamiæ, regis avunculus, dominus Thomas Percy, frater domini Henrici Percy comitis Northumbrorum, dominus Hugo Kalverlee, dominus Robertus Knolles, dominus de Basset, dominus Johannes de Harlestone, dominus Willelmus Wyndeleshores, omnes profecto viri, quibus singulis merito exercitus quisque committi posset, præ sapientia, fortitudine, et arte bellandi. Hi, quoniam tutum non erat directo cursu ab Anglia in Britanniam navigare, propter galeyas observantes maris semitas, et propter paucitatem navium, quæ non plures simul ex eis transvehere poterant, elegerunt a Doveria et Sandewyco ad Calesiam copias transferre, et ita per omnem Franciam equitare, donec Britanniam pervenirent; ne per longinquum mare sparsim trajecti, dispendia numeri suorum hominum piratarum paterentur incursu. Wals. Hist. i. 434.

The troops land at Calais.

Good service of John Philipot.

Johannes Philippot, civis Londoniarum, in ista profectione laudem promeruit et honorem, qui et eis naves proprio labore conduxit, et gravatos ære alieno, propter longam juxta mare moram, ut assolet, pro exspectatione navium aut ductorum, absolvit a debitis, creditoribus satisfaciens, et cautiones suis dominis restituens, qui loricas, laminas, cassides, galeas, arcus, lanceas, et alia armaturæ genera, pro victualibus vadiaverant; quibus necesse fuerat vel non transire, pro defectu, ut prædicitur, armaturæ, præfato modo expositæ, vel certe inermes omnino proficisci. Accepi utique ab ore ejusdem Johannis

Wals. Hist. i. 435. Philippott, quod mille loricas vel tunicas, quas vulgo *jakkes* vocant, redemerit de manibus creditorum. A.D. 1380.

Profecti autem nostrates omnem Galliam circumequitando gyraverunt, patriam deprædantes in vastitate hostili, villas et prædia succendentes, et populum sine respectu misericordiæ in ore gladii perimentes, donec ad confinia Britanniæ pervenissent, nemine eorum ausus impedire præsumente de tam famoso regno. Tantus utique terror ipsos Francos invasit, ut in amplissimo regno, in quo mille semper viri singulis ex Anglicano exercitu opponi potuerant, citius eligerent, more feminarum, latebras se occultando quærere, quam glomeratim Anglicanis manipulis obviare. Tua sunt hæc, Christe, opera, Tua miracula, Jesu bone, cui potestas est dimicare, seu vincere, in paucis æque ut in multis; qui Tibi famulantibus inter confertissimos hostes tutum iter præbes, et vindictam retribuis in hostes nostros. Tu enim fecisti, ut essent immobiles quasi lapis, donec pertransiret populus Tuus, Domine, exercitus Anglicanus, qui non in superbia et in abusione regnum Franciæ subjugare laborant, sed in justitia et æquitate, et innocentia regis sui, justi heredis Francorum regni, confisi. The English army traverses the north of France without hindrance.

De quadam navi Scotorum capta, et rixa multiplici pro eadem.

Per istud tempus viri de villa de Hulle et de Novo Castro super Tynam, communibus votis egressi, ad piratarum qui tum abundabant malitiam retundendam, fortuito cuidam navi de Scotia obviantes, cognito quod hostes essent in ea, navem invadunt hostiliter, et, occisis vel captis qui in eam concesserant, ratem pertrahunt ad partes suas, cum bonis ad valorem septem millium marcarum æstimatis. Nec mora; hujus eventu rei cognito, comes Northumbrorum, Henricus Percy, conscius[1] advolat, et, partem vel totum dictæ prædæ obtinere cupiens, regis nomine præcipit, ne distractionem rerum ipsius navis facere præsumant sine ejus conniventia quovismodo. At boreales, mox spiritum habentes in naribus, prout moris est illius gentis, satis incomposite, ore distorto, naribus præ furore vento repletis, turgide responderunt, cum summa indignatione latrantes, se mortis periculis obtulisse pro regis et regni commodis, et per magna dispendia hostium bona ab ipsorum manibus extorsisse; nec debere eos, qui tantum laboraverant, ipsius arbitrio partes capere, sed potius ipsorum esset in divisione[2] The men of Hull and Newcastle capture a Scotch vessel; over which the earl of Northumberland claims jurisdiction. f. 170 b.

[1] *conscius*] citius, W. | [2] *in divisione*] indivisine, H.

A.D. 1380. discretio, quorum fuerat in adeptione periculum. Et iccirco, quantocius jubent illum recedere, ne cogantur in illum arma vertere pro rebus propriis; pro quibus iterum jam se fatebantur citius dare discrimen[1] magis æquanimiter, quam sufferre in earum divisione ejus arbitrium, qui in earum adeptione minime laboravit. Comes, hæc audiens, quamquam sitiens avide bona præfata,[2] meticulose[3] discessit, imaginaturus contra eos malum, quos scivit sibi nihil in hac parte velle deferre. Acquisivit ergo brevia ad capiendum eos, tamquam sibi, et per consequens regi, rebelles, quippe qui vices regis ibidem gerebat. Sed interim, nec ipse, nec viri de Novo Castro, qui maxime sibi restiterant, gavisi sunt de præda; quin potius desiderio suo fraudati, et ridiculose delusi, abalienati sunt retrorsum, bonis prædictis ab eisdem abductis cautelose, et ad alias partes transvectis. Wals. Hist. i. 436.

He obtains writs to enforce his claim.

The prize is seized and carried away to Hull.

Occasio hujus facti fuit:—Quidam de villa de Hulle, qui, ut præmittitur, in dicta profectione socius laboris fuerat, et postquam comes præfatus, ut diximus, rerum divisionem petierat, nec obtinuerat, petiit a sociis sibi dari partes suas pro quibus laboraverat. Timuit revera, si mora longior intercederet, quod nec ipse nec socii gavisuri essent de bonis præfatis. Socii vero sui de Novo Castro et de convicinis locis responderunt, bona prætacta nondum partiri debere, præsertim cum nescirent quid comes Northumbriæ contra eos imaginaturus esset. Altercantibus autem illis pro hac causa, et exorta rixa cum verbis, postremo negantibus viro de Hulle quicquam de præda, recessit ad sua, et post paucos dies cum armata manu ex improviso adveniens, solvit navem cum bonis omnibus; et nullo audente resistere, revertitur ad villam de Hulle, infidis sociis spoliatis, et comite supradicto a suo desiderio, cum sannis et cachinnis, excluso.

Captio Gallorum et Hispanorum per Anglicos in Hibernia.

Capture of French and Spanish at Kinsale.

In festo Sanctæ Margaretæ Virginis, Franci et Hispani, qui maritima loca Angliæ multipliciter infestaverant, et naves plures rapuerant, dum consueta suæ nequitiæ opera continuare contendunt, per viros de occidentalibus partibus Angliæ, subito super eos irruentes, coacti sunt quendam portum capere in Hibernia, vocatum Kynsale ab incolis; ubi, virtute et animo-

[1] *discrimen*] discrimini, H.
[2] *præfata*] pererrata, H.
[3] *meticulose*] iratus valde, R. W.

Wals. Hist. i 437.

sitate Anglicorum et Hibernicorum, capti sunt ductores[1] eorum, videlicet Johannes de Verse, admiralius et capitaneus Franciæ, Johannes Perys de Verrys, Johannes frater ejusdem, Gounsalve Martynys de Mortrigo, Trigo dominus de Morauntz, dominus de Reych, Perys Martynys de Vermewe, Johannes Mendyte de Vermewe, Ceynych de Veyllyle, Ceynych[2] de Vergaro, Johannes Ceynych[2] de Scint Andro, Cornelius de Sancto Sebastiano, Paskalus de Biskey, Johannes Martynys Copogorge de Sancto Sebastiano, et plures alii nominati, pluribus interfectis, quorum numerus se extendit ad quadringentos viros. Recepta sunt autem ibi vasa quæ ipsi nostratibus abstulerunt, viginti et unum, magna et minora, una cum quibusdam vasis eorum, scilicet quatuor bargiis et uno balingario. Evaserunt nostrorum manus ex Hispanicis quatuor, nominati Martinus Grauntz, Johannes Perys Montago, Johannes Huch de Gytarye, et Gressye de Sancto Sebastiano. A.D. 1380.

Scoti inferunt magna dampna Northumbrensibus.

Hac æstate Scoti, navem, de qua locuti sumus, captam esse dolentes, Northumbrensibus vices rependere studuerunt, et similia pro similibus machinari. Ingressi namque cum populosa multitudine gentis rabidæ fines nostros, gentes Westmarorum et Cumbrorum invaserunt, spoliarunt, et occiderunt, et, ultra progressi, de foresta de Yngelwode diversi generis animalia in Scotiam fugaverunt, ad numerum, ut dicitur, quadraginta millium, ubique furentes, ubique cædentes, et quæque poterant flammis contradentes. Nec his contenti, nocte iter ingressi, furtive et repente super villam de Penreth irruunt, ubi tunc nundinæ celebrabantur multorum populorum frequentia; in quo loco et occisis quamplurimis, multisque captis, cunctisque fugatis reliquis, congregatas asportant divitias, quæ nimirum cujuslibet cupidissimi exercitus aviditatem explere potuerunt. Deinde per urbem redeuntes Carleolensem, eam invadere decreverunt; sed tamen fama territi, quod nocte præcedente pene innumerabiles de appendicibus comitatibus ad ejus defensionem occulte confluxissent, statuerunt quidem iter[3] agendo circa civitatem prædas agere,[4] ne forte aliquo dolo circumventi, si ibi morari contingeret, partas manubias apud Penreth et in patria dimittere cogerentur. Quod et

The Scots lay waste the northern counties.

They plunder Penrith.

[1] *ductores*] duces, W.
[2] *Ceynych*] Seniscallus, W.
[3] *iter*] inter, H.
[4] *iter . . agere*] iter agendæ circa civitatem prædæ, W.

A.D. 1380. factum est; sed tamen transeundo, per quosdam sagittarios Westmarorum et Cumbrorum nonnullos ex suis amiserunt. Wals. Hist. i. 438.

They retreat into Scotland. Unde contigit, ut cum metu prætereundo recederent festinanter, agentes tamen coram eis prædas captas et in Scotiam traducentes.

Comes Northumbriæ reddere dampna Scotis prohibetur.

f. 171. The earl of Northumberland forbidden by the king to retaliate. Comes Northumbrorum pulsatus eorum injuriis, quippe cui amplius dampni quam mille marcatus intulerant, dum ad arcendum eos, vel pro dampnis dampna parat reddere, per scriptum repente regium eis quicquam facere prohibetur. Unde cum festinatione veniens ad concilium regale Londonias, quærit quidnam hoc esse potest, quod inhibitus sit per regis scriptum regis et regni resistere tam immanibus inimicis. Qui, blando mox accepto responso, et diem marchiæ, quem annis singulis Angli insimul tenent et Scoti, exspectare jussus, recessit, nihil acturus usque ad diem præfinitum.

Gallici capiunt villam de Wynchelsee; et quid comes Arundeliæ fecerit.

The French harass the coasts of England. Hac ipsa æstate galeæ jugi pervagatione per diversa litora plura dampna patriæ irrogarunt. Nam vispelliones qui in eis erant, ubi custodiam deesse conspexerunt, egressi prædas agebant impune multotiens, et quandoque etiam villas injectis flammis combusserunt; sed more mergorum, ubi aliquem armatum advenire videbant, ad aquas præcipitanter cucurrerunt.[1] Quos tamen aliquando fortuna nostris obtulit; unde contigit ut quandoque octoginta, quandoque centum, simul intercepti, antequam ad mare pervenire possent, sagittis perforati, remorari coacti sunt. Inter quæ dedecorosa dampna quæ patriæ intulerunt, villam de Wynchelsee ceperunt, et abbatem de Bello, succursum eidem villæ præbere conantem, ad fugam cum suis omnibus compulerunt, capto quodam ex suis monachis, qui illuc cum ceteris armaturis[2] convenerat.

They take Winchelsea.

Inaction of the earl of Arundel. Comes de Arundelia Ricardus, quem paternæ divitiæ et avita hereditas sublimem effecerant, nihil horum minuere quovis pacto decernens, postposita pompa rei militaris et nominis, ne dampna inferret claustris inexorabilibus, cum in partes suas prædicti nebulones ascenderent, cum notabili familia, [sane incompe-

[1] *cucurrerunt*] corruerunt, W. | [2] *armaturis*] armatus, W.

Wals. Hist. i. 439.

tenti tali personæ, cum][1] una lancea, ut usu vulgari loquar, egressus est, non ad terrendum hostes, sed eisdem præstandum animum ad vilipendendum comitatus dignitatem et nobilitatem militiæ Anglicanæ; dum cernerent vel audirent quempiam e nobilioribus, ditioribus, et potioribus regionis, cum tantilla familia egressum, non in occursum prædonum, et ut patriæ spem resistendi pareret, sed potius, ut vulgo ferunt, metum incuteret minoribus ipso [sed melioribus];[2] qui proculdubio eos satis viriliter arcuissent, si ipse timide non interposuisset partes[3] suas. A.D. 1380.

Dominus Thomas de Heltone revertitur a captivitate.

Sir Thomas Helton liberated.

Per idem tempus, dominus Thomas de Heltone, pacta redemptione, a carcere liberatur [in Aquitannia];[2] qui domum rediens obviavit Anglicano exercitui, quem supra diximus in Franciam destinatum pro succursu ducis Britannorum; quem omnes domini cum summa jocunditate susceperunt, et per dies aliquot cum eis detinuerunt. Qui medio tempore moræ suæ plura salutis monita dedit eis, et eosdem instruxit de multis præcavendis periculis; quæ eis expost, ut apparuit, non parvo momento fuere.

De crudelitate quam comes Flandriæ exercuit in suos.

The count of Flanders slaughters the citizens of Ypres, and burns part of the town.

[4] Circa mensis Septembris initium, orta simultate inter comitem Flandriæ et communes suos de Ypres et Gandavo, dum Yprenses convenissent ad tractandum cum magnatibus comitis, repente supervenit[5] comes inopinate cum magna armatorum multitudine, et irruit super cives Yprenses, ac occidit ex eis ad octo millia virorum, adorsus fortassis facinus in se ipso acrius[6] puniendum. Deinde juxta naturam sui crudelis animi, e vestigio cingit urbem Yprensem obsidione; quam captam, mox succendit partem, ex eaque partem,[7] ad testimonium victoriæ suæ,

---

[1] Om. H. Between *personæ* and *cum*, two lines are erased in R.

[2] Om. H.

[3] *partes*] manus, W.

[4] In the margin is a note, "Hic "de hiis quæ contigerunt abbati "suspenso," H. In this place, in R., is given the "Charta regia quod "abbas Sancti Albani, nec priores "cellarum fient taxatores nec col-"lectores subsidii," in regard to the case of the prior of Wymundham.

[5] *supervenit*] venit, W.

[6] *acrius*] actus, H.

[7] *partem*] parte, H.

CROYDON PUBLIC LIBRARIES CENTRAL

A.D. 1380. intactam reliquit a flammis. Quadraginta vero de majoribus ipsius villæ decapitari præcepit, et totidem ad villam de[1] Bruges direxit, carcerali custodiæ deputandos. Quibus feraliter perpetratis, commune vulgus convocat, et se illorum fore dominum superbe pronunciat. Quapropter mandat, de cetero caveant illi resistere, ne similem omnes pœnam incurrant, quam decapitatos diximus excepisse; sacramento affirmans, se vindicaturum in illos, si unquam sibi resistendum putaverint, ut in concives eorum ultus est, omnes generaliter plectendo sententia capitali. Præterea, cum pulsaretur clamoribus relictarum feminarum, quarum maritos obtruncaverat, quærit quænam sint, vel quæ causa clamoris earum. Cumque didicisset has esse relictas virorum morte punitorum, mox, ut nihil plenæ deesset crudelitati, et has decapitari præcepit, mandans ut suis mittantur maritis, ne diutius in viduitate detentæ cogantur prolixius inaniter lamentari. Wals. Hist. i. 440.

He lays siege to Ghent.

Quibus gestis, Gandavum cum centum millibus de plebe sua obsidione vallavit; nam et illam urbem subvertere cogitabat, non solum quia rebellem judicabat eandem, sed ideo maxime, quia Gandavenses villam de Dyndermoun igni succenderant, eo quod comiti nimis favere visa fuit. Sed Gandavenses, nihil eum veriti, nec ejus exercitum metuentes, elevatis portis de suis cardinibus, et in medium forum villæ perlatis, latum iter sibi et suis, si intrare audeant, patefaciunt.

De morte regis Franciæ, et profectione exercitus Anglicanæ, et gratiosa regressione.

f. 171 b. Death of Charles V. of France.

Hac æstate Carolus, qui dictus est rex Franciæ, qui et illud regnum post perjurium occupavit injuste, maximus adversarius regis Angliæ et domini Urbani papæ, concessit in fata, a suis prius impotionatus, ut ferunt, satisque pœnitens de suscitatione belli injusti contra regnum Angliæ, et adhæsione antipapæ.

The duke of Burgundy appointed regent; but is opposed by the duke of Anjou.

Qui tamen suorum consilio procerum, ducem Burgundiæ, minorem videlicet[2] fratrem suum, constituit regni Francorum rectorem, antequam moreretur, eique commendavit parvuli filii sui omnisque domus suæ tutelam, eo quod infantulus nondum aptus fuerat ad regnandum. Andegavensis autem dux, major frater Caroli, post mortem ejus, ægre ferens minorem fratrem sibi prælatum, (nam ad ipsum ratione ætatis spectasset, ut

[1] *de*] ad, H.

[2] *minorem, videlicet*] juniorem, scilicet, W.

Wals. Hist. i. 441.

asseruit, regni tutela), cœpit adversari manifeste sibi, adhærente suæ parti domino de Clyssone et nonnullis aliis de potentioribus regionis. Facta est dissensio publica atque notoria inter eos, ita ut pene plus timerent invicem alterutram crudelitatem, quam nostri exercitus Angliæ, qui tunc impune circum patrias equitabat eorum, potentiam sive numerositatem. A.D. 1380.

The regent raises an army to check the progress of the English.

Dux tamen Burgundiæ, ut ostenderet se idoneum regni custodem, jam tunc cum fratre confligere non reputavit expediens, quando cerneret nostrates circumquaque patriotas perimere, patriam vastare tam flamma quam gladio. Quare collecta apud urbem de Troys, qua potuit, multitudine de tota terra præter terras Andegavensis ducis et domini de Clissone, quas scivit propter memoratam dissensionem sibi parere nolle, ad numerum fere quatuor millium armatorum, et de communi plebe magna multitudine, statuit nostratum impedire viam, eos in itinere præveniendo, ut quoquo pacto compelleret ad pugnandum. Quod ut[1] nostris est compertum, decreverunt Francos præcedere sine mora, ne forte eis aliquod impedimentum contingere posset, si Gallici eos præcessissent. Et factum est ita, collectique sunt nostri subito ante eos, non modicum mirantibus ipsis, quo modo nostratibus ita cito ipsorum consilium innotuisset. Cumque certam nostri elegissent stationem, et armatos statuissent ordinate et pulchre dispositos[2] per turmas suas, cariagium[3] quoque, quem[4] sarcinas appellamus, a tergo locassent, ecce! quidam e Gallicis egressi sunt, transgredientes quandam novam fossam, quam iidem Gallici sibi fecerant pro sui exercitus majori tutamine, ad pugnandum contra nostrates. Quos illico, sine grandi negotio, quidam e nostris fossam relinquere, et ad suos retrocedere, compulerunt, obtenta ex eis eadem fossa, et multis super eandem interfectis; quod factum Gallicis mox pavorem incussit, adeo quidem grandem ut amplius dictam fossatam egredi non auderent. Cives autem urbis de Troys tantus metus invasit, ut sine mora, collectis quibusque de suis rebus pretiosissimis, ad partes alias pavidi transmigrarent; credebant namque nostros repente irruturos super eos et eorum urbem, quam rebantur nullo modo custodiri posse contra eos.

The French repulsed in a skirmish.

Nostrates vero, post prædictum certamen, per aliquot horas exspectantes in loco, cum nullum e Gallicis ulterius eos infestare vel impetere velle percepissent, sine magno dampno cum victoriæ gloria recesserunt, diutius ibidem immorari caventes;

The English continue their march.

[1] *ut*] et, H.
[2] *dispositos*] disposite, H.
[3] *cariagium*] cariagiam, H.
[4] *quem*] quod, W.

A.D. 1380. immo[1] quam maxime quia nesciebant qualiter res cum duce Britanniæ, in cujus adjutorium missi[2] fuerant, se haberent; quamquam fortassis, si post prædictum conflictum vel Francos impetere vel dictam urbem invadere decrevissent, magnum eisdem commodum excrevisset tali facto. Sed amor ducis, et injunctum[3] mandatum quod acceperant ad festinandum ad succursum suum, eos a tali proposito averterunt; qui tamen tam periculosa itinera peragrasse, tam confertos hostes et loca hostilia penetrasse, tantos labores non consummasse sed inchoasse, in adventu et approximatione Britanniæ cognoverunt. Enimvero[4] dux, cujus amoris intuitu hæc omnia temptavere, vel inductus metu vel allectus mercede, in partem consenserat adversam perante, ut multis constaret sanioris capitis eum[5] magis timore quam amore Anglicis impendere gratiam vel favorem; si tamen gratia sive favor sunt dicenda, quæ vel ab invito vel coacto quovis pacto extorquentur. Jam nunc vel sero saltem cognoscere possunt Anglici suam protervam et indisciplinatam imprudentiam, et stultitiam irrefrenabilem, qui, omni credentes spiritui, sensum, vires suas, atque substantiam, in omnem ventum dispergentes, et velut metuentes ne terra sua habitatores ejus devoret, eosdem emittunt, qui defensio, protectio, sive juvamen esse possent, in mari vel peregrinis regionibus consumendos. Et dum magis cavent alienis periculis, ipsi jacturam irrecuperabilem patiuntur, et periculis se exponunt, ipsorum more qui, vitantes Scyllæam[6] voraginem, in Charybdim[7] impingunt.

Wals. Hist. i. 442.

The duke of Brittany inclines to the French side.

Great sacrifices made by the English in his cause. f. 172.

Quis enarrare poterit quanta dispendia, quantos luctus, mors domini Johannis de Arundelia, et nobilium perditio qui cum eo similem sensere fortunam, invexit incolis Anglicanis? Quæ plaga regionis, quæ provincia, quæ civitas sive villa quemquam non amisit in illa infausta expeditione, in quam de toto regno valentiores convenere?[8] Puto nullus aut rarus angulus in tota terra vacavit a luctu, ubi non mater filium, vel uxor maritum, aut quis affinem vel cognatum in ipso naufragio se doluit amisisse. De substantia rerum pretiosarum amissarum, sive pecunia qua pauperes apporiati sunt et terra depauperata, pro illius exercitus exhibitione, silendum existimamus; cum anima sit plus quam esca, et corpus plus quam vestimentum, cum insanabilis sit plaga terræ tot fortibus morte percussis, tam generosis perditis, tam probis submersis.

---

[1] *immo*] ideo, H.
[2] *missi*] missæ, H.
[3] *injunctum*] invictum, W.
[4] *Enimvero*] Cum vero, H.
[5] *eum*] cum videtur, W.
[6] Scilleam, H.
[7] Caribdim, H.
[8] *convenere*] convenire, H.

Wals. Hist. i. 443. Et tamen, his omnibus non obstantibus, adhuc insensata patria iterum militiam[1] legere, iterum expensas parare, iterum optimos et probatissimos regionis dubiis fatis committere, non veretur. Ecce enim! in expeditionem Britannicam emittitur simul fere tota nobilitas, et ad hostes manifestos et publicos, privatos et dubios, destinatur; quæ si non magis divina cura quam patriæ suæ fide fota fuisset, forsitan nunquam patriam revisisset;[2] præsertim cum hinc Gallici, hostes certi, illinc Britones, dubii vel occulti, in circuitu eorum constituti, dolos et malitiam, insidias et fraudem, in jugiter meditantes, eos quovis pacto prodere vel circumvenire temptabant. Nam quotiens a Francis, dum per totum regnum Francorum audaciter equitabant, dum vastabant patrias flammis atque ferro, dum quicquid libuit pro voluntate, in ipso itinere versus Britanniam, disponebant, ibidem insidias occultas et manifestas sunt perpessi, dicere longum foret. Novissime Britanniam subintrantes, et cuncta reperientes ibi confusa, ducem dubium, instabilem, et nutantem, incolas perfidos et fraudulentos, quis diffiteri poterit, eos in maximis periculis constitutos? Et quod magis est his omnibus, suæ gentis propriæ perpessi proditionem, dum mox, ut terram Angliæ sunt egressi, derelicti velut mortuus a corde, e vestigio pacta confracta, promissiones infectæ, et pene omnis spes auxilii est subtracta. Unde nisi quia Dominus custodivit eos propter vitæ munditiam, cordis innocentiam, quibus effulsere qui ductores fuerunt ipsius exercitus, nunquam terram propriam reintrassent. Nempe campiductores hujus turbæ, non, ut plerique ceteri qui duces ante eos fuere, patriam passi sunt deprædari propriam in egressu suo, non maledictiones pauperum incolarum plebem ad prœlia processuram siverunt promereri, sed potius quicquid favorem, gratiam, benevolentiam totius populi invitaret in terra, antequam ingrederentur maris alta, agere studuerunt. In Francia quoque constituti, cum pene per totum regnum Franciæ, ipsis invitis Gallicis, illæsi transissent, adeo ut nullum e suis per totum illud iter perdiderunt, in tanta felicitate nullatenus obliti sunt Dei sui, sed regi et proceribus, et omnibus religiosis Angliæ, preces devotissimas literaliter direxere, ut orationes continuare, processiones pro eisdem facere, et alia pietatis opera exercere, dignarentur. Contigit iccirco, ut felici fine, quamquam in propria regione, quamvis in terra hostili, insidias paterentur, benedictus Deus, cui placere comprobati[3] A.D. 1380.

[1] *militiam*] malitiam, H.
[2] *revisisset*] revidisset, W.
[3] *comprobati*] comprobata, W.

A.D. 1380. sunt, ipsorum opera cuncta conclusit, et ad propria[1] cum salute, cum honore, gratiose reduxit. Wals. Hist. 441.

The duke of Brittany dismisses the English.

Et quidem ipsorum fuit gratiosa regressio, qui ubi amicos reperisse merito[2] putavere, hostes familiares, Britones videlicet, repererunt. Ipse etenim dux Britanniæ, pro cujus amore, ut præmisimus, Anglia tot valentes amisit et nobiles, pro quo, illis omnibus non obstantibus, isti jam tam periculosa itinera transierunt, ut opem ferrent eidem, in ipsorum adventu, mox ut ad ejus patriam[3] pervenere, colloquio cum illis habito, de eorum recessu, non de mora, tractare curavit. Cujus inconstantiam ipsi mente librantes, et pericula quæ eis parabantur prævidentes, (nam per certos viros partis adversæ, qui eosdem nimio diligebant amore, præmuniti, nisi cautius, et citius, atque subtilius, sibi providerent, quod universi, proditione mediante, vel interirent, vel saltem vivi hostibus traderentur,) oblatum ab eodem duce aurum non modicum, ea conditione ut recederent, susceperunt; et ita, Deo volente et eos dextra sua protegente, ad propria sunt reversi, sine suo[4] vel suorum dampno vel læsione, excepto quod equos[5] omnes vel in mari redeundo, vel in Britannia, perdiderunt; et præter illud, quod in obsidione quam fecere frustra circa Namnetensium[6] civitatem, nonnullos valentes amisere, inter quos, nobilissimum militem dominum Hugonem Tyrell, viderunt iniquis fatis succumbere, a quodam balistario protrajectum caput.[7]

Death of Sir Hugh Tyrell.

De coronatione regis Franciæ et seditione Francorum.

Coronation of Charles VI. of France. f. 172 b.

Tumult in Paris.

The country unprotected in spite of heavy taxes for its defence.

Hoc anno, mense Novembris, coronatus est filius Caroli, quondam regis Francorum, in regem, parvulus admodum, videlicet decem aut undecim annorum. Post cujus coronationis exacta celebria, cum universa fere nobilitas regni Franciæ Parisius convenisset, repente orta est seditio maxima[8] communis vulgi et tumultus; et murmur magnum excrevit contra[9] proceres, eo quod totiens non tam apporiassent, quam despoliassent, patriam diversis taxis, quas gabellas[10] appellant, jam exhibitis galeyariis et nautis, qui nihil commodi regioni[11] contulerunt, jam diversis exteris, qui eos tutarentur et Anglis officerent, qui nihil profecerunt, jam dominis et regni proceribus, qui

[1] *propria*] opera, H.
[2] *merito*] initio, W.
[3] *ejus patriam*] eum, W.
[4] *suo*] sua, H.
[5] *equos*] eos, H.
[6] Maumentensium, W.
[7] *protrajectum caput*] trajectum fuit, W.
[8] *maxima*] magna, W.
[9] *contra*] inter, W.
[10] *gabellas*] gabellis, H.
[11] *regioni*] regni, W.

Wals. Hist. i. 445.

eos protegerent, sed in vanum. Nam ipsi proceres, qui eis defensio fuisse debuerant, et ipsi patronis opus habebant, cum cernerent Anglicanum exercitum per totum regnum equitare, flammis et ferro quæque vastare, et nullum e suis non tantum eisdem se obviare, sed nec respicere quidem ausum, sed quemlibet, more feminarum, vel in urbibus vel castellis occultare. Quare pudendum fore dominis asserebant, quod in tanto regno, ubi tot nobiles, tot magnates, tot milites, tot bellici esse debuerant, ut merito contra quemlibet de exercitu Anglicano decem de facili producere potuissent, quod nullus ex omnibus pro regno auderet se opponere, vel pro plebe. Pudendum insuper esse dicebant, quod pulchris pollicitationibus totiens populum falso circumvenissent, promittendo, si jam et jam tantum solvissent, se Angliam subjugaturos, si modo tantum pendidissent, pacem habituros, et nullum ipsorum verbum verum stetisse; quin etiam, nunc Anglos in medium eorum convenisse, et Francos meticulose domi residere, nihil omnino patriæ providere, sed universa Anglorum direptioni derelinqui. Quapropter scirent, proculdubio plebem nullatenus velle vel taxari vel taxationibus acquiescere; quin potius, relictis rege suo et proceribus, qui continue eorum apporiationi studebant, ad Anglos se conferrent,[1] quos sciverunt magis placide dominaturos super eos quam Gallicos suos dominos naturales. Et talia conclamantes,[2] vix manus poterant continere, quin in quosdam regios familiares et consiliarios injicerent manus suas. Duces igitur et magnates, cernentes populum exacerbatum, vim sibi timentes inferri, plebem cum omni mansuetudine demulcentes, vix ad horam sedare vel compescere potuerunt. Igitur rex et regni majores in quendam locum munitum se contulerunt, facientes illud poetæ consilium, A.D. 1380.

"Dum furor in cursu est, currenti cede furori,"

ibidem rerum eventum præstolaturi.

The people vent their rage on the Genoese mercenaries of the fleet.

Plebs vero, sequenti nocte cum furoris continuatione progrediens, domum cujusdam ex majoribus civitatis, cujus consiliis imputabant se totiens taxis vexatos fuisse, funditus diruerunt, et omnia ubique urbis loca perlustrantes, quotquot ex Januensibus galeyariis reperire poterant, immisericorditer trucidarunt; quoniam, ut ipsi asserebant, pene exhauserant sine fructu totam pecuniam regionis. Et revera grandis fuit summa, quam cotidie receperunt, quæ nimirum excrevit per dies singulos ad septingentas quinquaginta libras, quæ per æquales

[1] *conferrent*] conferre, W. | [2] *conclamantes*] conflamantes, H.

A.D. 1380. portiones viginti quinque galeis dividebantur; et quidem per tempus prolixum, ab initio mensis Maii, quo mense primo galeæ audent occiduum sulcare oceanum, usque ad finem mensis Augusti, post quem pertimescunt in nostro mari, propter procellas et turbines, immorari. Wals. Hist. i. 446, 447.

De literis proditoris repertis.

Sir Ralph de Ferrers found in correspondence with the enemy.

His diebus, quos inanes duxit dux Lancastriæ,[1] quidam pauper inventas literas quasdam sigillatas attulit Johanni Philippot, qui, convocatis sociis civibus, unam aperiens, patriæ proditionem legit in ea, et, sigillo exteriori inspecto, cognovit sigillum fore Radulphi de Ferariis militis, qui inter regios consiliarios fere tenuit primum locum; moxque alias quatuor literas, eodem signo firmatas, primo regni cancellario, deinde regi, defert. Quibus inspectis, et signo Radulphi cognito, necnon considerato quibus personis directæ fuissent, rex regisque quod pro tunc aderat concilium plurimum admirati sunt; et eo præcipue quod miles tam senex, in quo etiam magna spes patriæ sita fuit, proditionibus inserviret. Namque directa erat una ex ipsis Bartrando Cleykyn, alia Bruero de la Ryver et Franciæ camberlano, una vero domino de Clyssone, et una patrono galeyarum et duci Francorum et Hispanorum exercitus; qui eo tempore per diversa loca maritima remigantes, plurima dampna patriæ inferebant. Continebant adeo profunda regis et regni consilia, ut nulli veniret in dubium alium quam Radulphum Ferreres, vel talem, qui regis privato concilio assistebat, potuisse vel imaginatum fuisse,[2] vel scivisse, vel talia denudasse.

He is imprisoned, but is secretly encouraged by the duke of Lancaster. f. 173.

Igitur, cum summa festinatione missi sunt quidam milites, cum dicto Johanne Philippot, ad ducem, qui tunc, ut prædiximus,[3] ad tractandum cum Scotis in partes concesserat boreales, cum quo etiam et Radulphus de Ferrariis eadem tempestate missus fuit. Sigilli vero impressionibus duci secrete monstratis, vocatus est Radulphus, et sigillum proprium monstrare jussus fuit. Collatione ita facta impressionum, compertum est signa nihil omnino differre;[4] ad cumulum etiam majoris

---

[1] *dux Lancastriæ*] nostra militia, R. W.

[2] *imaginatum fuisse*] ymaginatus fuisse, H.; imaginasse, W.

[3] *ut prædiximus*] A chapter, relating the duke of Lancaster's mission to Scotland, is printed in Walsingham immediately before this one; and appears to have been accidentally omitted in H. It is extensively altered in R.

[4] *differre*] deferre, H.

Wals. Hist. i. 447, 448.

suspicionis, fatebatur idem R[adulphus] se nulli commisisse sui sigilli custodiam per tres annos anteactos; unde, ut visum[1] fuit his qui tunc aderant, satis manifeste convictus.[2] Præcepit eum[3] dux arrestari, et in castello Dunelmensi servari; reversisque ad regem, quos diximus hac de causa ducem petisse, misit dux[4] ad eum verba consolatoria, secreto mandans[5] ne concideret in hoc casu vultus suus, sed esset forti animo, sciens pro certo se nulla dampna passurum pro præmissis. Unde mox, ut talia plebi fuere cognita, contraxit et ipse dux maculam pro hoc facto.[6] Sed quàliter idem R[adulphus] evaserit, sequens, quod scripturus sum, parliamentum declarabit. A.D. 1380.

Comes Sancti Pauli deserit Angliam cum uxore.

The count of Saint Pol, being secretly expelled from England, takes service with the king of France.

Comes Sancti Pauli Walerannus, qui cum conjuge sua Johanna de Curtenay, sorore domini regis Angliæ, paulo ante egressus est de terra, vel, ut verius asseratur, expulsus est in propriam regionem propter sua facinora, sine strepitu tamen, ne persona regia dehonestari potuisset per eum qui tam arta affinitate eidem conjunctus[7] fuerat, mox ut aerem attraxit proprium, more gentis suæ, prodere voluit se non ex corde cum Anglicis ambulasse, sed ficte potius et dolose. Revera nacta mox opportunitate, ut pervenit ad propria, magnates Francorum adiit, qui novo regi astiterunt, filio scilicet Caroli supradicti, qui ejus negotia regi regisque concilio promoverent. Nec mora, gratanter ab universis admissus, regis camerarius est effectus, factus est adversarius publicus, ita ut cunctis constaret Anglos ex eo fovisse coccitum.

Gandavenses petunt pacem.

The citizens of Ghent make peace with the count of Flanders.

Flandrenses videlicet de Gandavo post multa ac dampnosa litigia, post diutinam obsidionem, sed inanem, post cædes ac mortes quibus affecti sunt, et patriotas ex parte comitis affecerunt, quibus et superiorem manum continue reportarunt,

---

[1] *ut visum*] visus, W.

[2] *convictus*] comitti, H.

[3] *eum*] ei, H.

[4] *misit dux*] missa sunt, R. W.

[5] *secreto mandans*] mandantia, R. W.

[6] *contraxit . . facto*] contra ducem multa dixerunt verba acerba plena contumelia, R. W.

[7] *conjunctus*] convictus, H.

A.D. 1380. id comite postulante et obsidionem dissolvente, pacem fecere cum eodem; sed modico tempore duraturam. Wals. Hist. i. 448.

Acta apud Sanctum Albanum.

Confirmation of indulgences at St. Alban's.

Archiepiscopus Cantuariensis, et regni cancellarius, in festo Omnium Sanctorum, rogatus ab abbate, accessit ad Sanctum Albanum, ubi celebravit solemniter ipso die divina, una cum episcopo Bangorensi. Qui ratificavit omnes indulgentias collatas altari reliquiarum, et in posterum conferendas. Et insuper concessit quadraginta dies [indulgentiæ][1] frequentatoribus illius loci.

De parliamento apud Northamptone, in quo decernitur nova taxa levanda.

The duke of Lancaster effects the removal of parliament to Northampton, in opposition to the Londoners.

Circa festum Sancti Martini, nutu ducis Lancastriæ,[2] contra voluntatem, et citra consensum, pene cunctorum regni magnatum, et præcipue contra voluntatem Londoniensium, coactum est parliamentum apud Northamptonam; eo quidem omnibus magis grave quod contra hiemem et in tali loco fuit[3] celebrandum, ubi nec copia focalis facile potuit reperiri, nec hospitia apta tantæ turbæ. Causa vero, quare dux prædictus[4] ibidem parliamentum esse constituit,[5] fuit appetitus ultionis, quam sumere anhelavit[5] de Johanne Kirkeby, qui fuerat interfector ipsius Januensis mercatoris, de quo supra tetigimus in hoc libro. Revera consideravit odium inveteratum inter semet ipsum et Londonienses continue perseverans, et perpendit,[6] si Londoniis parliamentum fieret, nequaquam Londonienses passuros eundem Johannem Kirkeby pro occisione prædicti Januensis morte puniri; quin potius, si talia Londoniis temptare conaretur,[5] sibimet periculum imminere. Ibid. i. 449.

---

[1] Supplied from R.

[2] *ducis Lancastriæ*] quorundam consiliariorum, R. W.

[3] *fuit*] sunt, H.

[4] *dux prædictus*] prædicti consiliarii, R. W.

[5] These words in the plural number, R. W.

[6] *consideravit . . perpendit*] consideraverunt animositatem Londoniensium, cogitaveruntque, prout erat futurum, R. W.

Wals. Hist. i. 449.

Unde, præhabito secum consilio callido, ut præmisimus, Northamptonæ parliamentum fieri procuravit;[1] in quo nimirum parliamento, et trahi et suspendi fecerunt eundem Johannem Kirkeby, Londoniensibus universa cernentibus; et novam taxam ad opus regis, et eorum præcipue qui nuper cum domino Thoma de Wodestoke per Franciam in Britanniam Armoricam missi sunt, coegit[1] exigi: scilicet de quolibet sacerdote religioso dimidiam marcam, et tantum de unaquaque femina religiosa; de sacerdotibus quoque secularibus tantum, et ex singulis capitibus regionis, virorum scilicet conjugatorum et non conjugatorum, ac etiam mulierum, duodecim denarios, non sine diris imprecationibus levari fecit.[1] Quod quidem factum causa fuit inauditi mali in terra, ut ex posteris elucescet.

A.D. 1380. Execution of John Kirkeby for slaying the Genoese merchant. A tax levied: the cause of future misfortunes.

Radulphus de Ferrariis per barones quatuor, qui parliamento interfuere, manucaptus est, donec per magis evidentes rationes suam innocentiam declarasset.[2]

Sir R. de Ferrers taken into custody.

Circa tempus præsens advectæ sunt trieres Southamptoniam, quas caricas alii vocare solent, refertæ multi generis speciebus et vinis, aliisque divitiis, quæ non modicum profecerunt[3] incolis[4] universæ terræ tempore Quadragesimali.

A.D. 1381. Ships laden with wine and spices arrive at Southampton.

De dampnabilibus opinionibus J. Wycliffe, et milite seducto per eum, et ejusdem militis conversione difficili.

f. 173 b.

Eodem autem tempore, ipse vetus hypocrita, angelus Sathanæ, antichristi præambulus, non nominandus Johannes Wiclyfe, vel potius Wykbileve, hæreticus, sua deliramenta continuans, visus est absorbere Jordanem, et omnes Christianos mergere in abyssum. Reassumens quidem dampnatas opiniones Berengarii et Oklefe, astruere laboravit, post consecrationem in missa a sacerdote factam, remanere ibidem verum panem et vinum, ut fuere per prius, Christum ibidem, ut ubique, assistere, sed specialius, et non plus valere panem illum quam alium, nisi solum propter benedictionem a sacerdote datam. Quinimmo si ibi esset Corpus Christi, asseveravit in fractione se posse frangere collum Dei sui. Affirmavit præterea Christianos errare in veneratione illius sacramenti, quod panem esse

Doctrines imputed to Wycliffe in regard to the sacrament.

---

[1] These words in the plural number, R. W.

[2] *Radulphus . . declarasset*] This passage is placed in W. at the end of the chapter relating to Ferrers, above p. 279.

[3] *profecerunt*] profuerunt, W.

[4] *incolis*] in celis, H.

A.D. 1381. dicebat et rem inanimatam; et potius venerandum esse bufonem, vel quodlibet animatum, quam illud, quia multo præstantiorem esse fatebatur rem animatam quam quæ carebat anima. Et talia delirando multos seduxit in eundem errorem. Wals. Hist. i. 450.

Instance of desecration of the sacrament.

Unde quidam miles de comitatu [Wyltesiriæ],[1] juxta Salesberiam, nomine et cognomine Laurencius de Sancto Martino, non dissimiliter seductus, cum instante festo Paschali vivificum sacramentum sumere debuisset, petiit a sacerdote suo, ut in vigilia ipsius festi sibi daret Communionem Sanctam; qui juxta vota, post missarum solemnia, obtulit quod petebat. Miles vero, post datam a sacerdote hostiam, illam manu recepit, et continuo surgens, ad domum suam, portans Corpus Dominicum, properavit. Sacerdos igitur, præter solitum videns militem delirare, et ipse mox insequitur, clamans et adjurans ne tantam injuriam faciat sacramento, sed illud sibi restituat, vel Christianorum more honorifice tractet et sumat. Sed nihil omnino preces illius profecere, vel clamores, quin miles illud, excluso presbytero, adhibitis ostreis, divideret, et partem cum ostreis, partem cum cæpis,[2] et partem cum vino, deglutiret; affirmans quemlibet panem apud domum suam tanti esse valoris, quanti fuit ille quem sumpsisse tali modo gaudebat. Famuli vero sui, qui de tam horrendi facti novitate stupuerunt, hæc omnia exteris retulerunt.

The bishop of Salisbury remonstrates with the offender,

Sacerdos igitur parochialis, quem nimia stimulabat amaritudo mentis ob tantum scelus commissum a milite, Sarisbiriensi episcopo, magistro Radulpho Ergom, cuncta per ordinem inordinate patrata narravit. Episcopus autem mox militem citari mandavit; quem comparentem et factum nullatenus abnegantem admonuit, quia vir in illis partibus magnæ æstimationis fuerat, ut, domum rediens, diversos sibi notos clericos aggregaret, et cum illis de ipsa re tractatum haberet, si forte divinitus respectus interim gratiam consequeretur salubrius sentiendi de præfato sacramento, compariturus interim certo die coram episcopo supradicto; quod et factum est. Et die præfixo rediens, juxta doctrinam clericorum, qui ad eum confluxerant hujus rei gratia, confessus est se male sensisse de sacramento altaris, multumque peccasse in dehonestatione[3] sacramenti; quare ab episcopo et cunctis qui aderant, veniam suppliciter deprecatus est. Episcopus ergo, ejus videns conversionem et attendens humilem confessionem, in partem pœnitentiæ injunxit eidem erigere Saresberiæ, in loco publico, crucem lapideam, in qua per ordinem tota series hujus rei

who submits.

---

[1] Om. H.

[2] *cæpis*] cepo, H.

[3] *dehonestatione*] dehonestate, H.

Wals. Hist. i. 451.

sculperetur; et ut singulis feriis sextis vitæ suæ, discooperto capite, nudis pedibus, in sola interula et femoralibus, ad eandem crucem veniret, et coram ea totius facti hujus peccatum publice et per ordinem, flexis genibus, fateretur. Aliasque injunxit ei pœnitentias, tam publicas quam privatas, quas longum foret huic paginæ commendare. A.D. 1381.

Hæc iccirco scripsi plenius, ut omnibus elucescat, quanta mala bestia quæ ascendit de abysso, collega Sathanæ, J[ohannes] W[iclyfe] præfatus,[1] seminavit in terra.

Adventus cardinalis in Angliam mirabilia operantis.

Cardinal Pileus arrives, to arrange a marriage between Richard and the emperor's sister.

Pileus, tituli Sanctæ Praxedis, presbyter cardinalis, per istud tempus venit in Angliam, cum duce Tharsiliæ et multis nobilibus ex parte imperatoris, locuturus de conditione matrimonii contrahendi inter sororem ejusdem imperatoris et regem Anglorum, et regnum de inæstimabili summa pecuniæ vacuaturus. Nam, ut asseruit, potestatem afferens inauditam, in brevi totum regnum ad ipsum confluere fecit pro diversis gratiis impetrandis. Revera diversa diversis beneficia contulit; indulgentias quas dominus papa concedere solummodo consuevit, et ipse concessit; biennales, triennales, confessionales literas quibuslibet solventibus gratanter indulsit. Ad capellanatum domini papæ tam possessionatos quam mendicantes admisit, nec aurum eorum respuit, qui notarii publici effici precabantur. Altaria quoque portatilia nulli pecuniam offerenti negavit. Nec quadraginta libras, cum aliis donis Cisterciensium,[2] repulit, quin gratiose concederet eis licentiam generalem vescendi carnibus extra monasterium indifferenter, ut in monasterio edere consueverunt. Excommunicatis gratiam absolutionis impendit. Vota peregrinationis ad Apostolorum limina, ad Terram Sanctam, ad Sanctum Jacobum, non prius remisit, quam tantam pecuniam recepisset, quantam, juxta veram æstimationem, in eisdem peregrinationibus expendere debuissent. Et ut cuncta concludam brevibus, nihil omnino petendum erat, quod non censuit, intercedente pecunia, concedendum. Interrogatus autem in qua postestate hæc faceret, cum summa indignatione respondit, se Romæ, si scire vellent ejus potestatem, omnibus responsurum. Jamque adeo referti erant argento ejus sacculi, ut advenientibus ejus ministri respondere dedignarentur,[3] nisi aurum afferrent, dicentes, "Afferte nobis aurum; "argento namque[4] vestro pleni sumus." Recessurus autem,

He obtains large sums by the sale of indulgences, etc.

f. 174.

[1] *præfatus*] sive Wikkebeleve, W.
[2] Sistersciencium, H.
[3] *dedignarentur*] dedignaretur, H.
[4] *namque*] enim, W.

A.D. 1381. aurum post se nequaquam relinquere voluit; sed secum super summarios deferri fecit, ad tantam quidem summam, quantam nunquam Anglia in taxa vel talliagio semel pendere consuevit. Wals. Hist. i. 452.

Visitatio apud Sanctum Albanum.

Visitation of St. Alban's abbey.

In festo sanctorum Nerei, Achillei, atque Pancratii, prior Eliensis, visitator deputatus in capitulo ultimo Northamptoniæ celebrato, commissa potestate sua duobus e monachis sui monasterii, domino videlicet Rogero de Norwyco et domino Thomæ de Dounam, misit eosdem, visitandi gratia, ad monasterium Sancti Albani. Qui, ut decuit, reverenter admissi, juxta potestatem illis commissam, visitationis officium compleverunt, nihil (Deo laudes) reperientes ibidem, per quod obfuscari potuit bona fama loci aut habitatorum ipsius.

Profectio, vel expeditio, in Portingaliam.

An expedition despatched to aid the king of Portugal.

Per idem tempus collectus est copiosus exercitus, ducis Lancastriæ conniventia, qui in adjutorium regis Portingaliæ mittendus fuerat contra regem Hispaniæ, qui adversabatur eidem. Asseveravit enim idem dux, expediens fore regno, ut illuc armatorum copia cum auri abundantia mitteretur; quatenus rex Portingaliæ, qui pro eis miserat, majori caritate regno Angliæ et incolis regionis astrictus, maris prohiberet transitum apud Gades Herculis, quas moderni vocant Stricta de Marrochia, galeis quæ de necessitate per eum et ejus ibidem dominium transire, in adjutorium Gallicorum et Hispanorum, ad[1] oceanum infestandum Britannicum, vel Anglicum, debuerunt. Sic itaque et Angliam fore tutam, et prædicta duo regna, et præcipue Franciam deludendam asseruit. Ibid. i. 453.

Names of the leaders.

Constituti sunt duces et primarii hujus profectionis, dominus Edmundus, comes Cantabrigiæ, regis avunculus, dominus Willelmus Beawchamp, dominus Willelmus Botreus, et dominus Matheus comes Gurneye, et alii plures milites quos non expedit numerare. Qui, mare transeuntes, feliciter quidem pervenerunt Ulixibonam civitatem, metropolim regionis, et a rege gratanter sunt accepti. Sed præ paucitate ad lacessen-

[1] *ad*] ab, H.

Wals. Hist. i. 453.

dam bello Hispaniam minus[1] apti, tamen regno Portingaliæ plurimum profuerunt, quia satis fortes erant ad defendendum fines regni, et impediendum Hispanos, ne vel intrarent regnum hostiliter, vel pro votis dampna incolis irrogarent. Hispani vero, putantes se plurimum profuturos si Ulixibonam obsiderent, in quam nostrates concesserant, adhibitis navibus et Hispanorum magna turba, urbem obsidione vallarunt. Sed tunc datum [est] eis cognoscere virtutem Anglorum; nam cum per multos dies urbem circumsedissent, et nihil præter verba et cruenta vulnera lucrati fuissent, tandem, cum dedecore solventes obsidionem, ad propria recesserunt. Nostrates igitur, eorum cognoscentes ignaviam, plus animati sunt, et sæpius pro viribus et numero Hispanos irritantes, exspectabant audacius in terra illa, donec fortassis ex Anglia plures bellatores mitterentur eisdem.

A.D. 1381.

The Spaniards are forced to raise the siege of Lisbon by the presence of the English.

De miseria quæ contigit Angliæ in tumultuatione rusticorum.

Circa idem tempus, Anglorum regnum, pro peccatis flagellandum,[2] magnum repente et inauditum cunctis seculis sensit e suis membris emanasse dispendium; quod nisi Deus, misericordiarum Dominus, solito bonitatis intuitu citius compescuisset,[3] et regnum[4] omnino destructum, et factum fuisset cunctis gentibus in sibilum et derisum.

Rebellion of the rustics.

Rustici namque, quos nativos vel bondos vocamus, simul cum ruralibus accolis in Estsexia, majora suis cupientes[5] viribus, et spem habentes omnia subjicienda suæ stoliditati, conglobata multitudine, pro libertate tumultuari cœpere, et pares dominis effici, et nulli omnino alicujus de cetero astringi servitio meditati sunt. Et ut efficacius sua vota perducerent ad effectum, mox ad quamlibet primo parvam villam viri tantum duarum villarum, qui auctores et primi motores hujus mali fuere, mittere curaverunt, ut omni excusatione postposita, omnes, tam senes quam florentes ætate, ad eosdem confluerent armis instructi, prout quisque poterat; scientes eorum bona, qui venire supersederent, negligerent, aut contemnerent, dissipanda, domos conflagrandas vel deponendas, capita amputanda. Terribilis ergo comminatio cunctos coegit accurrere, ut, aratri

The rising begins in Essex.

f. 174 b.

---

[1] *minus*] nimis, H.

[2] *flagellandum*] affligendum, W.

[3] *compescuisset*] compescisset, H.; compressisset, W.

[4] *regnum*] regimen, W.

[5] *cupientes*] concipientes, W.

A.D. 1381. The rustics assemble in large numbers.

relictis negotiis, seminandique commoditatibus, uxoribus suis [et] prædiis, in brevi tantus coactus sit numerus, ut ad quinque millia recenserentur vilissimorum communium et rusticorum; quorum quidam tantum baculos, quidam rubigine obductos gladios, quidam bipennes solummodo, nonnulli arcus præ vetustate factos a fumo rubicundiores ebore antiquo, cum singulis sagittis, quarum plures contentæ erant una pluma, ad regnum conquirendum[1] convenere. Inter mille vero de talibus, de facili non videndus erat unus armatus, sed omnes, ut magnum numerum confecere,[2] credebant totum regnum illis resistere non valere. Ut autem majoris roboris firmamento lætari possent, Canciam transmiserunt nuncios, qui Juttos[3] certificarent de illorum voluntate simul et proposito, et invitarent ad succurrendum[4] eisdem pro libertate acquirenda, pro isto negotio contuendo,[5] demum pro regno regnique malis consuetudinibus immutandis. Wals. Hist. 454.

They are joined by the men of Kent.

Kantiani itaque, rem audientes votis perante desideratam pluries, tollentes moram illico et ipsi, congregata non parva manu communium et rusticorum, eisdem[6] commentis quibus diximus Estsaxones suas congregasse turbas, in brevi fere totam provinciam suam ad similem tumultuationem concitaverunt. Moxque vias omnes, quibus peregrinando itur Cantuariam, obsidentes, [et] peregrinos universos, cujuscumque conditionis exsisterent, arrestantes, jurare compulerunt: primo, ut regi Ricardo et communibus fidelitatem servarent, et nullum regem qui vocaretur Johannes acceptarent, (ob invidiam videlicet Johannis ducis Lancastriæ, qui propter maritagium filiæ Petri, quondam regis Castellæ, et heredis, se dicit regem Castellæ); et quod parati essent, quandocumque placeret pro eisdem mittere, ad veniendum et obviandum eis; et quod omnes concives vel convicaneos suos inducerent ad tenendum cum eisdem; et nulli taxæ de cetero levandæ in regno acquiescerent aut consentirent, nisi quintædecimæ, quam patres et antecessores eorum solummodo noverunt et acceptarunt.

An oath imposed by them upon travellers.

News of the rising spreads to the neighbouring counties.

Itaque factum est, ut mox fama hujus facti in Southsexiam, comitatus Herfordiæ et Cantabrigiæ, Southfolchiam, et Northfolchiam, repente diffunderetur. Eratque magna exspectatio totius plebis, quid sibi vellent hæc omnia, et quorsum tenderent cœpta tam audaciter; multis conjicientibus pro meliori futura, quibusdam timentibus ea in perniciem totius regni

---

[1] *conquirendum*] conquærendum, W.

[2] *confecere*] conferre, H.

[3] *Juttos*] initos, W.

[4] *succurrendum*] occurrendum, W.

[5] *contuendo*] continendo, H.

[6] *eisdem*] hisdem, H.

Wals. Hist. i. 455.

cessura. Divisionem namque regni præloquebantur talibus ausis evenire, et per consequens ejus desolationem et destructionem. Et cum acciperent indies incrementum hujuscemodi congregationes, et jam fere factus fuisset eorum numerus infinitus, ita ut nullius resistentiam pertimescerent, cœperunt facta[1] monstrare quædam quæ mente conceperant, et omnes et singulos juris terræ peritos, tam apprenticios quam senes justiciarios, et cunctos juratores patriæ, quos apprehendere poterant, sine ullo respectu pietatis, capitis truncatione multare; asserentes non prius quam illis occisis terram ingenua libertate posse gaudere. Placuit iste sermo vehementer[2] rusticis, et, ex minoribus majora concipientes, statuerunt omnes curiarum rotulos et munimenta[3] vetera dare flammis, ut, obsoleta antiquarum rerum memoria, nullum jus omnino ipsorum domini in eos in posterum vendicare valerent. Factumque est ita. Necdum evigilare voluere domini ad obviandum tantis nequitiis; sed velut stertentes, domi quiescentes immobiles permanebant, donec Kentenses et Estsaxones appropinquantes sibi unum conflassent exercitum, quasi de centum millibus communium et rusticorum. Currebatur revera ad eos ex omni parte ab his qui vel oppressi fuerant ære alieno, vel censuram juris timebant propter malefacta, et fiebat plebanorum conglomeratio, quantam nullus meminisse potuit, vel audisse, insimul convenisse.

A.D. 1381.

The insurgents put to death all connected with the law

and destroy the court-rolls, etc.

Their ranks joined by the dishonest and criminal.

Cum ergo tanta frequentia ventum est ad locum vocatum le Blakheth; ubi statuerunt turbam videre collectam, et sociorum multitudinem numerare. In quo loco dum constitissent, venerunt ad eos ex parte regis milites, qui causam inquirerent commotionis eorum, et quare illuc tantum populum contraxissent. Quibus responsum est, se, pro certis causis et negotiis, ad habendum cum rege suo colloquium convenisse, et debere eosdem nuncios regios remeare ad regem, et intimare ei oportere eum omnino ad eosdem venire, ad audiendum desideria cordis eorum. Nunciatum est igitur responsum regi, et suasum a nonnullis ut ad eos pergere festinaret. Archiepiscopus vero Cantuariæ, pro tunc regni cancellarius, magister Symon de Sudbiria, et dominus Robertus de Hales, magister Hospitalis Sancti Johannis, tunc etiam regni thesaurarius, obnixe restiterunt talia suadentibus, dicentes nequaquam debere regem adire tales discaligatos ribaldos, quin potius disponendum esse aliter ad comprimendum superbiam ganeonum.

They halt at Blackheath to count their numbers.

They demand an audience of the king.

f. 175.

---

[1] *facta*] factis, H.

[2] *vehementer*] vehementis, H.

[3] *munimenta*] monimenta, H.

A.D. 1381. Quæ cum audissent responsa vulgares, in furorem versi, juraverunt se regios traditores, archiepiscopum scilicet, et Robertum prædictum, quæsituros, quo tutiores habere pedes se credebant, et eorum capita ablaturos. Et confestim iter versus Londonias arripientes, venerunt ad Southwerk, et omnia loca repleverunt ibidem et in regione vicina. Major ergo Londoniarum et aldermanni, metuentes urbi, portas mox claudere decreverunt; sed commune vulgus civitatis, et præcipue pauperiores, faventes rusticis, prohibuere majorem a clausura portarum, inferentes vim, et mortem comminantes eidem, si id facere attemptaret. Itaque factum est, ut per totam noctem sequentem, id est, vigiliæ festi Corporis Christi, libere gauderent exitu et introitu nebulones. Animavit communitatem Londoniarum, et etiam totius regni, ad favendum eis, quod asserebant eorum esse propositi[1] regni tantummodo proditores scrutari, et postea cessaturos. Et eo majorem fidem adhibuere dictis eorum, quod nihil rapuerunt omnino, sed omnia emerunt justo pretio; et si quemquam reperissent in furto, capite privaverunt, tamquam qui fures maxime detestarentur.

Wals. Hist. i. 456.

They advance to Southwark;

and are allowed to enter the city.

They gain over the lower classes of the citizens, and incite them to riot.

In crastino autem, hoc est in ipso festo Corporis Christi, intrantes et exeuntes urbem, et de libertate acquirenda, de proditoribus capiendis, et maxime de duce Lancastriæ, quem in primis odio habuerunt, cum simplicibus communibus Londoniarum verba serentes, in brevi pauperiores omnes in eorum vota fecere de facili conspirare. Cum autem eodem die sol altius elevatus incaluisset, et ipsi pro votis ubique vina diversa et pretiosissima pocula prægustassent, et facti fuissent non tam ebrii quam dementes, (nam Londoniarum majores et plebs communis cuncta cellaria illis aperta reliquerant,) cœperunt cum simplicioribus civitatis multa tractare de proditoribus; et inter cetera se mutuo cohortati sunt, ut properantes Saveyam, hospitium ducis Lancastriæ, cui nullum usquam in regno in pulchritudine et nobilitate potuit comparari, injectis flammis conflagrarent, ad diffiduciandum videlicet ipsum ducem, quem proditorem vocabant, et metum ceteris proditoribus incutiendum.

Comburitur hospitium ducis Lancastriæ.

The Savoy pillaged and burnt.

Placuitque statim sermo vulgaribus Londoniarum, et ipsi in primis fœdum reputantes, si quisquam duci ante eos injuriæ

[1] *propositi*] propositum, W.

Wals. Hist. i. 457.

aut dampni aliquid irrogaret, illico velut amentes cucurrerunt ad locum, et, ignibus in gyro conjectis, destructioni loci vacabant. Et ut patesceret totius regni communitati eos non respectu avaritiæ quicquam facere, proclamari fecerunt, sub pœna decollationis, ne quis præsumeret aliquid vel aliqua ibidem reperta ad proprios usus servanda contingere, sed ut vasa aurea et argentea, quæ ibi copiosa habebantur, cum securibus minutatim confringerent,[1] et in Tamisiam vel in cloacas projicerent, pannos aureos et holosericos[2] dilacerarent, et pedibus conculcarent, anulos et alia jocalia cum lapidibus pretiosis imposita mortariolis contererent, ut postea nullis usibus apta forent. Et factum est ita. Deinde, ut nullum genus dedecoris præterirent, quin duci cuncta imaginabilia irrogarent, arreptum quoddam pretiosissimum vestimentum ipsius, quale *Jakke* vocamus, et impositum lanceæ, pro signo ad sagittas suas statuerunt. Et cum parum dampni inferre sagittando valerent, depositum securibus et gladiis confregerunt. A.D. 1381. Token of their hatred of the duke of Lancaster.

Incenduntur Templum-barre et domus Hospitalis.

Quibus omnibus perpetratis satis malitiose, etiam locum qui vocabatur Temple-barre, in quo apprenticii juris morabantur nobiliores, diruerunt, ob iram quam conceperant contra Robertum de Hales, magistrum hospitalis Sancti Johannis, de quo præfati sumus; ubi plura munimenta,[3] quæ juridici in custodia habuerunt, igne consumpta sunt. Et amplius insanientes, illam domum nobilem hospitalis Sancti Johannis de Clerkenwell, immisso igne, ardere fecerunt per continuos septem dies. Destruction of Temple-bar, and the hospital of St. John of Clerkenwell.

Illucescente die Veneris, die iræ, tribulationis et angustiæ, die calamitatis et miseriæ, nondum finitis matutinis apud Sanctum Albanum, venere de villa de Barnet sub festinatione maxima, qui nunciarent communes mandasse, ut, assumptis secum communibus villarum de Barnet et de Sancto Albano, cum armis quibus se defendere scivere melius, Londonias festinare properarent; sin alias, viginti millia eorum accessura simul ad incendendum villas præfatas, et eos cum potestate magna adductura. Res statim notificatur abbati, qui, timens eorum adventum et dampna ex eo secutura, confestim convocatis universis curiæ suæ famulis et villanis, Londonias festinare rogavit, ad mitigandum ipsorum[4] malitiam, et impe- The commons of Barnet and St. Alban's march to London, and the abbat is forced to lead his retainers with them.

[1] *confringerent*] confugerent, H.
[2] *holosericos*] olesericos, H.
[3] *munimenta*] monumenta, H.
[4] *ipsorum*] eorum, W.

A.D. 1381. f. 175 b.

diendum adventum. Nec mora, villani festinant, et abbatis armigeri, ad occurrendum eis, et Londonias iter arripiunt[1] cum fervore. Dissimiliter tamen hi et illi, de abbathia scilicet et de villa; quia nostrates ad proficiendum, villani vero ad officiendum, se pararunt. Cum enim ventum fuisset non procul a Londoniis, juxta prædium quoddam magistri hospitalis Sancti Johannis, cui nomen Heybury, vident ibidem quandam multitudinem, quasi viginti millium rusticorum et communis vulgi, qui, immisso igne in editissimas domos, quo[2] jam ardebant inextinguibiliter, nitebantur cum diversis instrumentis cuncta, quæ incendio dissolvi non poterant, subvertere machinamentis solo tenus. Visi autem a quodam illorum ductore, qui vocabatur Johannes Strawe, mox accersiti et coacti, fecerunt fidem ei quod regi Ricardo et communibus adhærerent. Wals. Hist. i. 458.

Positions held by the rioters.

Erant pro tunc turbæ rusticorum et communium in tres partes separatæ, de quibus una pars vacabat, ut diximus, destructioni prædii supradicti; alia juxta Londonias exspectavit, in loco le Mile-ende vocato; tertia vero Montem Turris occupaverat.

Insolentia nebulonum.

The mob admitted into the Tower.

Ea autem turba quæ prope Turrim erat, ita inverecunda et insolens habebatur, ut victualia regis, quæ ad Turrim vehebantur, diriperet inverecunde. Et insuper, tanta agitabatur insania, ut regem compelleret ad concedendum eis archiepiscopum et magistrum hospitalis Sancti Johannis, aliosque in ipsa Turri occultatos, quos omnes proditores vocabant; alias sciret semet ipsum vita privandum. Rex igitur, in arto constitutus, permisit eos Turrim intrare, et loca secretissima pro sua voluntate nequissima perscrutari, quippe qui nihil negare tute potuit quod petebant. Erant eo tempore in ipsa Turri sexcenti viri bellici, armis instructi, viri fortes et expertissimi, et sexcenti sagittarii, qui omnes, (mirum est,) animo ita conciderant, ut eos magis similes mortuis quam vivis reputares. Mortua enim erat in eis omnis memoria quondam bene gestæ militiæ, extincta recordatio antehabiti vigoris et gloriæ, et, ut concludam breviter, emarcuerat a facie rusticorum pene totius Loegriæ omnis audacia militaris. Nam quis unquam credidisset, non solum rusticos, sed rusticorum abjectissimos, non plures, sed singulos, audere thalamum regis, vel matris ejus, cum baculis subintrare vilissimis, et unumquemque de militibus

Cowardice of the garrison.

[1] *arripiunt*] accipiunt, W. | [2] *quo*] quæ, W.

Wals. Hist. i. 459.

deterrere minis, et quorundam nobilissimorum militum barbas suis incultissimis et sordidissimis manibus contractare, demulcere; et verba modo familiaria serere de socialitate cum eisdem habenda de cetero, modo de fide servanda ipsis ribaldis, modo de juramento præstando, ut communiter cum eis regni quæ-rerent proditores, cum ipsi manifeste proditionis notam devitare non possent, quippe qui vexilla et pennicellos erigentes, tali modo cum armata manu pro modulo suo, scilicet modo prætacto, incedere non timebant? Et cum hæc omnia facerent, et, ut diximus, plerique soli in cameras concessissent,[1] et sedendo, jacendo, jocando, super lectum regis insolescerent, et insuper, matrem regis ad oscula invitarent quidam; non tamen, (quod mirum dictum est,) audebant plures milites et armigeri unum de tam inconvenientibus actibus convenire, non ad impediendum manus injicere, nec verbis secretissimis mussitare. Intrabant et exibant ut domini, qui quondam fuerant vilissimæ conditionis servi; et præferebant se militibus non tantum[2] militum, sed rusticorum, subulci; quia, ut credimus, Deus Anglicis demonstrare voluit, quod non in fortitudine sua roborabitur vir, nec in arcu vel gladio fore sperandum, sed in Eo qui salvat nos de affligentibus nos, et odientes[3] nos sua misericordia et pietate confundere consuevit. Sed de istis hactenus; modo de his quæ gesta sunt circa archiepiscopum, calamum dirigamus. A.D. 1381.

De his quæ gesta sunt circa archiepiscopum.

Cum ergo fatalis hora venisset, in qua manifestatum est divinam ultionem incubuisse regno Angliæ, rustici, ribaldi perditissimi, ganeones dæmoniaci, patrem communem totius populi, archipræsulem et primatem, quæsituri, instinctu diabolico portas Turris, ut prætactum est, illi per vias glomeratim et cum clamore terrifico sunt ingressi; reperto vero quodam ibidem e famulis, imperant furibunde ut eos ducat ad locum in quo pius pater, quem proditorem nominaverunt, delitescebat. Is autem, ipsorum mandato contravenire non audens, deduxit eos ad capellam; in qua, post celebratam missam et sacram perceptam Communionem, archipontifex[4] orationibus insistebat. The archbishop of Canterbury taken prisoner.

Nempe non inscius archipræsul eorum adventus et propositi, totam noctem præcedentem duxerat in confessionibus orationi- His resignation to his fate.

[1] *concessissent*] concessent, H.
[2] *tantum*] tam, W.
[3] *odientes*] custodientes, W.
[4] *archipontifex*] archiepiscopus, W.

A.D. 1381. busque devotis ; et ideo cum magna securitate eorum intrepidus exspectavit adventum, frequentissime, tam in missa sua quam post missam ab eo celebratam, moras eorum arguens tali modo, "Quando," inquiens, "sunt venturi? Deus bone, "quid exspectant?" Jam enim tempus esset, si Deo placeret, ut venirent. Cum autem eos adventantes audisset, cum magna instantia[1] dicit suis; "Vadamus modo," ait, "securi; "præstat enim mori cum non juvat vivere, neque enim ante "in vita nostra in tanta securitate conscientiæ mortui fuisse- "mus." Et post pusillum ingressi tortores, clamaverunt, "Ubi est regni proditor? Ubi communis vulgi deprædator?" Archiepiscopus vero, tamquam nihil omnino turbatus, ad clamores eorum ita respondit; "Bene," ait, "venistis, filii; ecce! ego sum archiepiscopus quem vos quæritis, non proditor aut deprædator." Igitur viso eo, mox membra diaboli, injectis in eum manibus sceleratis, rapiunt de capella, nullum deferentes honorem loco seu sacris altaribus, aut imagini Crucifixi quæ in summitate baculi ejus figurata erat, postremo nec Corpori Dominico, quod sacerdos coram eo tenebat; sed pejores dæmonibus, qui Christi sacramenta verentur et fugiunt, nihilipendentes Salvatoris præsentiam, trahunt per brachia, per capucium, per diversa loca ad eorum sectæ satellites, extra portas ad Montem Turris. Quo cum pervenisset, factus est clamor horrendissimus, non similis clamoribus quos edere solent homines, sed qui ultra omnem æstimationem superaret humanos clamores, et maxime posset assimulari ululatibus infernalium incolarum. Qualibus etiam clamoribus usi sunt in omni decapitatione cujuslibet, et prostratione domorum, quamdiu Deus permisit eorum nequitiam impunitam. Non tamen resonabant verba inter horrificos strepitus, sed replebantur guttura multisonis mugitibus, vel quod est verius, vocibus pavonum diabolicis.

Wals. Hist. i. 460.

f. 176.

He is dragged to Tower-hill.

He addresses the people.

Cum utique staret summus pontifex[2] inter eos, ut diximus, circumdatus nebulonum millibus, et gladios cerneret circa caput ejus extractos in numero excessivo, mortem sibi minitantes, circumstantibus dixisse fertur, "Quid est, carissimi "filii, quid est, quod proponitis facere? Quod est peccatum "meum quod in vos commisi, propter quod me vultis occi- "dere? Cavendum vobis est, ne, me interfecto, qui pastor, "prælatus, primas, et archiepiscopus vester sum, veniat super "vos indignatio justi vindicis, vel certe [pro] tali facto tota "supponatur Anglia interdicto."

---

[1] *instantia*] constantia, W.

[2] *summus pontifex*] archipontifex, W.

Wals. Hist. i. 461.

Vix hæc verba finire potuit, antequam horrisono clamore perstreperent, se nec interdictum timere, nec papam; solum superesse sibi ut collum submittat, qui falsus fuerat communitati et regni proditor, gladiis amputandum. Cernens autem archiepiscopus sibi mortem indubitatam imminere, nec superesse viam evadendi, post plura piæ exhortationis documenta, post prædicta verba salutaria, ut erat vir eloquentissimus, et incomparabiliter ultra omnes regni sapientes sapiens, novissime, post [re]missam speculatori[1] qui eum decollaturus erat, quantum in ipso fuit, offensam necis suæ, ut plene videretur Salvatorem moriendo sequi, qui Patrem pro persecutoribus exoravit, flexis genibus collum ferienti supposuit. Percussus vero in collo securi, sed non letaliter, apposita manu vulneri, ita dixit; "A! a!" inquit, "manus Domini est." Nondum manum de loco doloris amoverat, et secundo percussus, summitatibus digitorum amputatis, et arteriarum parte, cecidit; sed nondum occubuit, donec octavo ictu miserabiliter mutilatus in collo et in capite, dignum, ut credimus, martyrium complevisset. Jacuit ibidem corpus ejus inhumatum toto illo die Veneris, in quo fuit festum Sancti Basilii, et in crastino, nemine illud audente tradere sepulturæ, propter metum irrationabilis vulgi undique debacchantis. Percussor ejus mox divinam sensit ultionem, in furiam actus et cæcitate percussus. Quidam etiam ex rusticorum turba, instigatus avaritia, nocte sequente ejus decollationem, latenter accessit ad corpus, ut anulum, qui in digito ejus fuerat, furtive detraheret.[2]

A.D. 1331.

He is beheaded with great suffering.

God's vengeance on his executioner.

Quidam insuper, a multis annis cæcus, quem diu idem pontifex ex eleemosyna sua sustentaverat, audita morte ejus et causa, fiducialiter petiit a Deo per ejus merita sibi visum restitui, et visum recepit. In sepultura sua, quidam de Doveria, qui jam duos annos in cæcitate transierat, per visum admonitus ad corpus venit, et ea nocte lumen sibi redditum fore gaudebat. Mulier quædam, quæ impregnata fuerat et parere nullo modo poterat, postulato ejus auxilio, eodem die deliberata est de tribus masculis puerulis, qui omnes baptizati sunt. Multaque miraculorum signa alia post ejus mortem divinitus sunt ostensa, et divinæ ultionis indicia manifesta in eos[3] qui vel mortis ejus auctores fuere vel in ejus necem voluntarie consensere, quæ in sequentibus, cum res et tempus postulaverint, inseremus.

Miracles wrought through his merits.

Interfecti sunt cum eo Robertus Hales, miles strenuissimus, magister hospitalis Sancti Johannis et regni thesaurarius, et

Other persons murdered.

[1] *speculatori*] spiculatori, H.

[2] At the foot of f. 176 is written, "Ex castro ductus est præsul decapitatus;" and in the margin, "martirium archiepiscopi," H.

[3] *eos*] eis, H.

A.D. 1381. f. 176 b. Johannes Leg, unus ex lictoribus regiis, et quidam frater de ordine Sancti Francisci; ob iram scilicet et rancorem quem in ducem gerebant Lancastriæ, Johannem de Gandavo, quia familiaris ei fuisse dicebatur. Decapitati sunt eodem die quamplures, tam Flandrenses quam Anglici, ob nullam quidem causam, sed ad explendum crudelitatem tunc dominantium rusticorum. Erat namque eis solemnis ludus, si quem apprehendere poterant qui eis fidem non fecerat, aut cum eisdem pari mente non gradiebatur, aut si quis ex ipsis quemquam exosum habuisset, repente tali detrahere capucium, cum clamore consueto, et mox in plateis certatim ruere ad decollandum eum; nec ullam reverentiam impendebant sacris locis, sed de ipsis ecclesiis et in sanctuario passim trucidabant quos odio habuerunt. A fide etenim digno referente cognovi tresdecim Flandrenses violenter extractos fuisse de ecclesia fratrum Augustinensium, quæ sita est Londoniis, et in strata publica decollatos; et ab alia parochiali ecclesia in eadem urbe, decem et septem; qui[1] omnes, spreta reverentia sanctuarii, Deique timore, quia tunc temporis ipsa turba maledicta hominem non reverebatur, consimili multatione capitum fuisse peremptos. Wals. Hist. i. 462.

Angustia magna in qua rex fuit.

The king offers terms to the rioters.

Cum iccirco tantas transgressiones perpetrari viderent rex et qui de concilio ejus fuerant, post repentinos tractatus et subitos, quia tempus illud diutinam non permittebat deliberationem, et maxime, quia omnes et singuli confrenabantur de occisione Cantuariensis archipræsulis et regni thesaurarii, qui potissimi in regno fuerunt, et quia timebant, occisis majoribus, minoribus non esse parcendum; dominus rex, cum deliberatione concilii quod tunc cum eo fuit, ut sedaret furorem qui tunc in cursu exstitit, obtulit eis pacem, ea conditione ut cessarent ab incendiis domorum et dejectionibus, et hominum interfectionibus, et redirent ad propria, sine pluri, ibidem præstolaturi chartas confirmatorias pacis prædictæ. Quod Est-saxones libenter audierunt, eo quod jam pertæsi diutini laboris afficiebantur quodammodo domibus, uxoribus, et liberis, revisendis. Statuerunt tamen quosdam ex ipsis, qui, illis recedentibus, remanerent, pro chartæ regiæ acquisitione. Factumque est ut, recedentibus ipsis, remanerent Kentenses, tota nocte sequente.

The men of Essex return home.

[1] *qui*] So in the MSS.

Wals. Hist. i. 463.

Ut rustici disposuerant Londonias concremasse.

A.D. 1381.

Crastinus dies advenerat, quæ fuit dies Sabbati, dies Sanctorum Viti et Modesti, septimo-decimo kalendas Julii, infra octavas festi Corporis Christi, et ecce! Kentenses pene nihil remissius egerunt in omnibus sceleratis operibus, quam die fecerant præcedente; sed mortibus hominum, domorum dejectionibus, et incendiis, vacaverunt. Rex autem ad Kentenses misit, qui nunciarent socios recessisse, de cetero victuros in pace, et velle eis eandem formam concedere, si eis acceptare placeret. Ductor ergo illorum[1] maximus, dictus Walterus Helyere, vel Tylere, (nam talia nomina sibimet imposuerunt ex industria,) vir versutus et magno sensu præditus, si ingenium decrevisset bonis usibus adaptasse, pacem quidem se dixit amplecti, sed si conditiones secundum ejus arbitrium dictarentur. Decreverat utique regem, regisque concilium, quia fortior illis esse videbatur, usque in crastinum cavillationibus suspendisse, ut nocte sequente suum perversum propositum liberius consequi potuisset. Cogitaverat etenim in ipsa nocte, quia cuncti communes pauperes, videlicet urbis Londoniarum, illis favebant, civitatem despoliasse, occiso prius rege et majoribus sibi adhærentibus, et eam, quatuor locis injectis ignibus, conflagrasse. Sed qui superbis resistit Deus, humilibusque dat gratiam, non permisit ejus impias imaginationes et affectus ad finem usque perduci; sed gratiose et subito iniquum ejus consilium dissipavit. Cum enim trina vice chartæ fuissent sibi conscriptæ, secundum formam quam in sequentibus demonstrabimus, et nulla illarum illi placere potuisset, novissime rex destinavit ad illum quendam e suis militibus, qui vocabatur Johannes Newntone, ut non tam invitaret quam rogaret eum, quia superbia ejus nota erat satis regi, ad accedendum et tractandum cum rege de articulis pro quibus instabat suæ chartæ inserendis; de quibus unum inseram nostris chronicis, ut legentibus constet clarius ceteros fore contrarios rationi.

The men of Kent continue to riot.

The designs of Wat Tyler.

The king proposes a conference with him.

De superbia Walteri Tyler.

Voluit namque, ante alia, commissionem pro se et suis obtinuisse, ad decollandum omnes juridicos, escaetores, et universos, qui vel in lege docti fuere, vel cum jure, ratione officii, communicavere. Mente nempe conceperat, doctis in lege necatis, universa juxta communis plebis scitum de cetero

His intention to destroy all persons connected with the law.

[1] *illorum*] eorum, W.

A.D. 1381. ordinari, et nullam omnino legem fore futuram, vel, si futura foret, pro suo arbitrio statuenda. Fertur revera cum superbia magna dixisse, pridie quam ista fierent, apposita manu sua sûis labiis, quod ante quatriduum omnes leges Angliæ de ore suo et labiis emanarent. Igitur cum, [ut] diximus, dominus Johannes Newntone pro acceleratione instaret penes eum, indignando respondit; "Si," ait, "tibi multum f. 177. "festinandum fuerit, redeas ad dominum tuum regem; ego "vero veniam cum placebit." Post regressum vero militis, et ille vectus equo subsecutus est, sed tamen paulo tardius. Altercation between Tyler and Sir John Newnton, the king's messenger, in Smithfield. Cumque venisset et esset non procul a loco in quo rex constitutus fuerat, Smythefeld appellato, destinatus est ad eum secundo prædictus miles, ad audiendum et referendum vota sua. Miles autem, dextrarium insidens, accessit ad eum, auditurus quid dicere proponebat. Ille quidem indignatus quia equo vectus miles accesserat, et non pedes, mox cum furore dixit, decere eum potius pedes quam equum insidens suæ præsentiæ propinquare. Miles ergo, nondum oblitus omnino militiæ seu veteris probitatis, illico sic respondit; "Sedenti," inquit, "tibi in equo non est injuriosum me equitem acces- "sisse." Ad quod verbum indignatus nebulo, mox extracto cultello, quem *daggard* vulgo dicimus, ictum militi minabatur, cum adjectione verborum quibus eundem militem proditorem appellavit. At miles, abhorrens illud nomen, eum mentiri asseruit animose, extracto contra eum æque tali cultello. E contrario, ribaldus non ferens inter suos rusticos illatam contumeliam, paravit in militem irruisse. The king interferes to restore order. Rex igitur videns militi periculum imminere, ut mitigaret animum pro tempore ganeonis, militem jussit equo descendere, et cultellum, quem traxerat, reddere nebuloni. Cumque non sic mitigari posset ejus elatus animus, quin omnibus viis et modis vellet in militem irruere furibunde, accesserunt ad regem, qui juxta stabant, major Londoniarum, Willelmus Walworth, et plures de militibus et armigeris regiis, asserentes dedecus inauditum et interminabile, si, illis præsentibus, rex permitteret nobilem militem tam pudendæ morti succumbere coram eo. Quapropter succurrendum fore sibi celerius,[1] et ribaldum arrestandum.

Wals. Hist. i. 464.

Tyler is seized and slain. Quibus auditis, rex, quamquam puer esset et tenerioris ætatis, concepta audacia, jussit majori Londoniarum ut eum arrestaret. Major autem, vir incomparabilis animositatis et audaciæ, indubitanter eum illico arrestavit, librato ictu ejus capiti, qui eum plurimum perturbavit. At mox ab aliis ministris regiis circumclusus, gladiis diversis in locis corporis

[1] *celerius*] corlerius, H.

Wals. Hist. i. 465.

transverberatur; corruensque de equo in terram, primum dedit spem Anglicanæ militiæ, fere mortuæ, communibus posse resisti.[1] Statimque, ut communes viderunt ejus ruinam, præ dolore cordis[2] clamaverunt, "Mortuus est capitaneus noster; "proditiose peremptus est ductor noster. Stemus simul; mo- "riamur cum ipso; sagittemus et vindicemus viriliter mortem "ejus." Tensis ergo arcubus, sagittare pararunt. Rex vero ultra ætatem mirabiliter ingenio præventus et audacia, concito calcaribus urgens equum ad illos[3] accessit, et in circuitu ipsorum[4] equitans, dixit eis, "Quid est hoc, homines mei, "quod[5] agitis? Numquid sagittare vultis regem vestrum? "Non causemini, nec sitis tristes de morte proditoris et "ribaldi. Ego enim ero rex vester, ego capitaneus et ductor "vester. Sequimini me in campum, habituri omnia quæ- "cumque vos petere delectabit." Hoc autem fecit rex, ne rustici, in amaritudine mentis constituti, ignem immitterent in domibus apud Smythfeld, ubi fuerunt quando ductor eorum, præfatus proditor, est occisus. Igitur in apertum campum secuti sunt regem et milites qui cum eo erant, nondum plena deliberatione certi, utrum regem perimere debuissent, an omnino conquiescere et domum cum charta regia remeare.

A.D. 1381.

The king by his courage prevents a riot.

He leads the mob into the open country.

Interea major Londoniarum, cum solo quodam famulo festinanter equitans, ingressus civitatem clamare cœpit; "Cives "optimi, gratissimi, piissimi, fidelissimi, succurrite sine mora "regi vestro perimendo; mihique succurrite, vestro majori, "in eodem periculo constituto; vel si non decernitis mihi "succurrendum, propter mea demerita, tamen nolite relin- "quere regem vestrum." Hæc cum audissent optimates de Londoniis, et ceteri quorum cordibus amor regis inhæserat, subito decenter armati sunt ad numerum mille virorum; et mox parati in plateis constiterunt, exspectantes quemquam ex militibus qui eos ducere posset ad regem. Obtulitque fortuna pluribus Robertum Knollis, quem omnes rogaverunt ut esset ductor eorum, ne incomposite et inordinate venientes facilius frangi possent. Qui gratanter duxit partem illorum, partem vero alii milites, fulgentem armis splendidissimis, ad regis præsentiam perduxerunt.

The mayor of London calls on the citizens to aid the king.

They get under arms under command of Sir R. Knollis.

Rex autem, et [qui] cum eo erant milites et armigeri, de insperato armatorum adventu et adjutorio plurimum lætificati, repente circumcinxerunt omnem turbam undique rusticorum viris bellatoribus, velut cum oves caulis includuntur, usquedum

The insurgents are surrounded.

---

[1] Here is added in the margin, "Mors ganeonis," H.

[2] *cordis*] mortis, W.

[3] *illos*] eos, W.

[4] *ipsorum*] eorum, W.

[5] *quod*] quid, W.

A.D. 1381. mercenario complacuerit quas vult in pasturam emittere et quas vult morti deputare. Cernere erat ibidem mirabilem dextræ Dei mutationem; modo projectis baculis, securibus, bipennibus, gladiis, arcubus, et sagittis, rusticos ad terram ruere suppliciter, gratiam postulare, qui parum ante et regis et regalium vitam in sua non gratia, sed potestate, habuisse gloriabantur. Delitescebant miseri in frugibus, in foveis, in antris, in sulcis, per fugam vel absconsionem vitam salvare cupientes; in quorum jamdudum manibus mors et vita nobilium pene totius Loegriæ sitæ fuerunt. Milites iccirco, qui cum rege fuerunt, cupientes non tam eorum injuriam quam infamiam in rusticos vindicare, rogaverunt regem, ut permitteret eos vel saltem centum vel ducenta capita nebulonum tollere, ut monumentum esset [in] posterum viros ordinis militaris vel aliquid in rusticos valuisse. Rex vero eorum postulationibus noluit acquiescere, asserens plures ex ipsis timore ductos turbam fuisse secutos, et posse tali modo evenire, fortassis, ut qui nihil peccaverant plecterentur, et delinquentes impunitate gauderent. Jussit tamen ut Londoniis statim proclamaretur, nec[1] cives de cetero communicarent cum illis, nec admitterent quemquam ex illis in civitate ea nocte; sed permitterent eos sub divo ruri pernoctare. Chartam nihilominus, quam petierant, scriptam ac sigillatam, ad devitandum majus malum pro tempore, tradi jussit eisdem, sciens nondum Estsexiam pacificatam, aut Kantiam fore sedatam; quarum provinciarum communes et rustici parati erant ad insurgendum, si citius eorum non satisfieret[2] voluntati. Tenor chartæ extortæ per vim a domino rege talis exstat, mutatis nominibus comitatuum, prout diversis comitatibus mittebantur.

Wals. Hist. i. 466.

f. 177 b.

The king interferes to protect them;

and orders their charter to be given to them.

Charta regis de manumissione rusticorum.

Charter of manumission.

" Ricardus, Dei gratia rex Angliæ et Franciæ, et dominus
" Hiberniæ, omnibus ballivis et fidelibus suis, ad quos præ-
" sentes literæ pervenerint, salutem. Sciatis quod, de gratia
" nostra speciali, manumisimus universos et singulos ligeos
" ac subditos nostros, et alios, comitatus Herfordiæ, et ipsos,
" et eorum quemlibet, ab omni bondagio exuimus, et quietos
" facimus per præsentes; ac etiam perdonamus eisdem ligeis
" ac subditis nostris omnimodas felonias, proditiones, trans-
" gressiones, et extortiones, per ipsos, vel aliquem ipsorum,[3]

---

[1] *nec*] ne, W.
[2] *satisfieret*] satisfaceret, W.
[3] *ipsorum*] illorum, W.

Wals. Hist. i. 467.

" qualitercumque factas sive perpetratas, ac etiam utlegariam A.D. 1381.
" et[1] utlegarias, si qua vel quæ in ipsos vel aliquem ipsorum
" fuerint, vel fuerit, his occasionibus promulgata vel promul-
" gatæ; et summam pacem nostram eis, et eorum cuilibet,
" inde concedimus. In cujus rei testimonium has literas nos-
" tras fieri fecimus patentes. Teste me ipso apud Londonias,
" quintodecimo die Junii, anno regni nostri quarto."

Habita ista charta, communes ad propria recesserunt; sed tamen priora mala facere minime cessaverunt, prout demonstrabimus in sequentibus: in processu videlicet quem, post reditum suum, villani de Sancto Albano fecerunt. Qui ut plenius cognoscatur, altius materiam repetemus, reincipientes a die exitus ipsorum, scilicet die Veneris præcedente. The insurgents retire.

Processus de maleficiis et malitia villanorum de Sancto Albano contra abbathiam, etc.

Cum ergo, [ut] in anterioribus est prædictum, villani de Sancto Albano et famuli de abbathia pervenissent ad prædium de Heybiry, ipso die Veneris in crastino festi Corporis Christi, et inde pertransissent et Londonias pervenissent, mox villani, abbathiæ famulos relinquentes, ad malignitatis se commenta converterunt. Adeuntes namque ecclesiam Sanctæ Mariæ de Arcubus, quæ sita est Londoniis, ibidem tractare cœperunt de ancillatione monasterii, et quomodo ea, quæ diu inter eos secrete voluerant, perducere possent ad effectum; ut videlicet novis gauderent bundis circa villam, in quibus libere sua pascerent animalia, et piscationem sine calumpnia in certis obtinerent locis, necnon venationes et aucupationes iterum haberent in certis locis, et pro suæ voluntatis arbitrio molas erigerent manuales ubicumque placeret; et ut ballivus libertatis nihil interponeret infra villæ limites, et obligationes reposcerent, quas fecerant quondam parentes eorum piæ memoriæ abbati Ricardo de Walyngford, et alias chartas, si quæ forent illis præjudiciales; omnia quoque, breviter perscribendo, quæ forent inventa munimenta[2] in abbathia vel illis firmamento vel monasterio detrimento. Et ut celerius[3] optatum consequerentur effectum, quidam laudaverunt Walterum Tylere adeundum,[4] ducem ribaldorum et rusticorum de Kantia, ut, accepta ab eo potestate, quia nunquam putaverunt majorem in regno futurum, nec leges terræ de cetero valituras, eo quod jam maxima The men of St. Alban's, arriving in London, take counsel to get back their ancient privileges from the abbey. Some propose to apply to Wat Tyler for help.

[1] *et*] vel, W.
[2] *munimenta*] monumenta, H.
[3] *celerius*] scelerius, H.
[4] *adeundum*] adeundo, W.

A.D. 1381. pars juridicorum perempta fuerat, et reliqua juxta æstima- Wals. Hist. i. 468.
tionem ipsorum fuerat perimenda, domum redirent, et strictis conditionibus expeterent quæ volebant: ut videlicet, si abbas decerneret negandum esse quod peterent, mox incendium comminarentur domui et mortem monachis, necnon postremo totius monasterii demolitionem, ita ut in eo non relinqueretur lapis super lapidem. Alii vero asserebant esse securius adeundam regis præsentiam, quæ tunc nulli neganda fuit, et ab eo esse petendam literam, sub privato sigillo, abbati dirigendam, ut videlicet abbas eis redderet libertates et jura, quæ patres et antecessores eorum Henrici regis temporibus habuerunt. Laudatum est utrumque consilium, et tam regem pro litera abbati dirigenda, quam Walterum pro mittendis, si necesse foret, in subsidium eorum, et loci destructionibus,[1] ganeonibus, adierunt.

Others advise application to the king for a letter.

Both plans adopted.

William Grindecob obtains the letter from the king.

Willelmus Grindecob, qui plura debebat monasterio, tum quia educatus, nutritus, et exhibitus ibidem fuerat, tum propter propinquitatem monachorum, qui ejus consanguinei fuerant, et pro tunc fuerunt, maximus prosecutor istorum negotiorum exstitit penes regem; ita ut sexta vice coram turba regi genua flecteret pro dicta litera, quam et obtinuit, obtinenda. Ipse etiam in primis principalis prolocutor [exstitit] pro istis negotiis ipsi Waltero, idolo[2] rusticorum. Fuerunt tamen quam-
f. 178. plures alii coadjutores malitiæ suæ penes ipsum, qui in tantum abbatem et priorem, et quosdam e monachis, depravarunt de injusta dominatione in suos rusticos, de oppressione communium, de retentione stipendiorum pauperum et servientium, ut commoverent ipsum Walterum, quamquam non fuisset propositi sui recedere de Londoniis, nec quemquam a se de suis sequacibus mittere, ad promittendum eis adventum suum ad radendum barbas abbatis et prioris, et ceterorum monachorum, id est, ad decapitandum eos, cum numero viginti millium, si necesse foret, vel si ducerent mittendum esse pro ipso; ita duntaxat, ut ipsi[3] in omnibus ejus mandatis parerent, et nihil præterirent de universis quæ mandaret. Et dedit eis mandata quæ facerent mox post eorum adventum ad propria, sicuti dederat universis et singulis qui de eo recesserant, vel recessuri erant, sub affirmatione juramenti, quod nihil præterirent intactum de ejus jussionibus et doctrina; quæ in sequentibus edicemus. Hac ergo accepta securitate, domum redire disponunt.

Wat Tyler promises to assist them.

Warning is Prævenit tamen eorum adventum quidam de famulis abba-

[1] *destructionibus*] destructione, W.
[2] *idolo*] ydole, H.
[3] *ipsi*] ipso, H.

Wals. Hist. i. 469.

thiæ, cursu equorum velocissimo, et mortuum nunciavit archiepiscopum, mortuum thesaurarium, mortuos quamplures alios, et nullam inesse communibus gratiam aut misericordiam, sed quoscumque odirent sine pietate trucidare; decollandum fore priorem, et alios ceteros monachos periculo subjacere, si vim et adventum communium exspectarent. Fugit ergo prior, et cum eo monachi quatuor, alii quoque familiares monasterii nonnulli, et per longa itinera, per magnaque pericula, quidam e monachis equis vecti, quidam pedibus, ad Tynemutham tandem trepidi pervenerunt. A.D. 1381. brought to St. Alban's. Escape of the prior and others.

Villani vero, non diu post recessum prioris, ut dicitur, redierunt; sed ante omnes, Willelmus Grindecob et Willelmus Kadyngdone, pistor, festinarunt, ut ipsi saltem aliquid fecisse viderentur ante adventum sociorum. Cupiebant revera specialius aliquid illis ascribi posse præ ceteris, ut magni postea haberentur. Hi igitur, in adventu illorum, nunciaverunt cuncta sibi prospere evenisse, de cetero non servos, sicut hactenus, sed dominos futuros esse, de magnis et mirabilibus negotiis contra abbathiam expedisse. Et ideo in primis, ad diffiduciandum abbatem, faldas quas[1] fecerat in Fauntone Wode[2] et silvis aliis, esse frangendas ipsa nocte, et portas de Exwode[3] et aliis silvis quantocius excidendas; domum quoque subcellerarii, quæ ex transverso[4] stratæ stabat ubi pisces venduntur, quia videbatur aspectum burgensium impedire et nobilitatem civium prægravare, (sic enim se jam vocabant,) omnibus viis et modis illico diruendam. William Grindecob and William Kadyngdone hasten to St. Alban's to rouse the people.

Ibid. ii. 1.

De furia acta apud Burye et morte prioris de Burye.

Exigit historiæ confusum ordinem confusio rerum in locis plurimis perpetratarum, et vix, pro varietate locorum et diversitate facinorum, uno tempore commissorum, servari potest ordo scribendi. Ecce enim! dum magna et nimis magna facinora scribo, diebus Veneris atque Sabbati gesta Londoniis, vix eorum explicare possum tragœdiam, quin eisdem diebus occurrunt scribenda similia apud Sanctum Albanum, ut prætactum est. Necdum apud Sanctum Albanum exarare possum commissam miseriam, antequam se offerat alibi aliquod par, aut magis exsecrabile, seu notabile, nefas. Simultaneous riots in various parts of the kingdom.

Eodem die Sabbati, ut generalis esse videretur ista tempestas, in partes Southfolchiæ et Northfolchiæ misit Deus iram Rising in Norfolk and Suffolk

---

[1] *quas*] quæ, W.
[2] Fawconewode, W.
[3] Eywode, W.
[4] *transverso*] adverso, W.

A.D. 1381. under John Wraw.

indignationis suæ, indignationem et iram, et tribulationum immissiones per angelos malos, quosdam videlicet de perfidis Estsexensibus periculosiores, angelis Sathanæ, qui informarent populum in quiete degentem, populum innocentem, ad tumultuationem superioribus similem, et converterent in suos dominos corda servorum. Qui confestim, efficientes magis quam proficientes, duce quodam sceleratissimo presbytero, dicto Johannes Wrawe, qui et ipse Londoniis fuerat pridie, et instructus a ganeone præfato, Walterǫ Tylere, de facili congregaverunt turbam, cujus numerus excedebat, ut ferunt, quinquaginta millia plebanorum. Hi autem, juxta morem eorum qui Londoniis furuerunt, in universis furentes, domos et prædia magnorum virorum legis peritorum prostraverunt, legis apprenticios occiderunt, et dominum Johannem Kavendische, justiciarium regni principalem, interceptum decollaverunt; et super collistrigium in foro villæ Sancti Edmundi de Bury caput ejus, in opprobrium, posuerunt. Priorem insuper Sancti Edmundi de Bury, dominum Johannem de Cantabrigia, virum industrium et sollertem, Orpheum Thracem,[1] Neronem Romanum, Bledgabred[2] Britannum, vocis dulcedine, pariter et cantus scientia, superantem, dum a facie eorum fugere niteretur, repente captum, crudeliter capitis truncatione peremerunt. Causa mortis ejus satis nota est: quia, cum esset circumspectus et prudens, causas domus suæ suscepit tuendas. Et quia fideliter decertavit contra villanos de Bury pro jure monasterii, accepit, ut diximus, sententiam capitalem prope villam de Mildenale, quæ ad jus ejusdem monasterii pertinere dinoscitur; non tam villanorum prædictæ villæ de Bury, suorum adversariorum, quam[3] propriorum servorum et nativorum, arbitrio simul et judicio, addictus morti. Corpus ejus, usque ad staminum nudatum et femoralia, in aperto campo sub divo jacuit inhumatum quinque diebus, nemine præsumente illud vel auferre, vel naturæ debitum illi munus impendere, propter sævitiam rusticorum.

Wals. Hist. ii. 1, 2.

The chief justice of England and the prior of Bury put to death.

f. 178 b.

The rioters enter Bury.

Perpetrato prædicto piaculo, proceres perfidiæ, cum plebe perfida, dictus scilicet Johannes Wrawe, cum præfata turba, ad villam de Bury properant,[4] et, nemine resistente, subintrant, caputque prioris prænominati in conspectu villanorum,[5] tamquam processionaliter circumeundo, in edito super lanceam perferentes, donec ad collistrigium pervenirent. Quo cum accessissent, in signum antehabitæ amicitiæ inter priorem et

[1] Tracem, H.
[2] Belgabred, W.
[3] *quam*] sed, W.
[4] *properant*] properavit, H.
[5] *villanorum*] villarum, W.

Wals. Hist. ii. 3.

Johannem Kavendysche, et derisionem utriusque personæ, capita, velut modo ad auriculandum, jam quasi ad osculandum, invicem super summitates lancearum cum maxima ineptia conjunxerunt. Postremo, cum talibus saturati fuissent ludibriis, utriusque caput iterum super collistrigium posuerunt. Deinde mox, in odium prioris, quandam domum quam ædificaverat et a fundamentis de novo construxerat, diruerunt. Quibus perpetratis, claustra ingressi monasterii, dominum Johannem de Lakynghethe, custodem baroniæ, illis tradi jusserunt, comminantes incendium monasterio, nisi traderetur. Cumque staret inter illos, mirum dictu, nulli eorum nota fuit persona sua. Sed hæc omnia perfecerunt instinctu villanorum, qui ad hæc eos, ut facile erit probare ex sequentibus, occulte conduxerant, ipsis se a turba subtrahentibus, ut vel sic a tantis sceleribus esse viderentur immunes. Itaque præfatus Johannes, cavens domus suæ periculo, respondit se esse quem quærebant, interrogans ad quid a communibus peteretur; ad quem illi, "Ad "mortem," inquiunt, "proditor, te modo quærimus; non enim "diutius vitam protelabis." Quibus ille, "Ad mortem qui-"dem paratus sum, quam et libenter amplector; ita duntaxat, "ut istud monasterium nullum causa mei detrimentum pa-"tiatur." Moxque tractus ab eis, cum ingenti vociferatione quod invenissent falsum monachum, adduxissent proditorem, in foro publice decollatus est, octies percussus antequam caput esset a corpore separatum. Cujus caput illico super collistrigium capiti prioris sociaverunt. Nec his contenti, quendam alium monachum, videlicet Walterum Todyngtone, ad consimilem mortis pœnam quæsierunt; sed is occultatus diligentissime, cum non posset inveniri, mortis periculum evitavit.

A.D. 1381.

Murder of John of Lakynghethe, at the monastery.

Post hæc, evocatis cunctis monachis, dixerunt eos jam diuturno tempore per potentiam oppressisse consocios eorundem, burgenses villæ de Bury; quapropter voluerunt, ut in conspectu communium modo redderent obligationes, quibus obligati fuerunt regi et monasterio, si contigisset eos aliqua temptasse contra abbathiam; necnon et chartas insuper libertatum villæ, quas Cnuto, fundator monasterii, quondam concesserat; et quas successores sui reges, usque in præsens, ad firmamentum monasterii concesserunt. Monachi vero, sibi et suæ domui metuentes, si non parerent voluntati communium, omnia quæ petebantur, quæ scilicet vel villanorum firmamento vel illorum detrimento esse poterant, in forum coram omnibus protulerunt, jurantes inveniri non posse plures chartas, quæ villanorum commodo cedere possint, apud eos. Communes autem fidem dictis eorum vix dare volebant; sed vocatis villanis, qui simulabant in istis tristitiam, tamquam displicerent quæ gesta

The monks are forced to deliver up their charters and other deeds;

A.D. 1381. sunt, præceperunt eis ut diligenti scrutatione superviderent obligationes et chartas præfatas, et si ex his non possent consequi veteres libertates, edicerent, quibus gaudere solebant; et abbas, qui in carcere tenebatur apud Notyngham, Edmundus Brounfeld, quem deliberare proposuerant, ut in sequenti festo Sancti Johannis Baptistæ in suo monasterio solemniter divina celebrare deberet, post quadragesimum diem adventus ejus exinde confectam chartam sigillo suo muniret, et conventus idem facere sigillo communi non differret. Wals. Hist. ii. 4.

and surrender their jewels, as security for the grant of a new charter to the people.

Placuit hæc oratio monachis extrema metuentibus, et compellentibus communibus, et ita faciendum esse dictantibus; jocalia domus maxima, quandam crucem auream, et unum calicem de fulvo metallo pretiosum, aliaque nonnulla jocalia elata de monasterio, quorum pretium excedebat libras mille monetæ, tradiderunt vice pignoris manibus villanorum: ea videlicet conditione, ut si Edmundus Brounfeld, ut præmittitur, deliberatus a carcere gauderet ibidem abbatis honore, sigillum apponeret proprium, una cum consensu communi et sigillo conventus, infra tempus limitatum libertatibus eorundem; quod si prædicta conditio non esset impleta, remanerent prædicta jocalia in perpetuum penes villanos. Et ita quidem apud Bury res se habebant, mirum in modum, communibus petentibus pro villanis quæ ad eos minime pertinebant. De quibus rebus etiam scire non poterant, qualia quoque facere non debebant, nisi informatione et instigatione villanorum. Quis unquam crederet communes quemquam ex monachis, eis invisum, incognitum, innocentem, ad mortem petisse, quem insuper, eis astantem, non agnoscebant, si ad hæc minime inducti per alios exstitissent? Quid ad eos pertinuit
f. 179. libertates exquirere pro villanis, qui villam minime incolebant? Vel si villanis hæc omnia displicebant, cur recedentibus communibus, et pace reddita, ablata restituere distulerunt? Inexcusabiles prorsus mihi videntur, ut ex posteris clarius apparebit.

De furia acta in Northfolchia, et probitate episcopi Northwicensis.

Exaratis pro parte, quæ apud Burgum Sancti Edmundi contigerunt, prætermissis facinoribus apud Cantabrigiam perpetratis, et in comitatu Cantabrigiæ, necnon in insula Eliensi, quæ non fuere disparia, sed omnino similia sceleribus, in mortibus hominum et locorum demolitionibus, ceteris quoque malis

Wals. Hist. ii. 5.

quæ docuimus alibi perpetrata, ad ea quæ in Northfolchia gesta sunt transeamus.[1] A.D. 1381.

Rising under John Lytstere of Norwich.

Igitur, conglomerata ibidem communium turba non modica, duce quodam tinctore de Norwico, cujus nomen erat Johannes Lytstere, cœperunt, ut ubique locorum alii fecerant, et ipsi facere, nihil prætermittentes ex omnibus quæ audierant communes in aliis locis gessisse; sed majora insuper præsumentes, ad rapinas cœperunt extendere manus suas. Igitur nullus pene locus tutus ab his esse poterat, quorum omnium conspiraverat ad mala consensus. Et quoniam parva videbatur eis ad tanta mala facienda auctoritas propria, comitem Southfolchiæ, dominum Willelmum Ufford, duxerunt adhibendum turbæ communium, ut si contingeret inferiores impeti pro talibus causis in posterum, exhibere possent majorem, et parem regni, sub cujus umbra vel conniventia hæc fecissent. Sed comes, præmunitus de eorum adventu, repente surrexit a cœna ad quam consederat, et iter faciens per deserta, per invia, per loca ultra citraque posita, semper declinans turbas communium, tandem pervenit ad Sanctum Albanum; et ita pervenit ad regem, garcionem domini Rogeri de Boys se simulans, manticamque post tergum ducens. Communes autem, eo frustrati, subito loca quorundam aliorum militum occupantes, et eos in eisdem invenientes, compulerunt in sua vota jurare, ac pro majori cautela cum ipsis per patriam equitare. Quod nisi fecissent, confestim morti turpissimæ[2] succubuissent. Nomina militum qui eos sequi compulsi sunt, fuere, dominus [ ] de Scales, dominus Willelmus de Morle, dominus Johannes de Brewes, dominus Stephanus de Hales, dominus Robertus de Salle; qui Robertus non diu vivus permansit inter eos, quia dissimulare nescivit, ut ceteri, sed cœpit eorum facta condemnare publice,[3] et horrere; ob quam causam, a quodam rustico repente percussus in cerebro, nativo videlicet proprio, exspiravit: miles, qui mille ex eis solus terruisset, si contigisset eum aperto Marte pugnasse contra eos. Ceteri vero, cernentes vel esse dissimulandum vel turpiter moriendum, casu [consimili],[4] et periculo docti præfati militis, decreverunt universa laudanda quæ ipsi [laudarent, et vituperanda quæ eis displicerent. Unde contigit, ut in gratiam][4] recepti dicti nebulonis, Johannis Lytstere, qui se Regem Communium appellabat, mererentur prægustatores effici ciborum ejus et potuum, et flexis genibus ei obsequi in prandio residenti. Nempe dominum Stephanum de Hales, quia miles honorabilis

Design of the rioters to place the earl of Suffolk at their head.

He escapes.

Certain knights forced to join the mob.

Murder of Sir R. de Salle.

[1] *transeamus*] transiemus, H.
[2] *turpissimæ*] turpissimo, H.
[3] *publice*] dupplice, H.
[4] Om. H.; supplied from W.

A.D. 1381. fuerat, ad scindendum coram eo præelegit, et prægustandum cibaria quæ sumpturus erat; ceteris quoque alia officia designavit. Wals. Hist. ii. 6.

The rioters send two of the knights to obtain their charter from the king.

Cumque jam fatigari communes cœpissent, et multi dies pertransissent, consilium inierunt, ut mitterent duos ex militibus, dominum scilicet Willelmum Morle, et dominum Johannem Brewes, cum tribus in quibus fidebant ex communibus, ad regem Londonias, vel ubicumque posset inveniri, pro charta manumissionis et remissionis obtinenda; quæ ut specialior esset ceteris chartis, aliis comitatibus concessis aut concedendis, magnam summam pecuniæ quam ceperant de civibus Norwicensibus, sub obtentu salvandæ urbis a cædibus, incendiis, et rapinis, præfatis nunciis tradiderunt, ut videlicet pacem et libertatem, quam ipsi non meruerant, pecunia impetraret.

They are met by the bishop of Norwich.

Milites ergo, acceptis comitibus de comitiva communium, ad exsequendum properant injunctum mandatum; et cum pervenissent ad villam de Igingham, quæ non multum distat a villa quæ dicitur Novum Forum, inopinate fit eis obviam episcopus Norwycensis, dominus Henricus le Spencer, vir idoneus satis armis gerendis bellicis, et ipse armatus ad unguem. Audierat namque famam, cum moraretur juxta villam de Staunforde,[1] tumultuationis Northfolkensium; quare proposuit illuc descendere, ad videndum utrum clamorem opere complevissent.[2] Habebat tunc in comitatu suo non plures quam octo lanceas, et sagittariorum numerum perexilem. Videns autem milites et quosdam e communibus, sine mora præcepit, sub ligeantia sua, militibus, ut edicerent, si qui ex proditoribus regis[3] præsentes essent cum illis. Milites vero, quos dudum rusticalis timor absorbuerat, dissimulabant respondere, æstimantes episcopum, quia juvenis erat et audax, inconsulte verba talia protulisse, nec habere qui adjuvarent, si proditores prodidissent.

f. 179 b. Episcopus autem, cernens et considerans rem, ut erat, hortabatur eos ut confidenter agerent, et, si qui adessent, traderent proditores. Tunc milites, velut detersa ignavia et sumpta audacia, responderunt, duos ex maximis concitatoribus inter eos præsentes adesse, tertium, pro eorum coemendo prandio, alibi concessisse; sed et causam eorum itineris per ordinem narraverunt. Episcopus ergo statim illos duos decapitari jussit,[4] et tertium ipsemet requirere studuit; ovem suam videlicet, quæ perierat, et dum a regia fide desciverat, et quæ pe-

Two of the rebels in their company are beheaded.

[1] *juxta . . Staunforde*] apud manerium suum de Burlee, prope castellum regis de Okham, in partibus Stanfordiæ, W.

[2] *complevissent*] complevisset, H.

[3] *regis*] regiis, H.

[4] *jussit*] fecit, W.

Wals. Hist. 7.

ritura fuerat, tunc episcopali decreto capite punienda. Fixis ergo capitibus eorundem apud Novum Forum, episcopus cum militibus properat festinanter versus Northfolchiam, ad North Walsham, videlicet locum in quo communes exspectasse decreverant responsum regium et reditum sociorum. In pertranseundo vero[1] patriam, semper numerus episcopalium augebatur, quia de ordine militari et plures e patria generosi, qui delitescebant timore communium, videntes episcopum militem induisse, et galeam assumpsisse metallicam, et loricam duram, quam non possent penetrare sagittæ, necnon gladium materialem ancipitem arripuisse, ejus lateri se junxerunt.

A.D. 1381. The bishop advances on North Walsham;

Episcopus itaque, cum pervenisset ad locum præfatum, stipatus turba decenti, reperit rusticos, more bellatorum, fossata circumcinxisse locum in quem convenerant, et super fossam tabulas, fenestras, et ostia, cum palis, in defensionem sui fixisse. A tergo autem conspicit eorum cariagium et carectas locatas, tamquam de fuga minime cogitarent. Nec mora, episcopus martius, aperto Marte pugnaturus, commotus super audacia nebulonum, jubet tubicinibus et clarigatoribus suis canere; et ipse, arrepta dextra manu lancea, urget cornipedem acutis calcaribus, et tanta animositate, tanta audacia, efferatur in eos, ut cursu velocissimo fossam præoccuparet, citatior sagittis suis; nec erat opus arcitenentibus sagittare,[2] cum res jam manu ad manum cominus ageretur. Antistes ergo belliger, velut aper frendens dentibus, sibi nec hostibus suis parcens, ubi majus conspicit esse periculum, dirigit conatum[3] suum, et, hunc perforando, illum dejiciendo, alium vulnerando, non cessat lædere vehementer, donec omnis turba quæ eum secuta fuerat, nacta fossa, ad confligendum parata foret. Iccirco pugnatum est acriter ab episcopalibus, nec secus a communibus, donec, ut assolet, et infirmior conscientia partem terreret injustam, et animum ab audacia et voluntate subtraheret moriendi. Nihil est enim infelicius quam bella gerere cauteriata conscientia, qua timor et confusio semper solent ingeri, nunquam victoria provenire. Fugiunt iccirco meticulosi plebani, et quia nulla alia restabat via ultra carectas suas et cariagia, quæ retulimus eos a tergo suo locasse, per saltus iter facere elaborant. Sed præsul, imperatoris circumspecti ubique gerens officium, hos conatus elidit, et fugere meditantes cædendo impedit, impediendo cædit; donec captis majoribus turbæ concitatoribus, et ipso eorum rege, Johanne Lytstere, et quot

and totally defeats the rebels.

Lytstere is taken and hanged.

---

[1] *vero*] ergo, W.

[2] *sagittare*] sagitariis, W.

[3] *conatum*] cōtum, H.; tentum, W.

A.D. 1381. volebat occisis e communibus, et quot volebat ad vitam reservatis, plena victoria potiretur. Episcopus itaque præfatum Johannem, idolum Northfolkorum, addixit tractioni et suspendio, necnon decapitationi. Quem, auditum et absolutum virtute officii, ipsemet prosequebatur ad furcas, demonstrans in eo, quamquam vicisset eum, opus mansuetudinis et pietatis, sustentans videlicet caput ejus, ne collideretur a terra, dum ad suspendendum traheretur. Quibus ita gestis, nondum quievit episcopus, donec, perscrutatis per totam patriam malefactoribus, justitia fieret de eisdem. Sicque pacem peperit regioni, et indicibile toti regno commodum, laudanda probitas et audacia commendanda pontificis bellicosi. Wals. Hist. ii. 8.

Capitulum probans eos in ecclesiæ et fidei Christianæ, necnon regni, destructionem conspirasse.

The designs imputed to the insurgents.

Expeditis paucis quæ in Northfolchia gesta fuerunt, supersedeo scribere quæ mala in Southfolchia,[1] quot dampna in reliquis comitatibus, per viros diabolicos, in turbationem totius regni sunt expleta; nisi enim pleni fuissent dæmoniis, nequaquam in destructionem sacrosanctæ ecclesiæ et Christianæ fidei, necnon in regni exterminium, conspirassent. Probant hoc ipsorum[2] opera, probant et confessiones quorundam qui ex post capti sunt, quæ narrabimus loco suo. Ex operibus quippe judicandi sunt, quia patrem totius cleri et caput ecclesiæ Anglicanæ, archiepiscopum Cantuariensem, occiderunt. In fidei quoque detrimentum quid fecerunt? Magistros scholarum grammaticalium jurare compulerunt, se nunquam parvulos instructuros in arte præfata. Amplius quid fecerunt? f. 180. Munimenta[3] vetera studuerunt dare flammis; et ne de novo quis reperiri[4] valeret qui vetera sive nova de cetero posset, vel nosset, commendare memoriæ, hujusmodi trucidabant. Periculosum erat agnosci pro clerico, sed multo periculosius, si ad latus alicujus atramentarium inventum fuisset; nam tales vix aut nunquam ab eorum manibus evaserunt.

Jack Straw brought before the mayor of London, and condemned.

Quid in regni destructionem cogitaverant, probat confessio Johannis Strawe, qui fuit, post Walterum Tylere, maximus inter illos. Hic cum captus, et Londoniis, majore dictante sententiam, capite privandus esset, major Londoniarum, postquam dampnatus fuisset, publice eum taliter est allocutus; "Johannes," inquit, "ecce! mors tua instat absque dubio, et

[1] Northfolchia, W.
[2] *ipsorum*] eorum, W.
[3] *Munimenta*] Monimenta, H.
[4] *reperiri*] crepperiri, H.

Wals. Hist. ii. 9.

" nullam sperare potes viam evadendi. Quapropter, in adju- A.D. 1381.
" torium tui exitus, et pro salute animæ tuæ, absque mendacio
" narra nobis propositum quod inter vos concepistis, ad quem
" finem turbam communium commovistis." Cumque aliquamdiu hæsitaret, et differret loqui, major subjunxit, "Scias firmissime, O Johannes, quæ præcipio, si his parueris, in
" animæ tuæ commodum conversura; sed et ego in adjutorium
" tuæ animæ plures tricennales missas faciam celebrari;" multique, qui aderant ex civibus, idem promiserunt, unusquisque pro persona sua. Ipse vero, jam animatus tam pulchris pollicitationibus, ita cœpit; "Jam," ait, "mentiri [non expe-
" dit,] nec fas est falsa proferre; præsertim cum per ea noverim
" spiritum meum tormentis artioribus deputandum, et quia
" duplex spero commodum ex veritate dicenda: primo, quia
" reipublicæ profectura sunt quæ dicam, et postea, juxta pro-
" missa vestra, post mortem vestris suffragiis adjuvari, sine
" fuco eloquar falsitatis."

Confessio Johannis Strawe.

"Eo tempore," inquit, "quo ad le Blakeheth convenimus, His confes-
" quando pro accersiendo rege destinavimus, propositi nostri sion.
" fuerat, cunctos milites, armigeros, et ceteros generosos, qui
" cum eo venissent, morti subito tradidisse; ipsum quoque
" regem, inter nos regaliter exhibitum in universis, nobiscum
" de loco ad locum traduxisse, ut, eo viso, omnes, et præcipue
" commune vulgus, ad nos et nostram turbam transmigrare
" debuissent audacius, qui viderent ipsum regem esse velut
" auctorem nostræ commotionis. Cumque innumerabilem tur-
" bam conflassemus per omnes patrias communis plebis, repente
" dominos mortificassemus, in quibus consilium contra nos,
" vel resistentia, esse potuisset; et primo et principaliter,
" destructioni Hospitalanorum vacassemus. Postremo, regem
" occidissemus, et cunctos possessionatos, episcopos, monachos,
" canonicos, rectores insuper ecclesiarum, de terra delevisse-
" mus. Soli Mendicantes vixissent super terram, qui suffecis-
" sent pro sacris celebrandis aut conferendis universæ terræ.
" Cum vero nullus major, nullus fortior, nullus scientior,
" nobis superfuisset, leges condidissemus ad placitum, quibus
" subjecti regulati fuissent. Nam et reges creassemus, Wal-
" terum Tylere in Kancia, et in ceteris comitatibus singulos
" præfecissemus. Sed quia istud nostrum propositum impedi-
" tum fuit per archiepiscopum, majori odio exarsimus contra
" eum, et citius studuimus tradere eum morti. Rursum, eo
" die advesperascente quo occisus est Walterus Tylere, propo-

A.D. 1381. " suimus, quia commune vulgus Londoniensium nobis favebat, Wals. Hist. ii. 10.
" et præcipue pauperiores, injectis ignibus in quatuor partibus
" civitatis, urbem repente cremasse, et omnia pretiosa reperta
" inter nos pro libito divisisse." Et addidit, " Hæc fuerunt
" in nostro proposito, sicut Deus me adjuvet in exitu vitæ
" meæ."

He is beheaded. Post hanc confessionem factam, decapitatus est, et caput ejus positum super pontem Londoniis, juxta caput collegæ sui, Walteri Tylere. Ecce! hic edocuimus, qualiter in regni destructionem conspiraverunt. Ne autem insufficiens videnda fuerat ista unius confessio, confessi sunt eadem, vel omnino similia, plures alii, dum mortem adesse præ oculis cernerent, qui ex post capti sunt.

Nomina ductorum communium.

Names of the chiefs of the insurgents. Si quem[1] scire delectat nomina eorum, qui incentores et ductores fuere communium, inveniet hic inserta pro parte. Primus et principalis dicebatur Walterus Tylere; secundus Johannes Strawe: tertius, Johannes Kirkeby; quartus, Alanus reder; quintus, Thomas Scotte; sextus, Radulphus Rugge; hic multos multis possessionibus investivit, tempore ducatus sui. Hi et plures alii ductores Kentensium et Estsaxonum exstiterunt. Eorum qui apud Mildenale et Burgum Sancti Edmundi insanierunt, Robertus Westbrom, qui se regem fecerat, nominatissimus fuit post Johannem Wrawe; qui, quoniam presbyter erat, ut diximus, coronam apponere noluit super coronam; sed contentus una corona, quæ[2] erat satis incompetens, sacerdotali videlicet, nomen regium, et coronam, si placeret, dereliquit præfato Roberto. Apud North Walsham, præfatus Johannes Lytstere et nomen et potestatem, ut præmittitur, regiam exercebat.

Opiniones cur hæc mala acciderunt.

f. 180 b. Acciderunt hæc omnia mala diversis provinciis uno eodem
The cause of the outbreak traced by some to the growth of heresy; tempore, iisdem[3] fere diebus, quamquam itinere longissimo loca distarent, infra octavas videlicet festi Corporis Christi; multis opinantibus propter remissam curam archiepiscopi, ceterorumque comprovincialium episcoporum, hujus rei præcipue,

---

[1] *quem*] quidem, W.

[2] *quæ . . incompetens*] quæ erat ei satis competens, W.

[3] *iisdem*] hisdem, H.

Wals. Hist. ii. 11.

quam curasse debuerant, qua fides et stabilimentum Christianæ religionis consistit. Nempe cum novissent[1] indigne agere filios suos, Johannem scilicet Wyclife et sequaces ejus, dogmatizando perversam et dampnatam doctrinam Beringarii, de sacramento Corporis et Sanguinis Christi, et, longe lateque per patrias populum maculando, suam prædicationem dilatasse; ita ut pene majores provinciarum eorum primo sequerentur errorem, quia sciebant quod, A.D. 1381.

"Mobile versatur semper cum principe vulgus,"

et majorum exempla minores sequerentur; nec fuit ullus cornutus qui volebat, vel audebat, tantis malis occurrere, et filios perfidos correptione debita castigare; misisse creditur a multis Deum[2] tribulationem præfatam, eo præcipue tempore quo specialem de transubstantiatione[3] Corporis Christi facit sacrosancta ecclesia mentionem; archiepiscopum vero, quamquam credibile est eum martyrio vitam finisse, tamen propter teporem curæ quam adhibuisse debuerat in hac parte, horrenda mortis passione punisse, videlicet spiritui pie consulens, ut, si quid hac occasione purgandum in eo fuerat, aut ex alia levi culpa, quia sine peccato in carne ista non vivitur, quia, dicente sapiente, "Septies in die cadit justus et resurgit,"[4] tam terribili, tamque gravi, et tam aspera passione in hac vita penitus purgaretur.

Alii peccatis dominorum ascribebant causam malorum, qui in Deum erant fictæ fidei; nam quidam illorum credebant, ut asseritur, nullum Deum esse, nihil esse sacramentum altaris, nullam post mortem resurrectionem; sed, ut jumentum moritur, ita et hominem vitam finire. Erant præterea in subditos tyranni, in pares invidi,[5] invicem suspecti, vivendo incesti, violatores conjugii, ecclesiæ [destructores].[6] by others to infidelity of the nobles;

Alii imputandum esse communis vulgi facinoribus dicebant esse, quod accidit, quia in pace degentes bono pacis abutebantur, dominorum facta rodentes, noctes insomnes in potationibus, ebrietatibus, et perjuriis transigentes; vivebant in terra pacis sine pace, rixando, litigando, cum proximis contendendo, fraudes et falsitates jugiter meditando, libidini dediti, fornicationibus assueti, adulteriis maculati, "unusquisque post uxorem proximi sui hinniebat."[7] Et super hæc omnia, in fide et fidei articulis plurimi claudicabant. Quare by others to general immorality.

---

[1] *novissent*] venissent, H.

[2] *Deum*] Dominum, W.

[3] *transubstantiatione*] transubstancione, H.

[4] Proverbs xxiv. 16.

[5] *invidi*] tumidi, W.

[6] Supplied from W.

[7] Jeremiah v. 8.

A.D. 1381. non immerito opinatum est iram Dei descendisse in filios diffidentiæ. Wals. Hist. ii. 12, 13.

Nota :—Pro fratribus Mendicantibus.

The writer considers the Mendicant friars a great cause of mischief.

Mihi vero videtur, tempora mala non tantum istis imputanda, sed generaliter cunctorum habitatorum terræ peccatis, inclusive ordines sumendo Mendicantium, ad cumulandum causas malorum. Qui suæ professionis immemores, obliti sunt etiam, ad quid ipsorum ordines instituti sunt; quia pauperes, et omnino expeditos a rerum temporalium possessionibus, eorum legislatores, viri sanctissimi, eos esse ideo voluerunt, ut pro dicenda veritate non haberent quod amittere formidarent. Sed jam possessionatis invidentes, procerum crimina approbantes, commune vulgus in errore foventes, et utrorumque peccata commendantes,[1] pro possessionibus acquirendis, qui possessionibus renunciaverant, pro pecuniis congregandis, qui in paupertate perseverare juraverant, dicunt bonum malum [et malum bonum][2] seducentes principes adulationibus, plebem mendaciis, et utrosque secum in devium pertrahentes. In tantum etenim illam veritatis professionem suam perverse vivendo macularunt, ut in diebus istis in ore cujuslibet bonum sit argumentum, tenens[3] tam de forma quam de materia, "Hic est frater, ergo mendax;" sicut et illud, "Hoc est album, ergo coloratum." Sed ne videamur livore scripsisse præsentia, fateamur nos omnes in culpa, et emendemus in melius [quæ][2] scienter peccavimus; et Deum pacis et dilectionis deprecemur attentius, ut fiat pax et veritas in diebus nostris.

De vindicta in malefactores.

Scripsimus, non sine labore, in præcedentibus historiam tragicam, ad posterorum notitiam et cautelam, de dominatione rusticorum, debacchatione communium, insania nativorum. Modo redeundum recte videtur ad enumerandum quos fructus collegerint viarum suarum, regis et nobilium dominio respirante.

The king assembles an army.

Occiso, ut præmittitur, superbissimo nebulone Waltero Tylere, corruit spes et fiducia rusticorum; sed quia adhuc fluctuabant animi regis et regalium, cernentes[4] plebem pronam esse ad

[1] *commendantes*] commedentes, H.
[2] Supplied from W.
[3] *tenens*] teneris, H.
[4] *cernentes*] concernentes, W.

Wals. Hist. ii. 14.

malum, concesserunt eis chartas manumissionis, ut diximus, et remissionis forisfacturæ et eorum quæ sequuntur, et abire permiserunt. Quibus gestis, congregari fecit rex exercitum de Londoniis, et misit per patrias, ut qui diligerent regem et honorem regium, accelerarent ad eum Londonias, armis instructi et equis vecti; nullus veniret inermis,[1] nullus pedes, sed[2] qui non habebant arma remanerent domi, et consimiliter quibus equi defuerunt. Et factum est, ut infra triduum numeraret circa se quadraginta millia equitum, decentissime armatorum. Exibat cotidie ad le Blakeheth, ad recensendum numerum adventantium, ipse rex, in primis inter armatos armatus, equitans dextrarium grandem; et vexillum ante faciem ejus portabatur: in exercitu gaudebat conspici, et ab hominibus suis dominus recognosci. Cum ergo tantus coactus esset exercitus, quantus nunquam in Anglia simul fuerat ante conspectus, audivit rex Kentenses iterum conspirasse, iterum impiam familiam in totius regni perniciem congregasse. Quid multa? Indignatur rex, excandescit exercitus, et extemplo in Kanciam proficisci, et totum illud germen Kentensium et Juttorum statuerunt de terra viventium explantare.[3] Sed procerum et majorum Kanciæ interventu, qui fidejussere pro communibus, placatus factus est rex, et qui cum eo erant, super malignitate quam dixerant facere populo imperito. Et tunc primo missi sunt justiciarii ad sedendum et inquirendum de malefactoribus, et eis principaliter, qui auctores, et incentores, et concitatores fuere turbarum in Kancia; et siluit terra illa in conspectu eorum, et timuerunt valde.

A.D. 1381.

f. 181.

A threatened second rising in Kent.

Tunc major Londoniarum, et ipse sedens pro tribunali, cœpit tam urbis illius malefactores quam cunctos qui comprehendi possent[4] de Cancia, Estsexia, Southsexia, Northfolchia, et Southfolchia, et ceteris comitatibus ubi communes fuerunt, infra libertatem civitatis Londoniarum, ad judicium audacter trahere publicum, et universos quos reperit respersos præfata perfidia decollare. Tunc Johannes Straw, Johannes Kirkeby, Alanus Predere, ductores communium, decollati sunt. Tunc etiam Johannes Sterlinge de Estsexia, qui gloriabatur se archiepiscopum decollasse, et ipse decollatus est. Iste, mox post illud perpetratum facinus, arreptus a diabolo, insanire cœpit, et, domum veniens, nudum gladium a collo suo suspendit ante pectus suum, et cultellum, quem *daggarde* dicimus, etiam evaginatum, suspendit ad tergum; et ita vesanus circuibat per plateas et vicos, clamans et protestans se cum eis archiepiscopum occidisse. Et cum per dies aliquot domi moram

Executions in London.

End of the executioner of the archbishop.

[1] *inermis*] in armis, H.
[2] *sed*] et, W.
[3] *explantare*] explanare, W.
[4] *possent*] potuerunt, W.

A.D. 1381. fecisset, rediit Londonias, affirmans se mercedem accepturum ibidem illius facti. Quo cum pervenisset, et constanter fateretur se archiepiscopum decollasse, recepit capitalem sententiam pro mercede. Sed et hoc advertendum, quod cuncti de Kancia vel Estsexia, qui manus apposuerunt noxias super archiepiscopum, consimili modo confessi sunt, quamquam inviti, sponte tamen venientes, quæ in eum commiserant, et Londoniis pro majori parte decollati sunt. Wals. Hist. ii. 15.

Share of certain men of St. Alban's in the riot.

Tunc quoque accidit et villanis de Sancto Albano prognosticum futurorum malorum in eadem urbe. Nam cum quidam illorum conducti et missi fuissent per abbatem in supplementum regalis exercitus, noluerunt tamen (dubium an pro malitia aut superbia) fateri eos missos ad regem per abbatem, sed velut propria venissent auctoritate jactitare. Accidit tunc Ricardum Perreres, quendam ex armigeris archiepiscopi, qui et in obsequio etiam erat abbatis et ad robas ejus, eos in urbe videre, et recognoscere quod[1] quidam eorum malefactores fuerunt, et incentores malorum gestorum apud Sanctum Albanum.[2]

Commissio pro resistendo pacis perturbatoribus.

Writ for suppression of riots.

"Ricardus, Dei gratia, rex Angliæ et Franciæ, et dominus Ibid. ii. 16.
" Hiberniæ, universis[3] et singulis vicecomitibus, majoribus,
" ballivis,[4] et aliis fidelibus nostris comitatus N. salutem.
" Quia datum est nobis intelligi, quod diversi subditi nostri,
" qui,[5] contra pacem nostram, et in turbationem populi, in
" diversis comitatibus regni nostri Angliæ se levarunt, et in
" diversis conventiculis et congregationibus se posuerunt, et,
" dampna plurima fidelibus nostris perpetrando, populo nostro
" comitatuum prædictorum dant intelligi, et affirmant, se
" dictas congregationes et levationes ex nostris auctoritate et
" voluntate fecisse et facere, ac dampna perpetrare; vobis
" innotescimus per præsentes, quod hujusmodi levationes,
" congregationes, et dampna, ex nostra voluntate seu auctori-
" tate minime processerunt, prout nec procedere aut fieri
" debent; sed inde, quantum plus potest, nobis displicet in
" immensum, et ea in nostri maximum vituperium, et co-
" ronæ præjudicium, et totius regni nostri dampnum et tur-
" bationem, redundare sentimus. Et ideo vobis, et cuilibet
" vestrum, injungimus et mandamus, quod hoc in locis ubi

---

[1] *quod*] quid, H.
[2] Further details are given in W.
[3] *universis*] pro universis, H.
[4] *ballivis*] et aliis ballivis, H.
[5] *qui*] equi, H.

Wals. Hist. ii. 17.

" melius et celerius pro pace nostra in hac parte conservanda A.D. 1381.
" vobis videbitur faciendum, publice proclamari, et præ[1] re-
" sistentia quorumcumque contra pacem nostram, ut prædictum
" est, levantium, manu forti et cum[2] toto posse vestro, si
" necesse fuerit, taliter ordinari faciatis, quod, pro defectu
" hujusmodi proclamationis et resistentiæ, dampna vel mala
" aliqua in comitatibus prædictis per hujusmodi congrega-
" tiones seu levationes, vel alio modo, minime fiant seu per-
" petrentur; et sub forisfactura omnium quæ nobis forisfacere f. 181 b.
" poteritis, nullatenus omittatis; præcipientes universis et
" singulis ligeis et subditis nostris, quod ab hujusmodi con-
" gregationibus, levationibus, et dampnis, penitus desistentes,
" ad propria se trahant, et ibidem in pace morentur, sub
" forisfactura vitæ et membrorum, et omnium aliorum quæ
" nobis forisfacere poterunt. Teste me ipso, apud Londonias,
" octavo-decimo die Junii, anno regni nostri quarto. Per
" ipsum regem."

Order is thereby somewhat restored.

Hæc commissio fideles regis et regni plurimum confortavit, et perfidos, nec immerito, conturbavit. Compulsi sunt igitur quærere latebras, qui antea videri appetebant, et ausi sunt de cavernis egredi juristæ, et qui primitus a facie furoris fugiebant. Illi sub silentio jam exspectabant trementes judicium et justitiam in eos statuenda; isti, detersa[3] formidine, gaudentes erigebantur ad injurias suas alacriter vindicandas.

Estsaxones petunt libertates.

But the men of Essex still persist;

Attamen non in omni parte ad similem timorem rustici sunt perducti; quin ubi primum tota pustulavit[4] insania, in Estsexia, rustici, recollecta nova multitudine, ad Billerica, nimis fidentes suis viribus, propria decepti superbia, decreverunt vel extorta libertate gaudere, vel pro eadem pugnando mori. Mittunt ergo ad regem, qui tunc ad Waltham morabatur, qui sciscitarentur ab eo, si cogitaret permittere eos præmissa libertate gaudere; et amplius peterent, ut essent in libertate pares dominis, et quod non essent cogendi ad curias, nisi tantummodo ad visum franciplegii bis in anno. Rex autem et concilium, quod tunc aderat, super tanta temeritate rusticorum admirantur quam maxime; et aliquamdiu hæsitatum est quale responsum reportarent, donec rex in persona propria taliter respondisset; "O," inquit "invisi[5] et odibiles terræ marique, nec vivere

and call on the king for excessive privileges.

The king's answer.

[1] *præ*] pro, W.
[2] *cum*] pro, W.
[3] *detersa*] de terra, H.
[4] *pustulavit*] pullulavit, W.
[5] *invisi*] miseri, W.

A.D. 1381. " quidem digni, petitis dominis comparari. Morte turpissima Wals. Hist. ii. 18.
" multandi fuissetis proculdubio, si non decreta nunciis obser-
" vasse statuissemus. Sed quia more nunciorum advenistis,
" non in præsenti moriemini, sed vita gaudebitis, quatenus
" nostra responsa vestris consociis narratione veridica nuncie-
" tis. Perferte[1] ergo ista collegis ex parte regis. Rustici
" quidem fuistis et estis; et in bondagio permanebitis, ut non
" hactenus, sed incomparabiliter viliori. Nam ad hoc dum
" vivimus, et regno, Deo dante, præfuerimus, sensu, viribus,
" et catallis nostris elaborabimus vos suppeditare,[2] taliter ut
" exemplum sit posteris vestræ servitutis officium[3] et habeant[4]
" præsentes et futuri vobis similes semper coram oculis tam-
" quam pro speculo vestram miseriam, et vobis maledicendi
" materiam, et timorem vobis similia perpetrandi. Vos autem,
" qui nuncii advenistis, expleto vestro[5] mandato et vestræ
" legationis officio, si ad nos redire decernitis, et in nostra
" perseverare fidelitate et ligeantia, vita vivetis. Jam ergo
" eligite quod melius judicabitis, cum ad vestros socios per-
" veneritis, et consummaveritis vestra[6] mandata."

They are attacked and dispersed; Cumque abissent prædicti nuncii, missi sunt in Estsexiam e vestigio, cum armata manu, dominus Thomas Wodestoke comes Bokinghamiæ, et dominus Thomas Percy, frater comitis Northumbrorum, ad prædictorum comprimendum audaciam rusticorum. Rustici vero, ut prædiximus in superioribus Northfolkos fecisse, per omnia se munierant in fossatis, palis, et cariagio, præterquam isti fruebantur majori silvarum et nemorum tutamento. Qui quamvis fuisset eorum magnus numerus, levi negotio dissipati sunt a decem tantum, ut usu vulgari loquar, lanceis, qui præcesserunt dominos supradictos.

Quingenti occiduntur de Orientalibus Saxonibus.

and a certain number are slain. Domini itaque, cum vidissent eos fusos tali modo, sepserunt silvas, ne ullus quidem ex eis evaderet; licet periculosum fuisset eos persequi intra silvas. Et factum est ut occiderentur a viris utriusque [ævi],[7] in diversis locis, quingenti, ceteris beneficio nemorum protectis et salvatis. Cesseruntque ibidem in usus militum octingenti equi, quos rustici secum duxerunt, pro sarcinis trahendis aut portandis. Sed nondum statim finis post istam victoriam malitiæ nebulonum.

---

[1] *Perferte*] Proferte, W.
[2] *suppeditare*] subtilitare, H.
[3] *officium*] offensum, W.
[4] *habeant*] habebant, H.
[5] *vestro*] nostro, W.
[6] *vestra*] nostra, W.
[7] Supplied from W.

Wals. Hist. ii. 19.

Ausi sunt, qui evadere poterant tantam cladem, iterum calcitrare, iterum malignari. Nempe recollecti, qui dispersi fuerant, ad Collcestriam properaverunt, et oppidanos sollicitare cœperunt ad novam tumultuationem et vesaniam similem summis precibus, magnis minis, pluribus argumentis; sed cum nihil profecissent, ad Sudbiriam commigrarunt. Cognoscentes autem eorum transitum dominus Filius Walteri et dominus Johannes Harlestone, subsecuti sunt eos cum viris armatis, et repente, cum proclamationes solitas facerent ex parte communium, inopinate irruerunt super eos, et quot placuit occiderunt, et reliquos vel ad vitam dimiserunt vel carceribus recluserunt. A.D. 1381. They gather again, and are again dispersed.

Rebus ita[1] se habentibus in Estsexia et Southfolchia, dominus rex, volens Estsexiam sua justificare et pacificare præsentia, se contulit ad prædium suum, quod dicitur Haverynge-atte-Boure, et deinde ad villam de Chelmesforde; ubi constituit dominum Robertum Tresilyan justiciarium, ut sederet et inquireret de malefactoribus et turbatoribus patriæ, et, secundum regni consuetudines, puniret delinquentes. Cum ergo viderent Estsaxones fortunam adversam, et librarent mala imminentia, supplices venerunt ad regem quingenti, et eo amplius, viri, nudatis pedibus et discoopertis capitibus, veniam ab eo et misericordiam petituri. Quibus ea conditione concessa est venia, ut malefactores majores et concitatores præfatæ turbationis proderent, et traderent ipsi regi. Factum est ergo, ut multi custodiæ traderentur, super quibus deliberandis vel occidendis justiciarius oneravit viginti quatuor homines in eorum conscientiis, ut, nulli parcendo favorabiliter, nec quemquam propter odium persequendo, de eorum factis et moribus dicerent veritatem. Et factum est ut plures, dictante sic duodena, tractione et suspendio interirent, aliquando suspensis super unam trabem decem et novem. f. 182. Sir Robert Tresilyan sits at Chelmsford to try prisoners.

Usi sunt tamen prius judices, qui sederunt in Estsexia, Kancia, et Londoniis, propter multitudinem perimendorum, decollationibus rusticorum, donec visum fuisset pœnam capitalem non correspondere tantis tamque manifestis facinoribus; quia quodammodo erat nimis secreta punitio tam evidenti delicto. Ob quam causam, ex post, juxta regni consuetudines, decreverunt omnes repertos sceleratos, ut diximus, protractione et suspensione punire. Et in Estsexia res utique taliter se habebant. The severity of the punishments increased.

Interea placuit regi regisque concilio has literas diversis provinciis demandare:—

---

[1] *ita*] itaque, H.

A.D. 1381. *Literæ revocationis libertatum.* Wals. Hist. ii. 20.

The king revokes the charter of manumission.

"Ricardus, Dei gratia, rex Angliæ et Franciæ, et dominus "Hiberniæ, omnibus ad quos præsentes literæ pervenerint, "salutem. Licet nuper, in turbatione detestabili, per quosdam "ligeos et subditos nostros, contra pacem nostram insur- "gentes, horribiliter facta, certæ literæ nostræ patentes, ad "ipsorum insurgentium instantiam importunam, factæ fuissent, "continentes, quod nos universos ligeos et subditos nostros, "communes et alios, certorum[1] comitatuum regni nostri An- "gliæ, manumisimus, et ipsos et eorum quemlibet ab omni "bondagio et servitio exuimus et quietos fecimus; ac etiam, "quod[2] perdonavimus eisdem ligeis et subditis nostris omni- "modas insurrectiones, per ipsos contra nos factas, equitando "et eundo per diversa loca in regno nostro, cum hominibus "armatis, sagittariis et aliis, vi armata,[3] cum vexillis, et pen- "nicellis displicatis; ac etiam omnimodas proditiones, felo- "nias, transgressiones, et extortiones, per ipsos vel aliquem[4] "ipsorum factas sive perpetratas, ac etiam utlegariam et utle- "garias, si qua vel quæ in ipsos, vel aliquem ipsorum, fuerint, "vel fuerit, his occasionibus promulgata, vel promulgatæ, et "firmam pacem nostram eis et cuilibet eorum concessimus; "quodque voluimus, quod iidem ligei nostri et subditi nostri "liberi essent ad emendum et vendendum in quibuscumque "civitatibus, burgis, villis mercatoriis, et aliis locis, infra "regnum nostrum Angliæ; et quod nulla acra terræ in comi- "tatibus prædictis, quæ in bondagio vel servitio tenetur, altius "quam ad quatuor denarios haberetur: et si qua minus antea "tenta fuisset, in posterum non exaltaretur—Nos tamen, pro "eo quod dictæ literæ de curia nostra, absque matura delibe- "ratione, et indebite, emanarunt, perpendentes concessionem "literarum prædictarum in nostri et coronæ nostræ maxi- "mum præjudicium, ac tam in nostri, et prælatorum, procerum, "et magnatum, dicti regni nostri, quam sacrosanctæ ecclesiæ "Anglicanæ, exheredationem, necnon dispendium et incom- "modum reipublicæ, tendere manifeste, dictas literas, et quic- "quid exinde fuerit subsecutum, de avisiamento concilii nostri, "revocavimus, cassavimus, irritavimus et adnullavimus, et de "facto revocamus, cassamus, irritamus, et penitus adnullamus; "nolentes quod aliquis, cujuscumque status seu conditionis "fuerit, libertatem sive commodum aliquod de prædictis

[1] *certorum*] ceterorum, W.
[2] *quod*] quid, H.
[3] *vi armata*] viis manu armata, W.
[4] *aliquem*] aliquos, W.

Wals. Hist. ii. 21.

" literis quomodolibet habeat seu reportet. Volumus enim, A.D. 138
" et intentionis nostræ exsistit, talem gratiam singulis subditis
" nostris, quamvis enormiter ligeantiam suam forisfecerint, de
" avisiamento sani concilii nostri, in posterum impertiri, quæ
" Deo placabilis, nobisque et regno nostro utilis fuerit, et
" unde fideles nostri subditi reputabunt rationabiliter se con-
" tentos; et hæc omnibus, quorum interest, innotescimus per
" præsentes. Damus autem, tam universis et singulis dominis,
" magnatibus, et aliis fidelibus, ligeis et subditis nostris, quam
" vicecomitibus, et aliis ministris nostris comitatus N., tenore
" præsentium, firmiter in mandatis, quod ipsi præsentes lite-
" ras nostras in singulis civitatibus, burgis, et aliis villis et f. 182 b.
" locis in comitatu prædicto, tam infra libertates quam extra,
" ubi expediens fore viderint, et necesse, ex parte nostra
" publice proclamari faciant; ulterius districte præcipiendo,
" quod omnes et singuli, tam liberi quam nativi, opera,
" consuetudines, et servitia, quæ ipsi nobis aut aliis dominis
" suis facere debent, et ante turbationem prædictam facere
" consueverunt, absque contradictione, murmure, resistentia,
" seu difficultate, faciant aliquali, prout ante solebant. Insuper
" inhibendo eisdem, ne ipsi opera, consuetudines, et servitia
" sua prædicta, istis turbationum temporibus, magis solito re-
" trahant, seu nobis aut prædictis dominis suis facere ullo
" colore retardent; nec aliqua alia libertates seu privilegia
" exigant, vendicent, sive clament, quam ante turbationem
" prædictam rationabiliter habuerunt. Et quod ipsi, qui præ-
" dictas literas nostras manumissionis et perdonationis penes
" se habent et custodiunt, eas statim penes nos et concilium
" nostrum deferant et restituant, cancellandas, sub fide et
" ligeantia quibus nobis tenentur, et sub forisfactura omnium
" quæ nobis forisfacere poterunt in futurum. In cujus rei
" testimonium has literas nostras fieri fecimus patentes. Teste
" me ipso, apud Chelmesforde, secundo die Julii, anno regni
" nostri quinto. Per ipsum regem."

Hæc in Estsexia, ut ante docuimus, facta sunt; ubi erat rex moram trahens. Jam redeundum est ad scribendum processum factum apud Sanctum Albanum, ut ex eo discant posteri villanorum dolos magis feliciter præcavere, quoniam—

" Felix quem faciunt aliena pericula cautum."

A.D. 1381.

Apud Sanctum Albanum.[1]

Wals. Hist. ii. 31.

The king comes to St. Alban's.

Finitis Vesperis, cum processione solemni obviam regi processum est ab abbate et conventu ad occidentale ostium monasterii; acceptusque[2] est honorifice, cum pulsationibus campanarum, cantuque tam debito quam devoto. Advenerunt autem cum eo ad millia arcitenentium et armatorum; inter quos

Sir R. Tresilyan sits to try the prisoners.

dominus Robertus Tresilyan, miles, justiciarius peritissimus, vir multum[3] habens pectoris, et prudentiæ serpentinæ. Hic, in crastino sedens pro tribunali in villa apud le Mootehalle, accersiri jussit ex Hertfordia Willelmum Grindecob, Willelmum Gadyngdone,[4] et Johannem Barbitonsorem, quem supra retulimus pavimentum locutorii confregisse, et molares abstulisse et comminuisse, in die[5] furoris sui. Cum ergo venissent ad Sanctum Albanum, jussit eos[6] in custodia conservari usque in diem Lunæ; quo videlicet die jurati, qui onerati fuerant primo die sessionum ad prodendum malefactores qui regiam pacem perturbaverant, dicturi erant veredictum onerationis eorundem. Erat autem primus diès quo eum sedisse descripsimus, dies Sabbati, et primus dies canicularium; qui ex post infausti fuere villanis.

De Johanne Balle, presbytero.

Sentence passed on John Balle.

Hoc die præterea, Johannem Balle, presbyterum, captum a viris Coventrensibus, et pridie ductum ad Sanctum Albanum et regis præsentiam, cujus majestatem convictus est læsisse enormiter, auditum et confessum turpissima scelera, tractioni, suspendio, decollationi, exentrationi, et quarterizationi, ut usu vulgari loquar, idem Robertus adjudicavit; cujus mors dilationem accepit usque in diem Lunæ, interventu domini Willelmi, Londoniensis episcopi, qui, circa salutem sollicitus suæ animæ, illud ei spatium pœnitentiæ impetravit.

Outline of his life and teaching.

Hic per viginti annos, et amplius, semper prædicans in diversis locis ea quæ scivit vulgo placentia, detrahens tam personis ecclesiasticis quam dominis secularibus, benevolentiam magis communis populi quam meritum penes Deum captabat. Docuit nempe plebem decimas non esse dandas curato, nisi is[7] qui daturus esset foret ditior quam vicarius qui acciperet,

[1] A detailed account of proceedings at St. Alban's, previous to the king's arrival, is given in W.

[2] *acceptusque*] exceptusque, H.

[3] *multum*] militum, H.

[4] Cadyndone, W.

[5] *die*] spiritu, W.

[6] *eos*] eis, H.

[7] *is*] hiis, H.

Wals. Hist. ii. 32.

sive rector. Docuit etiam decimas et oblationes subtrahendas curatis, si constaret subjectum aut parochianum melioris vitæ fore quam curatum suum. Docuit insuper[1] neminem aptum regno Dei, qui non in matrimonio natus fuisset. Docuit et perversa dogmata perfidi Johannis Wyclife, et opiniones quas tenuit, et insanias falsas, et plura, quæ longum foret recitare; propter quæ, prohibitus ab episcopis, in quorum parochiis hæc præsumpsit, ne in ecclesiis de cetero prædicaret, concessit in plateas et vicos, vel in campos, ad prædicandum. Nec defuerunt ei de communibus auditores, quos semper studuit per detractiones prælatorum, et placentia verba, allicere ad sermonem. Postremo excommunicatus, cum nec sic desisteret, carceri mancipatur, ubi prædixit se deliberandum per viginti millia amicorum. Quod postea evenit in turbatione regni præfata, cum communes omnes carceres confregerunt, et incarceratos abire compulerunt. Cumque taliter deliberatus fuisset, eos secutus est, instigans ad plura mala perpetranda, et prædicans ita omnino fore faciendum. Et ut sua doctrina plures inficeret, ad le Blakeheth, ubi ducenta millia communium fuere simul congregata, hujuscemodi sermonem est exorsus:— A.D. 1381.

His sermon at Blackheath.

f. 183.

"*Whanne Adam dalfe and Eve span,*
"*Who was þanne a gentil man?*"

Continuansque sermonem inceptum, nitebatur, per verba proverbii quod pro themate sumpserat, introducere et probare, ab initio omnes pares creatos a natura, servitutem per injustam oppressionem nequam hominum introductam, contra voluntatem Dei; quia, si Deo placuisset servos creasse, utique in principio mundi constituisset quis servus, quisve dominus futurus fuisset. Considerarent igitur jam tempus a Deo donatum[2] eis, in quo, deposito servitutis jugo diutinæ, possent, si vellent, libertate diu concupita gaudere. Quapropter monuit ut essent viri cordati, et more boni patrisfamilias excolentis agrum suum, et exstirpantis ac resecantis noxia gramina quæ fruges solent opprimere, et ipsi in præsenti facere festinarent: primo, majores regni dominos occidendo; deinde, juridicos, justiciarios, et juratores patriæ, perimendo; postremo, quoscumque scirent in posterum communitati nocivos, tollerent de terra sua. Sic demum et pacem sibimet parerent et securitatem in futurum, si, sublatis majoribus, esset inter eos æqua libertas, eadem nobilitas, par dignitas, similisque potestas. Cumque hæc et plura alia deliramenta prædicasset, commune

[1] *insuper*] etiam, W.

[2] *donatum*] datum, W.

A.D. 1381. vulgus eum tanto favore prosequitur, ut acclamarent eum archiepiscopum futurum, et regni cancellarium; solum eum dignum archipræsulatus honore; archiepiscopum, qui tunc superstes erat, communium et regni proditorem fuisse, et iccirco decapitandum, ubicumque posset in Anglia comprehendi. Wals. Hist. ii. 33.

His letter to the commons of Essex.

Miserat insuper ductoribus communium in Estsexia quandam literam ænigmatibus plenam, ad hortandum eos ut incepta perficerent; quæ ex post inventa est in manica cujusdam suspendendi pro turbatione præfata, cujus tenor talis est:—

Litera Johannis Balle, missa communibus.

" *John Schepe, summe tyme Seynt Marye preest of ȝorke, and*
" *now of Colchestre, gretiþ wel Jon Nameles, and Jon þe mel-*
" *lere and Jon Karter, and biddeþ hem þat þey be ware of gyle*
" *in bourghe, and stondiþ to gidre in Goddes name, and biddeþ*
" *Piers Plougheman go to his werk, and chastise wel Hob þe*
" *robbere, and takiþ wiþ ȝow Jon Treweman and alle his felawes,*
" *and no mo, and loke ȝe shape ȝou to oon hede and no mo.*

" *Jon þe Mellere haþ ygrounden smal, smalle, smalle;*
" *The Kyngis sone of hevene shal paye for alle;*
" *Be ware or ȝe be wo,*
" *Knoweþ ȝoure frende fro ȝour fo;*
" *Haveþ ynowe, and seyeþ ho,*
" *And do wel and betre, and fleþ synne,*
" *And seketh pees, and holde ȝow þere inne,*
" *And so biddeþ Jon Treweman and alle his felawes.*"

His execution.

Hanc literam idem Johannes Balle confessus est se scripsisse, et communibus transmisisse, et plura alia fatebatur et fecit; propter quæ, ut diximus, tractus, suspensus, et decollatus est apud Sanctum Albanum idibus Julii,[1] præsente rege, et cadaver ejus quadripartitum quatuor regni civitatibus missum est.

Processus de his quæ gesta sunt apud Sanctum Albanum, rege præsente.

The jurors at St. Alban's refuse to indict.

Robertus Tresilyan, justiciarius, idibus Octobris apud Sanctum Albanum convocari fecit duodenam, quam tridie onerarerat ad indictandum et prodendum malefactores et pacis

[1] *Julii*] Octobris, H.

Wals. Hist. ii. 35.

regiæ turbatores. Venerunt ergo jurati de villa, et dixerunt se nullum talem scire, nullum indictare juste posse, cunctos fideles et obsequentes regi fore, semperque fuisse. Videns autem justiciarius quo tendebat ista responsio, ut erat vir sapiens et profundæ intelligentiæ, præcepit ut redirent, et memores essent verbi illius dicti ex parte regis, quando suppliciter egressi in obviam regi, misericordiam et veniam postulabant: in hoc videlicet et perdonationem et veniam consecuturos, si incentores, concitatores, et auctores turbationis regni tradidissent; sin alias, juxta sermonem regis, eos subituros prædixit eandem pœnam quam pertulissent iidem malefactores, si deprehensi fuissent. Regressi sunt igitur dicti jurati, quos e vestigio secutus est justiciarius ad locum quo erant de præmissis tractaturi; et proferens de sua manica quendam rotulum, in quo et nomina plurimorum et malefacta continebantur, ait eis; "En," inquiens, "deposita proximorum vestrorum scelera "per bonos viros et fideles patriæ, quæ neminem pene latent; "et vos putatis nos omnes deludere vestro silentio, vel ex- "cæcare! Nequaquam fiet quod putatis, cum in promptu "habeamus et nomina [et] facta sceleratorum, quos vos justos "monstrare velletis. Agite propter ea quæ vobis expediunt, "et vitam vestram servare satagite, ne, dum nimis inutiliter "cavetis proximis, vobismet periculum excitetis." Turbati ergo villani, æstimaverunt salubrius indictare reos vicinos, quam in semet ipsos dicta mala congregare.[1] Indictaverunt quamplures, tam de patria quam de villa.

A.D. 1381.

The judge reminds them of their own offences.

Several persons are indicted.

Tunc justiciarius, convocata seorsum alia duodena, demonstravit eis et nomina et indictamenta personarum per primam duodenam, ut præmittitur, exarata, interrogans quid illi vellent dicere de personis prædictis, si illi onerati essent super præmissis. Viri autem de secunda duodena, cernentes cuncta fore vera, quæ per primam duodenam fuere scripta, responderunt se eo modo fecisse quo illi, si fuissent,[2] onerati. Igitur hanc duodenam servavit judex, ad dicendum veredictum de præfatis personis; quæ nullo modo potuit[3] aliter dicere in reddendo veredicto quam dixerant cum interrogarentur de præmissis; sed oportuit illos, vellent nollent, dampnare eos quos antea fatebantur se voluisse indictasse de prædictis sceleribus, vel cum rubore falsi apparere. Et hoc commento justiciarius induxit eos, quamquam falsi esse maluissent, ad dicendam veritatem. Oneravit nihilominus et tertiam duodenam super eadem re; quæ cum vidisset primæ duodenæ deposita, eadem

The judge's method of obtaining convictions.

f. 183 b.

[1] *congregare*] congerere, W.
[2] *fuissent*] fecissent, H.
[3] *potuit*] jacuit, H.

A.D. 1381. deposuit quæ prima descripsit, ita ut nullus dampnaretur, nisi per ora triginta sex virorum; sed secunda duodena, ut diximus, semper servabatur pro veredicto dicendo, postquam prima et tertia duodena indictamenta fecissent. Wals. Hist. ii. 36.

Executions and imprisonments. Tunc dampnatus est Willelmus Gryndecob, Willelmus Cadyngdone, Johannes Barbitonsor, et quidam alii malefactores, pro turbatione pacis regiæ; et tracti sunt et suspensi, ad numerum decem et quinque virorum. Incarceratique sunt de majoribus villæ, ad sectam regis, suis convicinis eosdem indictantibus, Ricardus Walyngforde, Johannes Garleke, Willelmus Berwyk, Thomas Pictor, et plures alii mediocres. De patria vero commendati sunt custodiæ carcerali ad numerum octoginta personarum; qui ex post regis indulgentia sunt dimissi.

Commissio data armigeris abbatis et aliis, ad compellendos nativos ad opera consueta et arrestandum rebelles.

Commission to ascertain services to be done by the tenants of St. Alban's abbey. "Ricardus, Dei gratia, rex Angliæ et Franciæ, et dominus Ibid. ii. 38.
"Hiberniæ, dilectis sibi Johanni Lodwyke, Johanni Kentyng,
"Ricardo Pereres, Waltero Craunford, Ricardo Giffarde,
"Thomæ Eydene, et Willelmo Eccleshale, salutem. Mandamus
"vobis et cuilibet vestrum, firmiter injungentes, quod statim
"visis præsentibus, quacumque excusatione cessante, in sin-
"gulis villis et locis in comitatibus Hertfordiæ et Bokyng-
"hamiæ, tam infra libertates quam extra, ubi expediens fore
"videritis et necesse, ex parte nostra faciatis publice procla-
"mari, quod omnes et singuli tenentes dilecti nobis in Christo
"abbatis de Sancto Albano, tam liberi quam nativi, opera,[1]
"consuetudines, et servitia, quæ ipsi prædicto abbati facere
"debent, et ab antiquo, ante turbationem in diversis comi-
"tatibus regni nostri Angliæ jam noviter exortam, facere
"consueverunt, absque contradictione, murmure, resistentia,
"seu difficultate aliquali, faciant, prout antea facere solebant.
"Et ulterius, ex parte nostra districte inhibeatis, quod iidem
"tenentes liberi aut nativi, seu alii quicumque, opera, con-
"suetudines, aut servitia sua prædicta, istis turbationum tem-
"poribus magis solito non retrahant; sed nec ea[2] prædicto
"abbati facere ullo colore retardent, nec aliqua alia libertates
"sive privilegia exigant, vendicent, sive clament, quam ante
"præsentem turbationem habuerunt, sub fide et ligeantia quibus
"nobis tenentur, et sub forisfactura omnium quæ nobis foris-

[1] *opera*] s. pera, H.

[2] *sed nec ea*] se ea, H.

Wals. Hist. ii. 39.

" facere poterunt in futurum. Et omnes illos, quos, post pro- A.D. 1381.
" clamationem et inhibitionem prædictas, contrarios invene-
" ritis seu rebelles, arrestetis et capiatis, et ipsos prisonis
" nostris mancipetis, in eisdem moraturos, quousque de eorum
" punitione aliter duxerimus demandandum. Et hoc, sicut
" nos et honorem nostrum, ac salvationem jurium regni nostri,
" diligitis, nullatenus omittatis. Teste me ipso, apud villam
" de Sancto Albano, quinto-decimo die Julii, anno regni
" nostri quinto. Per ipsum regem."

Rex fidelitatem recipit a communibus de comitatu Hertfordiæ.

The king receives the fealty of the men of Hertfordshire.

In die Sanctæ Margaretæ virginis, post refectionem, dominus rex, transiturus ad castellum de Berkhamstede, in magna curia abbathiæ apud Sanctum Albanum fidelitatem suscepit de hominibus comitatus Hertfordiæ, qui summoniti fuerant ut ibidem comparerent coram eo: cuncti videlicet qui erant inter quintum-decimum et sexagesimum ætatis annum. Qui omnes simul, data fide, jurarunt se de cetero fideles domino suo regi futuros, et nunquam iterum contra pacem surrecturos, sed citius morituros quam regni turbatoribus parituros; et eosdem regni turbatores pro viribus comprehensuros, et carceribus adducturos, opera et servitia consueta facturos fideliter. Et si qui inter eos essent qui ductores concitatores turbarum fuerant, continuo captos regi monstraturos. Post quod juramentum dimissi sunt in sua, rege ad Berkhamstede properante; ubi cum aliquamdiu moratus fuisset, transivit venandi gratia ad villam de Esthamstede. Quo in loco relatum est sibi, suspensos apud Sanctum Albanum fuisse depositos, et a furcis longius fuisse remotos. Dominus autem rex multum miratus super tanta audacia, et commotus immodice propter contumeliam in hac parte sibimet irrogatam, illico breve suum misit ballivis villæ de Sancto Albano, in hæc verba:—

The bodies of malefactors taken down from the gibbets at St. Alban's.

f. 184.

Breve missum ballivis de Sancto Albano pro eorum civibus resuspendendis.

Writ that they be hung in chains.

" Ricardus, Dei gratia, rex Angliæ et Franciæ, et domi-
" nus Hiberniæ, ballivis villæ de Sancto Albano salutem.
" Quia certitudinaliter informati sumus quod diversi malefac-
" tores, timore nostræ regiæ majestatis abjecto, corpora diver-
" sorum proditorum et felonum apud villam prædictam, qui
" pro eorum maleficiis, in præsenti perturbatione contra nos

CROYDON PUBLIC LIBRARIES CENTRAL

A.D. 1381. " et ligeantiam suam factis, ut suspenderentur, et penderent, " quamdiu possent durare, adjudicati fuissent, prædictis pro- " ditoribus et felonibus juxta judicium prædictum suspensis, " a furcis ubi pendebant ceperunt et asportaverunt, in nostri " vituperium et contemptum, ac contra judicium supradictum ; " unde quamplurimum commovemur, nec immerito contur- " bamur—Vobis igitur, in fide et ligeantia quibus nobis " tenemini, præcipimus, firmiter injungentes, quod statim " visis præsentibus, catenas ferreas fieri, et corpora prædic- " torum suspensorum, ubicumque inventa fuerint, ad furcas " prædictas reduci, et ea cum eisdem catenis resuspendi " faciatis ibidem, quamdiu durare poterunt; pensura, juxta " formam judicii supradicti. Et hoc, sub forisfactura omnium " quæ nobis forisfacere poteritis, nullatenus omittatis. Teste " me ipso, apud Esthamstede, tertio die Augusti, anno regni " nostri quinto. Per ipsum regem." Wals. Hist. ii. 40.

The men of St. Alban's forced to carry out the order.

Hoc mandatum villanos de Sancto Albano, jamdudum pro libertate tumultuantes, turpis et abominabilis servitutis servos effecit, dum, non habentes qui hujusmodi obsequium pro eisdem vellet agere, compulsi sunt propriis manibus suos concives resuspendere catenis ferreis; quorum jam corpora, tabe fluentia, scatentia vermibus, putrida et fœtentia, odorem ipsis teterrimum refundebant. Et quidem merito hoc erat fœdum officium virorum usurpantium minus[1] juste nomen civium, ut apte vocarentur, et essent, suspensores hominum, ipso facto incurrentes opprobrium quod non delebitur, opprobrium sempiternum. Et qui veritatem reticere et pejorare maluerant, quam sibi similes proditores prodere, non temere ipsos eosdem suspendere sunt coacti. Consecuti quoque sunt canes eorum quod domini non merebantur; dum per dominos, detractis catenis quibus ligati fuerant, libertati donati sunt, ipsis catenis cedentibus in usus suspendendorum hominum, et magistris eorundem canum suspendium, ut præfertur, ministrantibus, ac per hoc, ut dicitur, in turpissima morantibus servitute. Quia videlicet par erat, ut perjuri et ideo[2] odibiles detractatores canibus Dei judicio monstrarentur pejores, dum, canibus eorum dimissis liberis, ipsi necterentur tam exsecrandæ servitutis obsequiis. Et hæc quidem apud Sanctum Albanum gesta sunt, circa festum Inventionis ejusdem martyris; quem probati sunt peccabiliter offendisse, et ob hoc in multiplices miserias corruisse.

---

[1] *minus*] nimis, H.

[2] *ideo*] Deo, W.

Wals. Hist. ii. 41.

Processus de duce Lancastriæ, quid egerit, et ubi fuerit tempore turbationis. A.D. 1381.

Dux Lancastriæ Johannes, qui parum ante prædictæ tumultuationis tempus, pro die marchiæ, prout moris est, tenenda inter Anglos et Scotos annis[1] singulis, in partes concesserat boreales, cum audisset de dominatione servili, et quid rustici nebulones, tempore quo[2] datum eis fuerat prævalere, vel in dominos vel æquales illis perpetraverant, consternatus est valde; et præcavens in futurum, utile judicavit sub festinatione pacem facere cum gente Scotorum, ne, si pervenissent rumores tam flebiles ad aures eorum, non solum illis afferrent insperatum gaudium verum, sed audaciam inculcarent, refutatis pacis conditionibus, in nostram regionem hostiliter irruendi. Et factum est, Deo volente, ut firmarentur treugæ ad instantiam ducis prædicti, antequam notitia facti daretur Scotis; concessis prius eisdem certis terrarum spatiis, quibus per plures annos non fuerant ante gavisi. Sed nimietatem hujus concessionis excusat nimietas supradictæ turbationis, quæ quemlibet et constantissimum turbasse et terruisse merito potuisset. Scoti vero, cum juramento firmassent biennales treugas se fideliter servaturos, et earum formam, in chartas redactam, sub chirographorum signis munissent, audierunt a suis exploratoribus de turbatione præfata, qualiter vel regi dominabantur vel Turrim occupaverant, vel cancellarium seu thesaurarium regni decollaverant, et cetera per ordinem quæ facta sunt his diebus.

The duke of Lancaster, hearing of the insurrection, hastens to make peace with the Scots.

A truce concluded.

Tunc primum dolere cœperunt, se tam cito condescendisse pacis conditionibus; quia miscuisse se desiderabant tantis turbationibus, et terram replesse cædibus et rapinis. Tamen, quia turpe videbatur eisdem tam cito notari perjurio, ducem confortare cœperunt, et ei suadere, ut, acceptis viginti millibus bellatorum de gente Scotorum, quos ei concederent animo liberali, ad Angliam properaret, vindicaturus, eorum ope et auxilio, communes dominorum injurias, et emendas accepturus de dampnis et dehonestationibus illatis irreverenter personæ suæ. Sed renuit plane dux promissa, dicens, proculdubio si id attemptarent, futurum quod bellum contra eos paratum reperirent satis asperum, antequam ad Eboracum pervenirent, etiam si totam cum eis contraherent potestatem gentis Scotorum. Noscere se dixit multitudinem, fortitudinem quoque, necnon audaciam, Anglicorum, qui nihil minus quam bellum timebant; quibus asseveravit Scotos in brevi fore

The Scots, though repenting the truce, offer their aid against the rebels.

f. 184 b.

The duke declines their help;

[1] *annis*] domis, H. | [2] *quo*] quod, W.

A.D. 1381. ludibrio, etsi in duplo major numerus eorum esset. Tamen, quia dubiam cernebat fidem multorum quos fideles sibi reperisse putaverat, puta comitis Northumbrorum, aliorum quoque militum qui in illis partibus habebant custodias castellorum, insuper et suorum militum commensalium, necnon totius pene suæ familiæ, quippe a facie formidinis prædictæ tumultuationis contabuerant, in tantum ut vix pauci cum eo starent, (audierant nempe regem, timore ductum, corpus domini sui, ducis, donasse communibus id petentibus,) rogavit Scotos dux, ut si eum diligerent, ut dicebant, concederent ei salvum conductum in terras eorum, et facultatem morandi, quamdiu sibi placeret, inter illos, necnon emittendi in Angliam quoscumque de suis vellet, et eos vel alios admittendi, qui ad eum ex Anglia pacifice venire vellent; ac etiam potestatem, quandocumque sibimet hoc placeret, sine impedimento ad Angliam remeandi. Scoti vero cuncta petita liberaliter concesserunt, et eum venientem honorifice susceperunt, et longo tempore confoverunt. Wals. Hist. ii. 42.

and remains in Scotland during the disturbances.

Nota de causis discordiarum inter ducem et comitem Northumbrorum.

Quarrel between the duke and the earl of Northumberland.

Talibus occasionibus orta est discordia gravis inter ducem et comitem Northumbrorum, quæ ex post, ut dicetur, totam Angliam deterrebat. Comes etenim, audiens tam horrenda mirabilia, aperte duci parere vel timebat, vel, ut quidam asserunt, contempnebat.[1] Cujus exemplum comprovinciales secuti, duci non parvum timorem imprimebant. Quod factum non solum postea comitis inobedientiæ, sed ingratitudini, dux ascripsit. Et quoniam scriptum est[2] "Vexatio tantum dabit "intellectum auditui,"[3] tunc primo dux ipse, conversus ad religionem, cœpit accusare vitam suam pristinam, non solum privatis sed publicis confessionibus; tunc suis peccatis ascribere causas malorum quæ contigerant; tunc sibimet imputare mortes, non solum nobilium, sed reliquorum, qui illo tempore manu impia strati sunt; tunc illius suæ pellicis K[aterinæ] de Swynforde consortium abhorrere, vel potius abjurare, et fletibus ac singultu facere videbatur pœnitentiæ dignos fructus; quibus commentis, ut creditur, iram Domini complacuit.

The duke repents his past life.

Igitur regioni data pace, et oppressis vel occultatis malefactoribus, cœpit dux de reditu cogitare. Tamen ante regressum suum, ut se regi regnoque monstraret humiliatum

Wishing to return to England, he sends a humble message to the king.

---

[1] *contempnebat*] contempnabat, H.

[2] *Et . . est*] Misplaced in H.

[3] Isaiah xxviii. 19.

Wals. Hist. ii. 43.

usquequaque, præmisit qui nunciarent regi ejus fugam, et fugæ causas,—quam maluit ipsemet migrationem in Scotiam nominare; nunciarent etiam, si placeret regi,[1] et id opus expeteret, se velle reverti, cum ingenti Scotorum multitudine, ad comprimendos rebelles, vel, si hoc displiceret, cum propria familia quam recollegerat, et illucescente pace, de latebris ad eundem emerserat, quæ satis fortis erat ad obviandum cunctis rusticis regionis. Quod si nec sic placeret adventus ejus, vel si[2] multitudo venientium cum eodem eum regi sive regis concilio suspectum redderet, determinaret rex, cum concilio assistenti, personas quas, vel quot, placeret eisdem; et ipse, dimissis reliquis, paratus erat ad regem venire, etiam si contingeret determinari solum tres personas, militem, armigerum, et valectum. Si vero nec ista regi placerent, et ipse ita invisus esset vel proceribus vel communibus regionis, ut putarent per eum vel regnum turbandum vel pacem minuendam, paratus erat, si dominus rex id dictaret, regno discedere, velut exsul, Angliam denuo non visurus, dummodo pacem consequeretur rex, et regnum ejus. Rex autem et proceres, compatientes afflicto, renunciaverunt sibi, ut, dimissa gente Scotorum, confidenter rediret cum tota familia propria; quæ si numero non præstaret, assumeret de unaquaque villa per quam transiturus erat, certum numerum ad conducendum eum usque ad villam aliam pro tutela, donec veniret ad regem. Et factum est ita, rege sibi præbente commissionem; veniens quoque ad dominum suum, regem, honorifice susceptus est. A.D. 1381. He returns to the court.

Post paucos dies deposuit querimoniam contra comitem Northumbrorum, quod non solum inobediens, sed infidelis et ingratus, exstitisset ei, prout præmittitur, turbationis generalis tempestate. Ob quam causam vocatus est comes ad Berkhamstede, ubi congregati fuerunt, ad interessendum concilio, pene cuncti comites totius regni; ubi cum dux plura dixisset contra eum, comes impatiens, more gentis suæ, contra prohibitionem regiam, in verba contumeliosa est resolutus, cum tamen dux, tacere jussus, ad primam jubentis vocem satis humiliter tacuisset. Cujus inobedientiæ occasione, comes tamquam reus læsæ majestatis regiæ protinus arrestaretur;[3] sed fidejubentibus pro eo comitibus Warwyci[4] et Southfolchiæ, quod veniret et ad proximum parliamentum suam præsentiam exhiberet, dimissus est, et concilium resolutum. He accuses the earl of Northumberland. f. 185. The earl is bound to appear at the parliament.

Circa festum Omnium Sanctorum, convenerunt ad parliamentum Londonias barones regnique communitas; ad quod Parliament at London which the

[1] *regi*] res, W.
[2] *si*] si eum, H.
[3] *arrestaretur*] arestatur, W.
[4] Warwycy, H.

A.D. 1381. duke and the earl attend with armed forces. dux cum tanta copia convenit armatorum, ut facile dinumerari non posset. Contraxit et comes secum de partibus borealibus non inferiorem numerum, et Londonias usque pervenit. Sed dux, suspectam putans fidem Londoniensium, propter inveteratum odium, non æstimavit tutum Londoniis hospitari. Comes vero ad civitatem fiducialiter cum suis accessit; qui protinus acceptus[1] est a civibus cum favore, illis obviam in equis procedentibus, illis exennia opipara præmittentibus, hospitia suæ genti præbentibus, et pasturas, quas in circuitu civitatis possidebant, armentis quæ secum duxerat, pro tanta familia copiosa nimis, commodantibus, et eidem, si oporteret, promittentibus fidele juvamen. Erat igitur comes tunc multum auctus et numero et favore Londoniensium, et jam multo fortior partibus ducis pars ejus exsistere videbatur. Wals. Hist. ii. 44, 45.

The earl welcomed by the citizens.

Anticipation of disturbances. Erat interea cernere miserandum spectaculum, regnum, quod olim pacis tranquillitate præ cunctis regnis gavisum fuerat, undique, versa vice, turbationis fluctibus agitari, hinc seditione communium, illinc factionibus optimatum. Revera diversi viri diversæ partis ducis et comitis armati, contra regni consuetudinem, ad Westmonasterium diebus aliquot convenere, inusitatum de semet ipsis incolis præbentes spectaculum, sed sapientioribus non modicum tali facto inculcantes metum. Exspectabatur totis diebus a pacis perturbatoribus, ut ignis conceptus arderet in publicum, et furor duorum[2] procerum libere prodiret ad actum. Nutans commune vulgus non curabat quem illorum magnatum sequeretur ad pugnam, dum tali occasione, sicut prius turbationis tempore, irrefrenatas discursandi possidere posset habenas, et materiam vindicandi suorum complicium proditorum decollationes, tractiones, et suspensiones, factas per regem et fideles regni.

Totus clerus autem, pluresque de populo, quorum Deus corda tetigerat, interim constituti erant in timore magno et exspectatione, propter mala quæ superventura erant universo orbi Britanniæ, occasione dissensionis eorundem, si effutire pararent publice odium præconceptum. Unde fiebant in clero orationes publicæ et privatæ, ut Deus, cujus natura est bonitas, inter illos spirare concederet auram pacis. Tandem cum diu parliamentum protelatum fuisset inaniter, propter dissensionem supradictam, intercurrentibus regni proceribus, cepit rex querelas eorum in manus suas, ne, propter duorum[2] discordiam cuncta regni negotia non solum paterentur impedimentum, sed et irreparabile detrimentum. Sicque soluta sunt a metu corda fidelium, Domino miserante.

The king takes the quarrel into his own hands.

[1] *acceptus*] exceptus, H. | [2] *duorum*] dominorum, W.

Wals. Hist. ii. 46.

De parliamento inchoato Londoniis, sed per adventum reginæ interrupto.

A.D. 1381.

The session of parliament is disturbed by the news of the arrival of Anne of Bohemia at Calais.

Processum est perinde ad tractandum de regni regisque negotiis in parliamento præsenti; sed immoratum est inaniter in eodem diu, nec ad aliquem effectum quicquam productum, quamvis non sine magnis fuisset ibidem sumptibus demoratum. Et cum jam effectus aliquis successisse putaretur, supervenere nova de adventu novæ reginæ Calesiam, sororis videlicet regis Boemiæ, Wynceslai, filii quondam regis Boemiæ et imperatoris, qui et ipse exspectavit in imperatorem coronari, et se imperatorem ubique literaliter nominavit. Hanc igitur magno pretio, multisque coemptam laboribus, habendam rex præelegerat, quamquam cum inæstimabili auri summa oblata fuisset ei filia domini Mediolanensis Barnabonis. Audito igitur, ut retulimus, de adventu reginæ futuræ, solvitur parliamentum, reincipiendum post regales nuptias et Natale Dominicum. Et interim[1] unusquisque laborat pro viribus tantas nuptias honorare muneribus, insuper obsequiis favore dignis. Missum est ergo in obviam tantæ virgini, et conducitur cum omni gloria mundi ad portum usque Doveriæ, comitantibus eam multis nobilibus, tam suæ patriæ quam istius terræ.

She lands at Dover.

Ominous event on her landing.

Accidit illo die mirabile cunctis auspicium, juxta multorum opinionem, favorem Dei, felicia quoque fata terræ affutura præmonstrans. Nam cum pedem terræ intulisset e navi, et salvo cunctis egressis, navigio reliquo, secuta est e vestigio tanta maris commotio, quanta diu ante visa non fuerat; et ipsas naves in portu constitutas adeo agitavit, ut dissiparentur subito et colliderentur, navi prius, in qua regina consederat, dissoluta et in multas partes horribiliter comminuta. Quidam vero aliter interpretati sunt supradicta, putantes esse futurum, ut regnum turbaretur per eam, vel regioni incommodum aliquod eveniret. Sed istius dubiæ perplexitatis obscuritatem gesta sequentia declarabunt.

f. 185 b.

A.D. 1382.

The Bretons demand the dismissal of the English in their duke's service.

Circa præsens tempus Britones in Armorica Britannia, indignati quod Anglici in tanto constituti essent honore penes dominum suum, ducem Britanniæ, versi in seditionem, convenerunt adversus dominum eorundem; et imperiose mandarunt, ut, dimissis a suo famulatu cunctis Anglicis, tantummodo gauderet ipsorum obsequiis, scilicet Britonum; vel mortem inferrent eisdem, et insuper ab ejus obsequiis cuncti Britones desciscerent.[2]

[1] *interim*] insuper, W.

[2] *desciscerent*] descivirent, H.

A.D. 1382. *Nota de his quæ contigerunt Anglicis de familia ducis Britanniæ exsistentibus.* Wals. Hist. ii. 47.

The English begin to depart. Igitur dux, in arto constitutus, convocatis cunctis de sua familia Anglicis, enarrat dolenter instans periculum, et, licet invitus, a sua terra quantocius universos jubet abire. Conturbati vero et conterriti super auditis Anglici, cum omni festinatione parant indempnes abscedere, ne fortassis eis queant deteriora contingere incolarum malitia dictæ terræ. Audiens Anglorum recessum repentinum dominus de Clissone, et causam diligenter inquirens et agnoscens, nam et ipse tum reconciliatus erat duci, vehementer irascitur contra auctores recessus Anglorum, et, convocatis tam militibus quam armigeris, ceteris quoque quos novit in hac causa peccasse, quærit cujusmodi auctoritate id efficere præsumpserunt, ut a duce, suo domino, removerent viros domino suo fidelissimos, et qui ultra nationes alias suis dominis decenter obsequi et placere sciverunt, et eis reverentiam omnem impendere et commodum providere. "Nullus," inquit, "vestrum tanto honore dominum suum colere, affectu tanto diligere, tantæ humanitatis obsecundatione venerari, novit, ut Anglici, quos invidia pleni, in vituperium vestri atque dedecus, abjecistis. Quapropter redire sinatis ad domini vestri solatium, quos ad ejus tædium amovistis, et eidem eos pacifice deservire permittite;[1] aut, Deum testor, superbissimos e vobis faciemus suspendio strangulari." Quibus dictis, mittit qui revocarent ejectam familiam, præhabitis officiis iterum gavisuram; sed frustra, quia jam plures ad Angliam transfretaverant, et relicti fuerunt pauci admodum, qui, deficiente navigio sive vento, post socios remanserunt: quos revocatos iterum restituit curiæ domini sui ducis.

De Clisson makes an attempt to recall them;

but most of them leave the duke's service.

De nuptiis regis et hastiludiis.

Marriage of Richard with Anne of Bohemia. Post festum Epiphaniæ convenit Londonias universa regni nobilitas, ad interessendum regalibus nuptiis, et obsequium deferendum juxta consuetudinem a quolibet antiquitus usitatam. Benedicitur apud Westmonasterium in reginam imperialis puella; in sponsam regiam a domino [Cantuariensi] archiepiscopo cum gloria et honore coronatur.[2]

Tournaments. Hastiludia quoque fiunt pro magnificentia tantæ celebritatis,

---

[1] *permittite*] permittit, H.

[2] Benedicitur . . . . in sponsam regiam; a domino Cantuariensi archiepiscopo in reginam, etc., W.

Wals. Hist. ii. 48. per dies aliquot; in quibus et Angli et virtutem suam, et patriotæ reginæ suam probitatem, publice demonstrarent. In quibus, non sine dampno personarum utriusque partis, laus est acquisita, et rei commendatio militaris. A.D. 1382.

Parliamentum reinceptum.

The parliament resumes its sittings.

Expletis nuptiarum solemniis, reincipitur[1] parliamentum, quod omissum prædiximus propter causas præmissas; in quo plures articuli sunt propositi et decreti, videlicet, de extraneis admittendis ad vendendum personaliter, sine impedimento mercatorum Angliæ, libere sua mercimonia; de abrogatione pelluræ et apparatus argenti in zonis etc. a communibus status inferioris; de pretio vinis apposito et pœna transgressorum, videlicet quod dolium non excederet sex marcas. Multa sunt et alia, quæ statuta sunt ibidem. Sed quid juvat statuta parliamentorum scribere, cum penitus ex post nullum sortiantur effectum? Rex nempe, cum privato concilio, cuncta vel mutare vel delere solebat, quæ in parliamentis antehabitis tota regni non solum communitas, sed et ipsa nobilitas, statuebat.

Acts of parliament altered by the king and council.

Statute to prevent insurrections.

Editum est et ibi statutum contra communitatem in posterum insurgentem, ut, non exspectato alieno suffragio, videlicet brevi regio, fideles regni, ubicumque viderent rusticos vel communes accitare suspecta conciliabula, senos aut septenos, eos capere foret eis licitum, et in custodia detinere.

De morte repentina comitis Southfolchiæ.

Death of the earl of Suffolk;

Comes Southfolchiæ, Willelmus Ufforde, in isto præsenti parliamento, dum a militibus comitatuum fuisset electus ad pronunciandum ex parte illorum negotia reipublicæ, die et hora quibus exsecutus fuisset susceptum negotium, cum gradus ascendere incepisset ducentes ad cameram in qua regni nobilitas tota concesserat, repente corruit, et inter suorum manus illico spiritum exhalavit; quamvis jocundus nihil mali sentiens aulam Westmonasterii parum ante, et velut immediate, subintrasset. De cujus morte subitanea non parum consternati sunt, non tantum regni cuncti proceres, sed et omnes mediocres et pauperes, quia cunctis se in omni vita amabilem exhibuerat. Post cujus mortem, finis est impositus parliamento; postquam mercatores Angliæ concessissent regi pro subsidio consuetu-

---

[1] *reincipitur*] incipitur, W.

A.D. 1382. dines lanarum iterum, quas *mal tot* vulgares appellant, per quadriennium ex post sequens. Wals Hist. ii. 49.

and of the earl of March. Comes Marchiæ, dominus Edmundus de Mortuo Mari, per idem tempus in Hibernia concessit in fata, postquam illam terram totam pene perduxisset ad pacem, et nobilissime et sapientissime gubernasset.

f. 186. Appointment of the chancellor and treasurer. Ordinatus est autem in hoc parliamento, petentibus hoc magnatibus et communibus, Ricardus Scrope, miles, regni cancellarius, utpote vir qui spectabili sapientia[1] et inflexibili justitia non haberet ex sua fortuna parem in regno. Ad officium vero thesaurarii dominus Hugo Segrave subrogatur.

Episcopal changes. Circa dies istos, magister Willelmus Courtenay, episcopus Londoniensis, transfertur ad archiepiscopatum Cantuariensem, et magister Robertus Braybroke effectus est Londoniensis.

Carolus de Pace obtinet terram Laporis.

Charles of Durazzo invades Naples; Circa tempus istud, Carolus de Pace, de quo superius pauca præstrinximus, postquam coronatus est a domino papa in regem Terræ Laporis, id est, Neapolis, intravit in manu forti, possessurus terram illam, et, nemine resistente, pervenit in pace Neapolim, civitatem metropolitanam regni, ubi cum honore decenti a civibus est susceptus. Et, ut successus corresponderent ei juxta domini papæ vaticinium, dicentis in quodam sermone habito ad populum ejusdem Karoli, "Pacis est tibi, "fili carissime, non abs re cognomen inditum, quoniam pro- "ficisceris in pace, et pax erit tibi in ingressu tuo, pax in "progressu, et pacis successione gaudebis," in terra illa, redditæ sunt ei pacifice, sine cujuslibet belli tumultu vel dispendio, urbes Gaietana, Capua, Beneventum,[2] Aversana, et plures aliæ, quarum nomina non tenemus. Et illa meretrix magna quæ sedit super aquas multas, et vocabatur regina Neapolis, a facie formidinis Karoli et ejus exercitus, fugit in

and besieges queen Joanna. castellum urbis ejusdem, quod vocatur Castrum Novum; quam mox Karolus obsidere curavit, et protelavit obsidionem quadraginta et duobus diebus. Igitur quadragesimo secundo die obsidionis præfatæ, insultum fecit asperrimum ad castellum. Et cum maxime desudaret ipse, et suus exercitus, ad perturbandum castellanos, et castellum violenter occupandum, repente supervenit, a tergo Karoli et ipsius exercitus intromissus in

Otho of Brunswick attempts a rescue; urbem, mediante proditione, dominus Octo de Broneswyk, maritus prædictæ reginæ, cum Marco de Monte Ferrando et arma-

[1] *sapientia*] scientia, W.

[2] Benoventum, H.

Wals. Hist. ii. 50.

torum copiosa turba, ad irruendum in Karolum, et succurrendum reginæ. A.D. 1382.

Erat tunc in exercitu Karoli quidam[1] miles, dictus Jomitus, qui et ipse princeps erat exercitus, vir utique et in bellis providus et manu promptus. Hic repente persentiens dolum proditorum et periculum quod imminebat, partem exercitus locat ad muros, quæ castellanos prohiberet ab irruptionibus, dum manus consereret pars exercitus altera cum Octone; cui mox obviatum est cum audacia a Karolo et Jomito, et pugnatum est atrocissime, donec hostilis exercitus dissipatus et victus est, occisis plurimis et multis captis. In qua pugna peremptus est Marcus de Monte Ferrando, et Octo de Broneswyk letaliter vulneratus et captus. Quem confestim reginæ monstrantes, minabantur in machina positum projecturos ad illam in castellum, nisi mox reddere vellet illud. Sed tamen, nocte superveniente, non fecerunt ita. Igitur regina, nocte illa tractatum cum suis faciens, in crastino se reddidit, et castellum, in quo repertæ sunt divitiæ infinitæ. Capta autem in custodia servabatur, donec Carolus, cum domini papæ consilio, deliberasset quid agendum esset de persona sua. Captus est in eodem castello, cum regina, comes cancellarius, cum comite camberlano et multis aliis, quos longum foret per singulos nominare. Hoc modo parta[2] est pax Karolo de Pace, et paratum est regnum in conspectu ejus.

but is defeated and taken prisoner.

The queen surrenders.

Ferunt quidam, quod regina, post captionem suam, mediantibus utriusque partis amicis, papa sic volente et Carolo permittente, ingressa sit religionem monialium quæ de ordine Sancti Francisci sunt, et Minorissæ vocantur; quæ si consecutura sit de tanta perfectione meritum, novit Deus, cui omne cor patet.

She is said to have become a nun.

Johannes Wiclife nova deliramenta proponit.

Adversarius fidei Christianæ, hæresiarcha recordationis exsecrabilis, Johannes Wyclife, sollicitus pervertere tam majores quam minores regionis incolas suis nequam adinventionibus, suas dampnabiles opiniones, modo per se, modo per sequaces suos, modo scriptis, modo prædicationibus, per totum tempus istud[3] dilatare contendit. Et quia minus satisfaciebat ejus affectui, prædicationibus in vulgari plebe exsecrabiliter declamatis, scribit ad dominos et magnates, qui, circa festum Sancti Johannis ante Portam Latinam, Londonias ad parlia-

Wycliffe submits certain propositions to the lords in parliament.

---

[1] *quidam*] quidem, H.
[2] *parta*] parata, W.
[3] *istud*] illud, W.

A.D. 1382. mentum coadunati fuerant, machinationes novas, quibus et illos allicere possit, et in errorem trahere, sub his verbis. Modum ponemus præmissum, ut in ejus schedula scribebatur. Erat nempe ista præscriptio. Wals. Hist. ii. 51.

"*Magister Johannes*[1] *Wyclyfe. Septem interpretationes, ad tutelam regni Angliæ per ejus proceres exsequendæ.*

Conclusio prima. "Quod rex aut regnum nulli sedi vel "prælato obediat, nisi de quanto ex fide scripturæ sonat in "obedientiam Jesu Christo.—Patet, quia aliter præponeretur "Christo in obedientia antichristus; omnis enim obedientia "quæ non fit Christo, fit antichristo; quia Lucæ xi°.,[2] 'Qui "'non est mecum,' etc."

Secunda conclusio. "Quod nec curiæ Romanæ, nec f. 186 b. "Avinonicæ, nec alicui exteræ, emittatur regni pecunia, nisi "doceatur hoc esse debitum ex scriptura sacra.—Patet, quia "aliter foret rapina lupi rapacis. Quia Christus Matthæi [3] "dicit esse a fructibus cognoscendum."

Tertia conclusio. "Quod nec cardinalis, nec alius, habeat[4] "fructum ecclesiæ vel præbendæ de Anglia, nisi vel rite re- "sideat, vel occupetur legitime in causa a regni proceribus "rationabiliter approbata.—Patet, quia aliter non intraret per "Christum, sed aliunde ascenderet, ut antichristi discipulus, "et per traditiones seculi tamquam latro prædaretur reg- "num in subjectis pauperibus, sine æquivalentia pecuniæ "recompensæ."

Quarta conclusio. "Quod rex et regnum tenentur de- "struere regni proditores, et suos a ferocibus inimicis "defendere."

Quinta conclusio. "Quod regni communitas non onere- "tur tallagiis insuetis, antequam totum patrimonium, quo "clerus dotatur, deficiat.—Patet, quia omnia ista sunt bona "pauperum, caritative exponenda ad eorum egentiam, vivente "clero in perfectione primariæ paupertatis."

Sexta conclusio. "Quod quocumque episcopo vel curato "dotato de Anglia in contemptum Dei notorie incidente, "nedum liceat regi, sed teneatur, sua temporalia confiscare.—

---

[1] *Magister Johannes*] Magistri Johannis, W.

[2] Luke xi. 23.

[3] Matt. vii. 16.

[4] *habeat*] habebat, H.

Wals. Hist. ii. 52.

" Patet, quia aliter regnum postponeret Christianum, regis, " domini temporalis, contemptum ponderans plus quam " Christi."

A.D. 1382.

Septima conclusio. " Quod rex nullum episcopum vel " curatum mancipiet suo ministerio seculari.—Patet, aliter " tam rex quam clerus foret proditor Domini Jesu Christi."

Other propositions and conclusions.

" Quod rex nullum, propter moram in excommunicatione, " incarceret, antequam secundum legem Dei mora ista sit " docta esse illicita. — Patet, quia sæpe excommunicantur " multi improvide, ubi, secundum legem Dei et ecclesiæ,[1] " debeant excommunicationes perpetuo tolerare. Auctorizare " incarcerationem hominis propter hoc quod facit, ut debet, " foret opus dæmonii meridiani. Contraria autem istorum, " licet sint insensibilia non curata, tamen nimis confundunt " rempublicam, quia res insensibiles parvipensæ sunt maximæ " in vigore."

Ut autem periculosius traheret[2] auditores suos, scripsit eo tempore, et publicavit, et alias conclusiones, ab omni ecclesia anathematizandas; et sunt istæ:—

De aliis conclusionibus J. W.

Prima conclusio. " Substantia panis manet post consecra- " tionem, et substantia panis post consecrationem est Corpus " Christi."

Secunda conclusio. " Deus de potentia sua absoluta non " potest facere quod in sacramento altaris essent accidentia " sine subjecto."

Tertia conclusio. " Nulla hæresis vel falsitas in tota doc- " trina magistri J. W. poterit probari."

Quarta conclusio. " Deus debet obedire diabolo."

Quinta conclusio. " Papa plus tenetur imperatori quam e " converso."

Sexta conclusio. " Omnes monachi de ordine Sancti " Benedicti, nolentes labore manuum victum acquirere, non " solum non sunt apostatæ ab ordine Sancti Benedicti, sed, " quod verius est, a discipulatu Christi."

Septima conclusio. " Nullus est dominus civilis, nullus " episcopus, nullus est prælatus, dum est in peccato mortali."

Octava conclusio. " Si ordines fratrum essent certi, et in " Christo fundati, non quærerent confirmationem suam a " papa."

Nona conclusio. " Ubi leges humanæ non fundantur in " scriptura sacra, subditi non tenentur obedire."

---

[1] *ubi . . ecclesiæ*] Repeated, H. | [2] *traheret*] haberet, W.

A.D. 1382. Has delirationes exsecrabiles posuit idem Johannes ea vice; sed et, ad dampnationis suæ cumulum, emisit viros apostatas, de fide Catholica pessime sentientes, ad dogmatizandum et prædicandum et alias conclusiones periculosissimas et falsissimas, quas audiens quisque fidelis, merito tinnirent ambæ aures ejus. Inter quos erat quidam vultum et habitum præferens heremitæ, veniens equidem in vestimentis ovium, sed intrinsecus erat lupus rapax. Hic, emissus per dictum Johannem, publice prædicavit Leycestriæ, Dominica in Ramis Palmarum, abominationes istas. Wals. Hist. ii. 53.

Conclusiones quas publice prædicavit Willelmus Swynderby Leycestriæ.[1]

Conclusions of W. Swynderby.

Prima conclusio. "Quod homines qui dimittunt audire "verbum Dei et Evangelium prædicatum, propter excommu- "nicationes hominum, sunt excommunicati, et in die judicii "traditores Dei habebuntur; et etiam illi qui dimittunt præ- "dicare propter talem excommunicationem."

Secunda conclusio. "Excommunicatio, quæ datur ad im- "pediendum homines audire verbum Dei, excommunicatio "antichristi est, et non Christiani."

Tertia conclusio. "Quod nullus prælatus debet excom- "municare aliquem, nisi prius sciat ipsum excommunicatum "a Deo; et si quis aliter aliquem excommunicaverit, ipse "excommunicatus est, et hæreticus."

Quarta conclusio. "Nullus debet aliquem excommunicare, "nisi ex caritate, et pro salute animæ suæ. Prælatus excom- "municans clericum, qui appellat ad regem et concilium "regni, eo ipso traditor Dei est, et regis, et regni."[2]

Quinta conclusio. "Prælati ecclesiæ acquirunt beneficia "sua per aurum, et sic sunt simoniaci et hæretici."

Sexta conclusio. "Contra antiquam legem est, et etiam "contra novam, quod viri ecclesiastici habeant possessiones "temporales."

Septima conclusio. "Nunquam erit bona pax et plenaria "in regno isto, quousque ista temporalia auferantur ab[3] "ecclesiasticis."—Et ideo rogabat populum, manibus extensis, ut unusquisque adjuvaret in ista materia, quantum posset.

Octava conclusio. "Quod viri ecclesiastici, dummodo "vixerint in divitiis et voluptatibus, sicut jam vivunt,[4] sunt

[1] "Conclusiones Willelmi Swyn- "derby" also in the margin of H.

[2] This is divided into two conclusions in W.

[3] *ab*] a viris, W.

[4] *vivunt*] vivitur, W.

Wals. Hist. ii. 54. " inhabiles ad orandum pro populo, pro quo fine fuerunt " principaliter ordinati." A.D. 1382.

Nona conclusio. "Si rex haberet in manu sua temporalia f. 187.
" ecclesiasticorum, non oporteret eum tunc accipere talliagia,
" nec communitatem regni spoliare."

Decima conclusio. "Beatus Paulus acquisivit victum pro
" se et discipulis suis manibus; et sic deberent religiosi
" manibus suis laborare, et non publice mendicare."

Undecima conclusio. "Quod istæ novæ sectæ, quæ quasi
" hesterno die venerunt, asserunt vitam suam et religionem
" perfectiorem quam religionem Christi communem et Apo-
" stolorum, et volunt sic facere Christum fatuum."

Duodecima conclusio. "Quod sacramentum altaris, post
" consecrationem, est verus panis et verum Corpus Christi;
" et illa rotunditas quæ videtur, et albedo, et hujusmodi, sunt
" panis; et hæc est sententia Apostoli, doctorum antiquorum,
" et sanctorum, et in ista materia doctores novelli vel con-
" tradicunt inter se, vel non dant sufficientem hujus sacra-
" menti descriptionem."

Tertia-decima conclusio. "Religiosi prædicantes, qui
" nolunt dicere populo et scribere veram descriptionem hujus
" sacramenti, et fidem fundatam in Evangelio et sacra scrip-
" tura, sunt excommunicati et hæretici; et si quis talibus
" eleemosynam suam dederit, ipse est fautor illorum, et cum
" ipsis excommunicatus; et quod fratres verecundantur dicere
" fidem suam de sacramento altaris."

Confirmatione autem omnium dictorum suorum, dixit quod hæc est fides quam debent habere ex Evangelio et dictis Apostolorum; et si quis oppositum prædictorum diceret vel prædicaret, quod nullo modo esset ei credendum.

Swynderby preaches further heresy under protection of the people.

Hæc et multa alia erronea dixit publice, et prædicavit idem zizanniæ seminator, in detrimentum ecclesiæ et fidei orthodoxæ. Nec sufficit huic diei malitia sua, nisi ut apponeret iterum in die sancto Parasceves prædicare nequitiam inauditam in eodem loco, rectoribus ecclesiarum non valentibus prohibere eum, ob favorem popularem; qui libentissime eum audiebant, et se periculo malebant exponere pro eodem, antequam vel prohiberetur prædicare, aut quicquam contra eum per viam juris temptaretur. Revera loquebatur eis placentia, et quicquid proferre noverat in derogationem prælatorum, detractionem magnatum; quæ vulgus commune solet gaudenter [1] audire, lingua protulit venenata, captans per singula verba sermonis

[1] *gaudenter*] libenter, W.

A.D. 1382. sui favorem laudemque vulgi; callide commentis talibus seducens et decipiens populum imprudentem. Wals. Hist. ii. 55.

Unde postea contigit, cum episcopus Lincolniensis eum correxisse parasset, et ab eo facultatem prædicandi tulisse, sæviens turba demens episcopum adeo deterrebat, ut nihil auderet agere contra eum. Ad notitiam igitur posterorum, ut cognoscant quantum nostris temporibus prævaluerit[1] inimicus, et impune debacchatus fuerit, conclusiones, vel potius abusiones, quas in die Parasceves, ubi supra, proclamavit, huic paginæ inseremus.—

His further conclusions.

Abominationes quas idem in eodem loco proclamavit in die Parasceves.

Prima. "Quod si parochiani sciverint curatum eorum incontinentem esse, et malum, debent subtrahere ab eo decimas; et alias, sunt fautores criminis, et consentientes ejus malis operibus."

Secunda. "Quod decimæ sunt puræ eleemosynæ, et in casu quo curati fuerint mali, possunt licite eas aliis conferre."

Tertia. "Quod homines possunt debita ex caritate petere, sed nullo modo propter debita aliquem incarcerare."

Quarta. "Quod curatus malus subditos excommunicans pro decimarum detentione, non est nisi pecuniam eis indebite et male extorqueri."

Quinta. "Si aliquis capellanus, vel compatres aut commatres infantium puerorum, temporibus quibus hujusmodi pueros seu infantes baptizaverint aut levaverint[2] de sacro fonte, fuerint in aliquo mortali peccato detenti, infans hujusmodi, sive puer, non est baptizatus, non[3] recipit tempore hujusmodi sacramentum baptismi."

Sexta. "Quicumque episcopus conferens alicui sacros ordines presbyteratus, hujusmodi persona taliter ordinata non est presbyter ratione collationis hujusmodi sibi factæ, nisi sit et esset electus a Deo."

Septima. Item, idem dixit publice et expresse, in prædicatione sua coram majori Leycestriæ et multis aliis, "quod Deus nunquam constituit missam celebrari; et quod bonum esset quod istis temporibus pauciores missæ celebrarentur quam celebrantur."

---

[1] *prævaluerit*] prævaleret, W.

[2] *baptizaverint aut levaverint*] baptizaverunt et levaverunt, W.

[3] *non*] nec, W.

Wals. Hist. ii. 56.

[*Octava.*] Item idem dixit publice et expresse, coram vicario de Frisby, decano de Goscote, et multis aliis, in prædicatione sua, "quod quicumque parochianus dans decimas "suo curato, sciens ipsum curatum suum in mortali peccato, "vel tenere aliquam mulierem suspectam publice vel occulte, "quod ipse conferens decimas hujusmodi curato suo, manutenet "ipsum in peccato suo hujusmodi, et est particeps criminis "ejusdem." A.D. 1382

Nona. Item dixit, "quod sacræ canones sunt traditiones "humanæ."

[*Decima.*] Item, idem Willelmus dixit publice et expresse in prædicatione sua Leycestriæ, "quod scivit bene quod illud "quod tractabatur in altari, fuit Corpus Dominicum;" sed, ut asseruit, scivit dixisse plus de ista materia, si voluisset: et sic per hujusmodi verba sua, per eum prolata, nequiter et perplexe indicata simplici populo Christiano, eosdem Christi fideles fecit per sua erronea multipliciter deviare, et de fide Catholica desperare; et, quod deterius est, omnes laicos de ipsa patria a tramite justitiæ et veritatis quasi penitus declinare; dicœcesano, ut retulimus, timore turbæ, cui quam maxime complacuere sermones ejus, quicquam contra eum agere non audente.

Capitulum de sequacibus J. W.

f. 187 b.

Wycliffe's followers.

Fuerunt eo tempore et plures alii hujus nefandæ doctrinæ sequaces et discipuli; qui prædicaverunt et ista et plura alia magis enormia, non [in] quibuscumque villis aut civitatibus, sed in ipsa universitate Oxoniæ, profestis diebus, cancellario pro tunc, magistro Roberto Rugge, favente, et hujus sectæ discipulo exsistente. Inter quos plus fuere notabiles, magister Nicholaus Herforde, acerrimus sectator Johannis Wyclife, et Philippus de Rependone[1] quidam canonicus de Leycestria, qui non ascenderat per ostium in ovile scholarum, sed aliunde, potestate magnatum, contra fratrum suorum et abbatis proprii voluntatem.

Hi omnes, et plures alii ex eorum complicibus, peccatum suum, quasi Sodoma, prædicaverunt, nec absconderunt; nec sufficit eis solis male sentire de fide catholica, aut de ceteris in quibus errabant articulis, nisi publicis prædicationibus traherent in suæ pravitatis devium Christi fideles. Ex quibus ille canonicus, ut pateret quam imperfecte vivendi normam didicerat ex doctrina eorum,[2] asseruit in quadam prædicatione,

---

[1] Respendone, H.

[2] *eorum*] sanctorum, W.

A.D. 1382. se[1] solummodo laudare suum ordinem, ex hoc quod ceteris ordinibus erat propior et conformior vitæ seculari; qui ut erat in cæremoniis propior, optabat ut et in habitu conformis esset. Hoc solum eis deesse ad gradum perfectionis asseruit, quod in habitu essent secularibus disconformes. Monachorum vitam et aliorum religiosorum imperfectiorem esse dicebat, quod pluribus observantiis astringebantur. Wals. Hist. ii. 57.

Archiepiscopus Cantuariensis se opponit contra Wyclifenses.

The archbishop of Canterbury takes proceedings against Wycliffe.

His clamoribus excitatus dominus Cantuariensis, magister W[illelmus] de Courtenay, ut erat vir,[2] ut creditur, spiritu Dei plenus, non passus est tantas nequitias habenas liberas possidere, sed mox, ut erat in christum Domini consecratus, ut doceret sibi non justitiam Phinees,[3] sed facultatem, hactenus defuisse, in refrenandis animis irreverentibus[4] et infrunitis,[5] convocatis fratribus suis suffraganeis, tractat de malitia temporis, edicit miseriam, et conqueritur de filiis perditionis, qui, sinu foti matris ecclesiæ, conantur discerpere matrem suam. Tandem post tractatum habitum, auditis quorundam super ista re sententiis, deliberat penes se vel tot enormitates ad rectam regulam retorquere, vel caput exponere pro causa Dei. Disponit ergo primum, adhibitis quibusdam coepiscopis, qui post Baalim non abierunt, et pluribus de numero sacræ paginæ professorum, diversitates lepræ discutere, qua respersi[6] erant, oves erraticæ, et, diligenter inspectis opinionibus infirmis, discernere inter lepram et lepram. Igitur auferuntur[7] in medium tantæ fœditatis ulcera, pastoris palpanda manibus, ejusque ministerio anathematis ignibus consumenda. Quæ seorsum singillatim ponemus, prout dampnari meruerunt.

Articles of Wycliffe condemned by the archbishop.

Hæreses. Prima conclusio. "Quod substantia panis "materialis et vini maneat post consecrationem in sacramento "altaris." Dampnatur ut hæresis.

Hæresis. Secunda conclusio. "Quod accidentia non "maneant sine subjecto post consecrationem in eodem sacra-"mento."

Hæresis. Tertia conclusio. "Quod Christus non sit in "sacramento altaris identice,[8] vere, et realiter, in propria præ-"sentia corporali."

---

[1] *se*] sed, H.
[2] *vir*] ubi, H.
[3] Finees, H.
[4] *irreverentibus*] irruentibus, W.
[5] *infrunitis*] infrenatis, W.
[6] *qua respersi*] quia respersæ, W.
[7] *auferuntur*] aperiuntur, W.
[8] *identice*] idemptice, H.

Wals. Hist. ii. 58.

Hæresis. Quarta conclusio. "Quod si episcopus, vel "sacerdos, exsistat in peccato mortali, non ordinat, conficit, "nec baptizat." A.D. 1382.

Hæresis. Quinta conclusio. "Quod si homo fuerit de- "bite contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua vel "inutilis."

Hæresis. Sexta conclusio. "Quod pertinaciter asserere "non esse fundatum in Evangelio quod Christus missam ordi- "naret." [1]

Hæresis. Septima conclusio. "Quod Deus debeat obe- "dire diabolo."

Hæresis. Octava conclusio. "Quod si papa sit præscitus "et malus homo, ac, per consequens, membrum diaboli, non "habet potestatem supra fideles Christi ab aliquo sibi datam, "nisi forte a Cæsare."

Hæresis. Nona conclusio. "Quod post Urbanum sextum "non est aliquis recipiendus in papam, sed vivendum est more "Græcorum sub legibus propriis."

Hæresis. Decima conclusio. Asserere "quod est contra "sacram scripturam, quod viri ecclesiastici habeant possessiones "temporales."

Notatis gravioribus culpis, dominus archiepiscopus consequenter descendit ad minores, ut evellat et destruat, dissipet et disperdat, quæ filius perditionis seminaverat omnia scandala in regno Dei; quæ partim hic inferius annotantur.

Errores. Prima conclusio. "Quod nullus prælatus debet "aliquem excommunicare, nisi prius ipsum sciat excommuni- "catum a Deo."

Error. Secunda conclusio. "Item, quod sic excom- "municans ex hoc sit hæreticus vel excommunicatus."

Error. Tertia conclusio. "Quod prælatus excommuni- "cans clericum, qui appellavit ad regem et concilium regni, eo "ipso traditor Dei est, et regis, et regni."

Error. Quarta conclusio. "Illi [2] qui dimittunt prædicare, "seu audire, verbum Dei, vel Evangelium prædicatum, propter "excommunicationem hominum, sunt excommunicati, et in die "judicii traditores Dei habebuntur."

Error. Quinta conclusio. Asserere "quod licet alicui, "diacono vel presbytero, prædicare verbum Dei absque auctori-

[1] *ordinaret*] ordinaverit, W. | [2] *Illi*] Item, W.

A.D. 1382. " tate sedis apostolicæ, vel episcopi catholici, seu alia de qua Wals. Hist. ii. 59.
" sufficienter constet."

Error. Sexta conclusio. " Quod domini temporales pos-
" sunt, ad arbitrium eorum, auferre bona temporalia ab eccle-
" siasticis habitualiter delinquentibus; vel quod populares pos-
" sunt, ad arbitrium eorum, dominos delinquentes corrigere."

Error. Septima conclusio. " Quod decimæ sunt puræ
" eleemosynæ, et quod parochiani possunt, propter peccata
" suorum curatorum, eas detinere, et ad libitum aliis conferre."

Error. Octava conclusio. " Quod speciales orationes
f. 188. " applicatæ uni personæ per prælatos vel religiosos, non plus
" prosint eidem personæ, quam generales orationes eidem,
" ceteris paribus."

Error. Nona conclusio. " Eo ipso quod aliquis ingreditur
" religionem privatam quamcumque, redditur ineptior et in-
" habilior ad observantiam mandatorum Dei."

Error. Decima conclusio. " Quod sancti instituentes re-
" ligiones quascumque privatas, tam possessionatorum quam
" mendicantium, in sic instituendo peccaverunt."

Error. Undecima conclusio. " Quod religiosi viventes in
" religionibus privatis, non sunt de religione Christiana."

Error. Duodecima conclusio. " Quod fratres teneantur
" per laborem manuum, et non per mendicationem, victum suum
" [acquirere]."[1] Error dampnatus ab Alexandro papa quarto.

De mandato directo cancellario Oxoniæ; et processum contra Wiclifenses.

The archbishop's mandate to the chancellor of Oxford is treated with contempt.

Dampnatis prædictis conclusionibus hæreticis et erroneis a domino archiepiscopo et cœtu sapientium, consequenter idem archiepiscopus mandatum mittit cancellario Oxoniæ, Roberto Rugge, in quo et prædictarum declaravit dampnationem, et mandavit, ut per se, vel per alium, easdem esse dampnatas faceret publice declarari. Prohiberet insuper hæc, et cetera talia, vel in scholis communicari, vel in prædicationibus attrectari, de cetero; et eo effectualius elaboraret in exsecutione mandati sibi directi, quo dominus archiepiscopus posset aperte cognoscere eum nullatenus talibus erroribus maculatum, aut talium prædicatoribus adhærere. Sed dissimulari non potuit malitia præconcepta in corde suo, quin patenter foris ostenderet venenum quod in ejus animo firmaverat sibi sedem. Revera

[1] Supplied from W.

Wals. Hist. ii. 60.

diebus solemnioribus, quibus ejus incumbebat officio sermones in populo facere, commisit onus verbi his quos scivit acerrimos J[ohannis] W[ycliffe] sectatores, spreto vel parvipenso archipontificali mandato. Et quidem Philippo Ryppyndone, præfato canonico de Leycestria, sermonem dicendum assignavit in festo Corporis Christi; in quo sermone, inter multa quæ dixit abusiva, talia peroravit: "In doctrina autem speculativa cujusmodi est "materia de sacramento altaris, ponam," inquit, "custodiam "ori meo, donec Deus aliter illustraverit, sive instruxerit, corda "cleri." Factumque est, ut non ad emendationem malorum, sed augmentationem, idem cancellarius mandato archipræsulis uteretur, et ad irritationem paternæ patientiæ et lenitatis. A.D. 1382.

The chancellor and others are cited before the archbishop, and forced to submit.

Quibus rebus nimirum archiepiscopus acerbatus, iterum recollecto cœtu magistrorum, citari fecit ex post prædictum cancellarium, et ceteros superius nominatos, ad respondendum de tanto contemptu coram eis publice, et declarandum quid de præmissis dampnatis articulis ipsi sentirent. Qui tandem, post multas tergiversationes, imponendo duplicem sensum in eisdem, et cavillationes diversas, coacti sunt, licet inviti, simpliciter proferre sentire suum de præmissis, facta prius protestatione, quod vellent et intenderent esse humiles et fideles filii ecclesiæ, et determinationibus ecclesiæ in omnibus obedire, etc. Concesserunt igitur cunctas præmissas conclusiones, intelligendo eas, prout verba sonant, fore vel hæreticas vel erroneas, juxta quod dominus archiepiscopus et magistrorum cœtus, ut ante retulimus, plena deliberatione definierant de eisdem.

De his quæ in Flandria contigerunt.

The count of Flanders is defeated by the citizens of Ghent, and driven from his dominions.

Comes Flandriæ circa dies istos expellitur cum dedecore grandi de terra sua; qui dum plus studet falsitati quam veritati, injustitiæ quam æquitati, sentit repente manum Domini aggravatam super eum. Revera Gandavenses, cum jam nullatenus eum fidem erga eos servaturum agnoscerent, nec eis more domini debito præfuturum, postquam multa mala eis latenter et aperte irrogasset, vindicari statuunt in eum et adhærentes sibi, si fortuna permittat. Quapropter in die Inventionis Sanctæ Crucis, qui est dies celeberrimus in tota Flandria, dicti Gandavenses, latenter congregatis innumeris de communibus et stipendiariis Selondensibus et Estlondensibus, necnon Brabantinis, et quibusdam Anglicis, hostiliter egressi sunt, et pene subito ad tertium milliarium a villa de Bruges pervenerunt; ductore quodam Phillippo de Nartfelde[1] qui quondam

[1] den Arthfeld, W.

A.D. 1382. consanguineus exstitit Anglorum reginæ Philippæ. Comes ergo, audiens de adventu Gandavensium, repente cum multis obviam est egressus. Bellum igitur est commissum inter eos atrocissimum, et cadunt hinc inde vicissim plurimi. Sed Brugenses sensere totum pene dispendium, prostratis in brevi septem millibus ex eisdem. Cernens autem comes partem suam taliter infirmatam, et animos deficere reliquorum, concidit et ipse animo, et timide fugiendo festinat ad Bruges; quem Gandavenses e vestigio insecuti sunt ad villam usque de Bruges, et portas violenter effregerunt, et fossas, aqua repletas, levi negotio transierunt. Nam villa non munitur muro, sed peroptimis[1] fossis circumdatur, et profundis: et sic in villam velociter irruperunt. Impedimento fuerat[2] eis paulisper fossarum transilitio, quibusdam de villa repugnantibus; cum interim qui in villa fuere, quinque bella licenter ordinaverunt contra eos, et intra villam locaverunt. Quæ pene sine difficultate vicerunt, dissipaverunt, et occiderunt, et comitem in Franciam fugere compulerunt. Wals. Hist. ii. 61.

Sack of Bruges.

Peracta tandem strage belli, ad cædes civium convertuntur. Discurrentes ergo per totam villam, scrutantur ubicumque locorum frequentatores istarum artium, videlicet piscariorum,[3] pelliparіorum, carnificum, et eorum quos *macleres* appellant lingua sua, qui mercedes recipiunt ex utraque parte pro negotiis expediendis; de quibus quosque repertos in ore gladii peremerunt. Excrevit autem numerus occisorum ad decem et septem millia virorum de Bruges. Nonaginta vero de majoribus villæ de Bruges captos Gandavum transmiserunt;[4] verumtamen nulli mercatori extraneo nocuerunt, vel quicquam molestiæ intulerunt. Sed et Anglicis præcipue pepercerunt, adeo ut si quis convinceretur de bonis cujusquam Anglici aliquid rapuisse, mox sine respectu misericordiæ capite plectebatur. f. 188 b.

The goods of the English spared.

Nota ducis justitiam.

Et cum cujusdam Anglici compotorium, quod *countour* vocamus, esset confractum in prædicta deprædatione villæ prædictæ, et idem Anglicus de hoc deposuisset querelam capitaneo eorundem, cum interrogatus nesciret dicere quis hoc fecisset, capitaneus dedit ei equum suum, præcipiens ne de hac re ulterius quereretur; pro quo dictus Anglicus mox

---

[1] *peroptimis*] præ optimis, W.
[2] *fuerat*] erat, W.
[3] *piscariorum*] piscarios, H.
[4] *transmiserunt*] transiverunt, H.

Wals. Hist. ii. 62.

recepisse potuit octoginta florenos, cum resarcire dampnum suum potuisset minus quam decem marcis. A.D. 1382.

His itaque gestis, Gandavenses tam prudentur disposuerunt pro villa de Bruges, ut infra triduum omnia mercimonia et mercata ibidem, quod mirum dictum[1] est, non minus aperte et quiete tenerentur et frequentarentur, quam triduo vel quatriduo tenebantur ante conflictum. Disposita villa more suo, Gandavenses regressi sunt Gandavum cum multis spoliis et triumpho, mittentes ex eis qui sequerentur et obsiderent eos qui ad munitionem de Owdenarde confugerant, et eandem contra eos præsumpserant detinere. Fuerunt equidem nobiliores et valentiores milites et armigeri totius Flandriæ, et putabant, tum pro fortitudine loci, tum quia contigua est illa munitio provinciis Galliarum, unde eis auxilium de facili ferri posse credebant, ibidem se fore salvandos. Igitur obsidione disposita, circumsederunt locum per totum tempus æstivale; quibus comes Flandriæ, apud Sanctum Audomarum commorans, plura dampna pluries irrogavit, ut subvenire posset obsessis.

The men of Ghent restore order in Bruges, and return home.

Siege of Oudenarde.

De parliamento.

Circa festum Sancti Johannis ante Portam Latinam, convocati sunt ad parliamentum Londonias cuncti majores regni, et qui de consuetudine vocari solebant, quamvis in Quadragesima præcedente factum fuisset aliud parliamentum, prout supra scripsi. In quo, petitione militum comitatuum, Johannes Wrawe, presbyter, qui ductor fuit eorum qui insurrexerant apud Burye et Mildenale, tractioni et suspensioni adjudicatur; licet multi putassent eum fuisse pecunia redimendum.

Parliament.

John Wraw condemned.

Dehonestatur quidam mendax.

Londoniis eo tempore, quidam nebulo, prætendens se physicum et astrologum, proclamari per urbem fecerat, ne quisquam in vigilia Dominicæ Ascensionis cubiculum suum exire præsumeret, antequam dixisset quinquies orationem Dominicam, et comedendo solvisset jejunium, propter nebulam pestilentem quæ eo die superventura fuit. Rogaverat insuper se servari interim, et pœna plecti, fidens forte in fatuitate civium, si ipsum suum vaticinium fefellisset. Nam prædixit omnes subito morituros, qui secus quam ipse consulerat facturi essent.

An impostor in London punished.

[1] *dictum*] dictu, W.

A.D. 1382. Plures igitur, parentes consilio ganeonis, eique credentes, eo die nec ad missas audiendas processerunt, nec quoquam egredi voluerunt, priusquam illius diei jejunium violassent. In crastino, cum mendacium latere non posset, captus est et equo impositus; equinâque cauda commissa suis manibus loco freni, et duæ ollæ, quas *jordanes* vulgo vocamus, ad ejus collum colligantur, cum cote, in signum quod illam mentiendo promeruit; et ita circumductus est per omnem civitatem, in conspectu cunctorum physicorum et chirurgicorum, digna dehonestamenta recipiens pro mercede. Wals. Hist. ii. 63.

Capiuntur septem naves hostium.

Skirmishes at sea. Prope tempus istud, nostrates, cum quibusdam viris de Rya, et nonnulli de patria, sunt egressi ad lustrandum mare et purgandum ab incursu piratarum, cum ecce! repente vident quasdam naves hostiles; inter quas conspiciunt unam navem quæ quondam fuerat domini [Thomæ] de Latemere, et vocabatur Falco, propter insigne falconis quod positum erat ad cognitionem dictæ navis. Hæc dudum, prævalentibus hostibus, capta fuit, et per eosdem abducta. Hanc igitur cum nostri vidissent, et, ad Anglorum dedecus, ampliatam, et insigne pristinum superpositum, in vituperium Anglicorum, se periculo cuncti devovent, et statuunt extrema quæque pati, nisi eam victoriose recuperare valerent. Præmissis ergo, qui suaderent hostibus qui in ea erant, ut eam pacifice redderent, cum nihil præter cachinnos recepissent, ad conflictum se præparant hinc et inde; et post diuturnum belli congressum, nostris prævalentibus, reddita est navis, occisis prius in ea, et in sex aliis vasis captis cum eadem, trecentis viris. Regressi quoque sunt nostri cum victoria commendanda, ducentes secum prædicta vasa onusta multis bonis, puta vino, cera, et diversi generis mercibus, non parum incolis profuturis.

The archbishop of Canterbury at St. Alban's. f. 189. Hac æstate, in die passionis Sancti Albani, celebravit archiepiscopus Cantuariensis missam majorem solemniter apud Sanctum Albanum, non tamen cum pallio; et exhibuit eum splendide abbas eo die, eo quod rogaverat eum interesse festo.

Dux Andegaviæ carpit iter versus Neapolim ad debellandum Carolum de Pace.

The duke of Anjou, crowned Dux Andegaviæ, coronatus ab antipapa Avinioniæ in regem Neapolis, circa dies istos carpit iter versus Neapolim,

Wals. Hist. ii. 64.

cum magna turba dominorum Galliæ et comite de Saveya, ad deponendum Carolum, quem supradiximus a papa coronatum in regem dicti regni, et qui, regina victa, jure conquæstus occupaverat regnum illud. Fertur autem dux præfatus traxisse cum eo tria millia hominum de armis, et mille balistarios, præter illos qui comitem de Saveya sunt secuti; quorum numerus, ut usu vulgari loquar, ad sexcentas lanceas ascendebat; et præter triginta galeyas per mare destinatas, armatas optime, et ad usum prœlii præparatas. Præmisit autem ante faciem suam in Italiam,[1] gentibus quæ in Lumbardia et Tuscania commorantur, tres solemnes nuncios, ad manifestandum adventum suum; et adventus causam innuens, videlicet, se venturum ad succurrendum et juvandum, ac recuperandum Johannæ reginæ, quam Karolus deposuerat, regnum illud. Et hæc quidem erant verba monstrata de foris ad omnes dominos et communes Italiæ,[1] per nuncios supradictos. A.D. 1382. king of Naples by the antipope, sets out for Italy.

Sed huic non responderunt ultima primis, quia postquam biennalem fecisset in terra Siciliæ, obiit peregrinus, amissis fere prius suis omnibus hominibus et jumentis. His death.

Londonienses insolescunt.

Londonienses isto tempore cœperunt ultra modum insolescere, in perniciosum exemplum urbium aliarum. Revera freti majoris illius anni, Johannis Northamptone, auctoritate superciliosa, præsumpserant episcopalia jura, multas dehonestationes inferentes in fornicationibus vel adulteriis deprehensis. Captas nempe mulieres in prisona, quæ vocatur Dolium apud eos, primo seclusas incarcerarunt; postremo, perductas[2] ad conspectum publicum, descissa cæsarie ad modum furum, quos appellatores dicimus, circumduci fecerunt in conspectu cunctorum inhabitantium civitatem, præcedentibus tubicinis et fistulatoribus, ut latius innotescerent personæ earundem. Nec minus hujusmodi hominibus pepercerunt, sed eos injuriis multis et opprobriis affecerunt. Animati etenim fuerant[3] per Johannem Wyclife et sequaces ejus ad hujusmodi perpetrandum, in reprobationem prælatorum. Dicebant quoque se abominari curatorum non solum negligentiam, sed et detestari avaritiam, qui studentes pecuniæ, omissis pœnis a jure limitatis,[4] et receptis nummis, reos fornicationis et incestus favorabiliter in The Londoners infringe upon the episcopal jurisdiction, at the instigation of the Wycliffites.

---

[1] Ytaliam, Ytaliæ, H.
[2] *perductas*] productas, W.
[3] *fuerant*] erant, W.
[4] *limitatis*] levitatis, H.

A.D. 1382. suis criminibus vivere permiserunt. Dicebant se utique pertimescere, ne propter talia peccata in urbe perpetrata, sed dissimulata, tota civitas, quandoque Deo ulciscente, ruinam pateretur. Quapropter, velle se purgationem facere civitatis ab hujusmodi inquinamentis, ne forte accideret eis pestis aut gladius, vel certe absorberet eos tellus. Erat autem major eorum homo duri cordis et astutus, elatus propter divitias et superbus, qui nec inferioribus acquiescere, nec superiorum allegationibus sive monitis flecti, valeret, quin quod inceperat proprio ingenio, torvo proposito ad quemcumque finem perducere niteretur. Habebat plane totius communitatis assensum ad nova moliendum, quia Wals. Hist. ii. 65.

"Mobile versatur semper cum principe vulgus,"

et quo rarius audita vel visa temptaret, eo avidius eum sequi ad hujusmodi negotia festinaret.

They interfere in the trial of a follower of Wycliffe.

Factumque est ut curatus eorum, episcopus Londoniensis, veritus indisciplinatum cum capite vulgus, et malitiam temporis, contra eos procedere non auderet. Sed et ipsum archiepiscopum irreverens turba præsumpsit in civitate sedentem impedire, cum processum fecisset contra quendam Johannem Astone, magistrum in artibus, et artissimum sequacem J[ohannis] W[yclife]; effractis foribus conclavis in quo idem archiepiscopus sedit, cum turba theologiæ et juris professorum.

The mayor breaks up the monopoly of the fishmongers of London by admission of foreigners.

Nec suffecere eis ista, quin apponeret major supranominatus, adjutorio et favore communis plebis, omnes piscarios civitatis ad tantam miseriam illo anno perducere, ut melioris conditionis esset extraneus quisque piscator, quam illi qui civilitatem urbis vel hereditarie vel emptione possidebant. Revera cuilibet licebat forinseco suos pisces in propria persona infra civitatem vendere, cum piscariis civitatis adempta facultas fuisset ita facere, sub magna forisfactura, corporibus eorum nihilominus carceri detrudendis, si contravenire temptarent. Quid plura? In tantum artavit eosdem piscarios, ut compulsi faterentur aperte, artem quam hactenus exercuerant non esse artem, nec pro arte computandam, aut nominandam inter artes ceteras civitatis; effecitque ut qui antea superiores in civitate fuerant, modo vix inferiores esse permitterentur. Eos autem, qui perante banniti fuerant, et quibus interdictum est, ne consiliis aut tractatibus civitatis interessent de cetero, ad gradum pristinum revocavit; quorum consilio et ordinationi subjecta est tota communitas, cum ipsa civitate. Qui studentes quomodo quam maxime communibus complacere possent, et major eorum eis fieri valeret acceptior, nullum permiserunt forinsecum piscatorem transire per urbem ad deferendum

Wals. Hist. ii. 66.

patriæ victualia; sed omnes exspectare fecerunt ibidem, et communibus vendere pisces suos, apposito pretio juxta voluntatem majoris. Commune vulgus igitur, cernens forum venalium emendatum, usque ad sidera majorem extollunt; et jam habentes odio concives suos piscarios, eos exterminare, si id oporteat et[1] majori placeat, sunt parati. Sed de patria convicina in his omnibus nihil cogitarunt; quæ de eorum abundantia summam patiebantur inopiam, dum nihil inferri patriæ permiserunt. Enimvero illis viluit pretium marinorum piscium, patriæ autem non tantum carum, sed omnino rarum, factum est, illis impedientibus commeatum. Contigit ergo, ut unde major urbanorum favorem meruit, inde maledictionem incurrit, et odium, totius patriæ convicinæ. Et Londoniis quidem eo tempore res ita se habebant. A.D. 1382. f. 189 b.

De terræ-motu.

Hac æstate, in Anglia terræ-motus factus est magnus, ubi raro cernitur vel auditur, duodecimo kalendas Junii, hora nona, multorum mortalium corda deterrens. In Kancia tamen vehementius terra tremuit, in tantum, ut ecclesias quasdam concuteret et dirueret solo tenus. Secutus est et alius terræmotus nono kalendas ejusdem mensis, summo mane ante solis ortum; sed non ita terribilis sicut prior. Earthquake in England.

Romani insurgunt contra papam et mirabiliter pacificantur.

Romani eo tempore, seditiosi et inquieti, insurgere contra papam et cardinales cœperunt, et tantum terrorem cardinalibus incusserunt, ut pene fugerent universi, diverticula quærentes et latebras, quibus salvari possent a facie furoris crudelis et indisciplinatæ plebis. Sed dominum papam, in sua justitia confidentem,[2] et adjutorio sperantem Altissimi, non plebs armata, non clamor horribilis, non discursus inordinatus vulgi, perterruit, quin confidenter, assumpta cruce sua manibus, egrederetur ad eos, hujusmodi verba faciens ad eosdem; "Quid est," inquiens, "filii, quod molimini? Subvertere "nitimini amicos vestros? Quid in vos peccavit collegium "fratrum meorum? Quare exarsit ira vestra in eos qui vos "diligunt? Aut certe, si me quæritis, cur moramini caput Rising of the people of Rome against the pope and cardinals; which is quelled by the pope.

[1] *et*] a H.

[2] *confidentem*] conscidentem, H.

A.D. 1382. " meum tollere? Ecce! caput meum in manibus vestris est; Wals. Hist. ii. 67.
" si placet, tollite, ut pax reformetur, si tamen hoc opus
" habetis." Videntes autem Romani tantam in viro constantiam, tamquam telo trabali percussi, cuncti protinus corruerunt ad terram, indulgentiam implorantes flebiliter de commissis, et paternam benedictionem humiliter postulantes. Quibus dominus papa, elevata manu, libenter benedictionem impertitus est, monens unumquemque cum pace ad propria remeare, et a talibus tumultibus et seditionibus in posterum temperare. Qui parentes paternis monitionibus, non sine grandi miraculo, deposita suæ feritatis[1] malitia, ad propria sunt regressi.[2]

De causa de Bury.

The pope proposes a settlement of the question of the abbacy of Bury.

Dominus papa, sub istis diebus,[3] postquam distulisset per amplius quam biennium electionem factam de Johanne Tymworthe apud Bury confirmare, tandem, regalibus et procerum literis pulsatus frequentibus, Edmundum Brounfeld, cui contulerat abbathiam de Bury, transtulit ad abbathiatum cujusdam monasterii in Vasconia; si tamen regi placeret eundem Edmundum a diutina, quam pertulerat, carceris custodia liberare. Johanni vero Tymworthe non confirmando electionem de ipso factam, sed per provisionem concessit abbathiam, ita duntaxat, ut solveret Romanæ curiæ duplicis vacationis censum, videlicet pro Johanne Brincle et Edmundo Brounfeld; et ita videbatur novissimus error esse pejor priore.

Fratres tamen illius monasterii, tamdiu paterno destituti solatio, ad hanc formam consenserunt, non considerantes quod[4] eundem Edmundum, prius provisionaliter eis datum, abegerant, et quanta pro tuitione causæ suæ profuderant, ne videlicet electio facta per eosdem locum non haberet. Regi vero regioque concilio non placuit ista forma papalis collationis; tum quia videbant[5] electiones in futurum faciendas per eandem, si admitteretur, periclitari; tum quia turpe videbatur eis flecti de causa, quam diu, dictante conscientia, defenderant studio pertinaci. Et ita videbatur amor juris et æquitatis dilectio inter monachos quodammodo dormitare, inter seculares et laicos vigilare.

Opposition of the king and council.

---

[1] *feritatis*] ferocitatis, W.
[2] *regressi*] reversi, W.
[3] *diebus*] temporibus, W.
[4] *quod*] ad, H.
[5] *videbant*] credebant, W.

Wals. Hist. ii. 68.

Cancellarius deponitur capitose.

A.D. 1382.

Dominus Ricardus Scrope, miles, quem supra docuimus per regni communitatem, et assensu dominorum, electum in regni cancellarium, per dies istos dejicitur de officio cancellariæ, quod laudabiliter administraverat et prudenter. Causa dejectionis ejus exstitit pertinax resistentia regiæ voluntati, qui desiderabat semet ipsum exinanire, ut forinsecos exaltaret. Enimvero post mortem domini Edmundi de Mortuo Mari, comitis Marchiæ, aliorumque dominorum qui nuper in fata concesserant, accedentes ambitiosi, tam milites quam armigeri, et inferioris gradus famuli, ad regem, postulabant ab eo certas terras et dominia mortuorum sibi concedi, pro tempore quo, de regni consuetudine, rex deberet ea in manibus retinere.[1] Quibus rex, utpote puer, nil moratus, postulata concessit, et mittens eos ad cancellarium, jussit ut eisdem chartas, sigillo magno signatas, contraderet, juxta arbitrium voluntatis eorum. Cancellarius autem, qui cupiebat ardenter regni profectum, regis quoque commodum, negavit eis plane petita, asserens regem, ære alieno multimodo prægravatum, opus habere talia contingentia penes se detinere, ut per ea debita sua possit in parte debitoribus restituere; ipsos autem, qui noverunt quibus debitis rex obligatus erat, non esse fideles[2] regi, dum magis suæ consulerent avaritiæ, quam utilitati regiæ, emolumenta talia postulantes et privata commoda publicis necessitatibus præponentes. Quapropter desisterent ab hujusmodi postulationibus, et contenti essent superioribus regis largitionibus, quæ satis erant competentes eis; scientes proculdubio, ipsum nullas chartas confirmatorias eisdem facturum aut sigillaturum de hujuscemodi regis donationibus, qui nondum pueriles annos excesserat, ne forte malas ab eodem grates reciperet in futurum. Igitur reversi vacui qui a cancellario talia venerant petituri, renunciant regi obstinatum esse animum cancellarii, et nihil eum velle facere ad regis imperium, sed contempnere potius regale mandatum; regem cum severitate[3] debita tam effrenatam inobedientiam debere celeriter coercere, aut cito futurum esse ut regis honor vilesceret apud suos, et imperium non valeret.

Sir Richard Scrope is deposed from the chancellorship, on account of his opposition to foreign favourites.

f. 190.

Rex ergo, qui sapiebat ut parvulus, plus attendens delatorum falsas machinationes quam sui cancellarii fidelis allegationes, in furoris spiritu mittit qui sigillum expeterent ab eodem, et

He surrenders the great seal into the

[1] *retinere*] tenere, W.
[2] *fideles*] fides, H.
[3] *severitate*] securitate, H.

A.D. 1382. king's hands.

deferrent. Et cum iterum atque iterum misisset rex per solemnes et solemniores nuncios ut sigillum sibi remitteret, cancellarius tandem ita respondit; "Sigillum," inquit, "paratus sum [resignare,] non vobis, sed ipsi qui mihi illud servandum tradidit; nec erit medius portitor inter me et illum, sed ego restituam illud manibus suis, qui mihi propriis, non alienis, manibus commisit illud." Et ita pergens ad regem, sigillum quidem retradidit, et se fidelem regi, sicut hactenus, fore repromisit. Officiarium tamen se futurum sub illo in posterum, denegavit. Et ita rex, recepto sigillo, multis diebus quicquid libuit faciebat, donec magister Robertus Braybroke, Londoniensis episcopus, officium cancellarii susciperet.[1] Wals. Hist. ii. 69, 70.

Robert Braybroke succeeds him.

Public indignation on Scrope's dismissal.

Audientes igitur non solum magnates regni, sed et ipsa communitas, regem, contra regni consuetudinem, cancellarium deposuisse capitose, quem tota regni nobilitas, cum suffragio totius vulgi, delegerat, indignati sunt valde. Nemo tamen audebat aliquid palam loqui de materia, propter malitiam regi assistentium, et ipsius regis irrationabilem juventutem. Et ita regis regnique commoda suppeditata sunt a facie insipientiæ regis, et a malitia inhabitantium cum eodem.

Nova insurrectio quorundam communium in Northfolchia.

Attempted rising in Norfolk.

Circa festum Beati Michaelis archangeli, quidam in Northfolchia, dæmone agitati, quos non castigaverant aliena pericula, mortes aut tormenta non terruerant aliorum, facta conspiratione, congregaverunt iniquitatem sibi, et firmiter statuerunt, si fortuna faveret, episcopum Northwycensem et cunctos majores patriæ, interceptos, inopinate necare. Et, ut majori fulcirentur potentia, nundinas apud Sanctam Fidem adire latenter decreverunt, et cunctos congregatos ibidem cogere vel in sua vota jurare, vel sine dilatione trucidare. Quibus ad effectum productis, cogitaverunt occulte præoccupare abbathiam Sancti Benedicti de Hulmo, quod fortis munitio videbatur eis futura, si aliquid periculi contra eosdem perfidos immineret. Sed hæc omnia, antequam ad effectum perduci possent, compressa sunt.

---

[1] In the margin is written "Cancellarius magister Robertus Braybroke," H.

Cometa. A.D. 1382.

A comet. Eodem vero anno stella comata apparuit in occidente amplius quam per quindenam.

Parliament. Per idem tempus, factum est parliamentum aliud Londoniis, in quo regi conceditur per laicos una quintadecima,[1] et ex post una decima de clero regni, sub conditione quod rex apponat manus defensioni ecclesiæ, et præstet auxilium de oppressione[2] hæreticorum Wyclefensium,[3] qui sua prava doctrina pene immaculaverant totum regnum.

Flandrenses suppeditantur.

Defeat of the citizens of Ghent. Rex Franciæ per idem tempus ingressus Flandriam, iterato occidit de Gandavensibus sibi occurrentibus viginti quinque millia, proditiose[4] tamen.

Rebellion of Paris. Redeunti autem regi de Flandria Parisienses rebellaverunt; ob quam causam multi de majoribus civitatis suspendio perierunt, et dirutæ sunt urbis portæ et arma civitatis ablata.

Episcopus Norwicensis cruce signatur. A.D. 1383.

Parliament. His diebus Quadragesimalibus factum est parliamentum Londoniis; in quo dominus Henricus Spencer, episcopus Norwicensis, cruce signatur contra Gallicos et Flandrenses scismaticos; accepta prius inaudita potestate a papa Urbano sexto evellendi et destruendi, et multipliciter dispensandi in casibus curiæ reservatis.

Crusade of the bishop of Norwich against the antipope.

He takes Gravelines and Dunkirk. Circa medium mensis Maii episcopus Norwicensis profectus est in Flandriam, sequentibus eum multis ex cruce signatis; ubi gravi insultu cepit villam de Graneygge,[5] et post paucos dies lucratur villam de Dunkirke, et plures alias villas Flandriæ convicinas.

---

[1] *quintadecima*] quindecima, H.

[2] *de oppressione*] ad compressionem, F.

[3] Wiclesentium, H.

[4] *proditiose*] prodicio, H.

[5] Gravenyngge, F.

A.D. 1383.

Bellum de Dunkirke.

Battle of Dunkirk.

Expost confligit juxta Dunkirke, cum quinque millibus cruce signatorum, contra triginta millia Flandrensium, Britonum, et Gallicorum; et occidit decem et septem millia scismaticorum, amittens nisi septem ex suis.

f. 190 b. Failure of the siege of Ypres.

In progressu episcopus obsedit villam de Ypres, adjuvantibus eum Gandavensibus; sed proditione suorum militum dissolvere obsidionem cum dedecore[1] est compulsus, postquam plures per insultum perdidissent ibidem. Ex hac infamia notati sunt [præcipue][2] Willelmus Elingham,[3] Thomas Tryvet, et Willelmus Faryndon, milites, a communi vulgo; sed si ita fuerit, novit Arbiter secretorum.

Obsidio de Burburgh.

The French besiege Burburgh.

Rex Franciæ per idem tempus, congregatis centum millibus virorum de regno suo omnis conditionis, statuit persequi cruce signatos; et quosdam de nostris obsedit in villa de Burburgh, dominum videlicet de Bemunde et Thomam Trivet et Willelmum Elingham,[3] necnon Willelmum Faringdon, qui parum ante deseruerant, non sine nota proditionis,[4] episcopum volentem in Franciam gredi[5] et cum rege Franciæ dimicare. Cumque rex Franciæ, cum suis Britonibus et suis Francis, plures fecisset insultus ad villam, et semper recepisset suos vel mutilatos vel occisos, tractavit cum eis ut villam redderent, et ipsi cum equis et armis et cunctis servientibus et bonis omnibus, quæ de villa asportare placeret, indempnes exirent; et ad quemcumque locum vellent pergerent sub conductu regis

[1] *dedecore*] B. F.; decore, H.

[2] Supplied from B. F.

[3] Elmham, F.

[4] *proditionis*] B. F., perditionis, H.

[5] *in Franciam gredi*] Franciam ingredi, B. F.

Franciæ; ita duntaxat ut versus Angliam properarent. A.D. 1383.
Quibus conditionibus consentientes, nostrates ita fecerunt. It is surrendered.

Consequenter rex Franciæ componit cum episcopo Northwycensi, qui villam tenebat de Gravenige[1] una cum domino Hugone Ca[l]verle, milite strenuo et fideli, ut [villam][2] illam deserat et in Angliam revertatur. Episcopus vero, cum vidisset nec regem nec ducem afferre[3] velle promissum subsidium, reversus [est][4] in terram suam, multo plus laudis et honoris referens de sua profectione, quam duces et comites qui illuc expeditiones fecerant diu ante. The bishop makes terms with the French, and returns home.

Scoti bacchantur.

Scoti per hoc tempus ceperunt castellum de Werk super flumen Thuede,[5] et depredatum[6] ignibus conflagrarunt. Quare, ex omni[7] consilio, dispositus est regalis exercitus, ad pergendum illuc et humiliandum fastum eorum. The Scots destroy Werk castle.

Eodem anno papa Urbanus, diffidens de fide Romanorum, fugit Neapolim ad natale solum. Pope Urban escapes to Naples.

Eo quoque tempore Gandavenses lucrati sunt munitissimam [villam][2] de Owdenarde, assentatione civium ipsius villæ, qui nimirum fuerant vehementer oppressi per Gallicos, qui ad custodiam dictæ villæ fuerant deputati; in qua villa repertus est comitis Flandriæ infinitus thesaurus. The citizens of Ghent take Oudenarde.

Circa festum Omnium Sanctorum factum est parliamentum Londoniis; in quo concessa [est] regi per clerum medietas unius decimæ, et per laicos medietas quintæ-decimæ, pro werra sustentanda contra Scotos et piratas. Parliament. An aid for the Scotch war.

---

[1] Graveningge, F.
[2] Supplied from B. F.
[3] *afferre*] auferre, H. B.
[4] Supplied from B.
[5] Twede, F.
[6] *depredatum*] B. F.; conflagratum, H.
[7] *omni*] communi, F.

A.D. 1383. The bishop of Norwich is deprived of his temporalities.

In hoc parliamento rex cepit temporalia Northwicensis episcopi in manu sua, eo quod inobediens fuerat suis literis revocantibus eum, cum paratus fuisset omnino cum suis[1] ad transfretandum.

Some of his late officers are imprisoned.

Milites quoque qui cum ipso fuerunt in Flandria, quia et quidam ex ipsis fuerant inobedientes episcopo, immo, quod pejus est, proditores æstimabantur, incarcerati sunt. Sed mox manucapti sunt per amicos, fulvo metallo purgandi.

A.D. 1384. Truce with the French.

Johannes dux Lancastriæ navigans in Franciam reportavit treugas perutiles utrique regno, a festo videlicet hujus instantis [Natalis][2] Dominicæ usque ad festum Sancti Johannis Baptistæ duraturas; quo temporis intervallo tractari et reformari pax poterat inter reges.

Disturbance in London.

Eodem anno commota est universa civitas Londoniarum instinctu Johannis Comertone, nuper majoris illius civitatis; quibusdam illum, contra urbis consuetudines, volentibus[3] restituere; quibusdam ejus instinctu, ut dicebatur, volentibus novum majorem electum perimere, qui vocabatur Nicholaus Brembre.[4] Sed uno de fautoribus dicti Johannis, Roberti Knollis consilio, decollato, civitas conquievit.

Invasion of Scotland.

Instante Quadragesimali tempore, Johannes, dux Lancastriæ, cum domino Thoma,[5] fratre suo, comite Bokynghamiæ, et innumerabili pene turba militum et scutiferorum aliorumque valentium, profectus est in Scotiam, ut Scotis pœnas inferret. Sed Scoti prudenter agentes [se][2] subtraxerunt, et in nemoribus vel ultra mare Scoticum delituerunt, nolentes bellum inferre nostratibus, quos experimentaliter cognoverunt in illis locis et illo tempore hiemali, sine gladio, sine certamine, frigore et inedia perituros. Wals. Hist. ii. 111.

The army returns with loss.

Tandem, post[6] amissos homines quam plures et jumenta plurima, revertentes, Northumbrensium bona

[1] *fuisset . . suis*] omnino fuisset cum suis omnibus, B. F.
[2] Supplied from B. F.
[3] *volentibus*] volentes, H.
[4] Brambre, B. F.
[5] Thoma de Wodstok, B. F.
[6] *post*] F.; per, H. B.

consumpserunt, et tandem in partes suas sine fructu victoriæ redierunt. A.D. 1384.

Parliamentum Sarisburiæ.

Exacta quindena post festum Paschæ, factum est parliamentum apud Sarisburiam; in quo quidam de ordine Mendicantium, frater Carmelita, accusavit ducem Lancastriæ de imaginatione mortis regis. Qui, rogatu ducis, datus in custodiam Johannis de Holandia, antequam dies præfixus suæ responsioni venisset, missa[1] in collo ejus reste et genitalibus[2] eadem connexis, a terra per restem suspenditur, et lapis grandis ejus ventri supponitur, ut per ponderositatem lapidis et guttur ejus suffocaretur[3] et membra distringerentur et spina dorsi confringeretur; ut non tantum uno supplicio, sed pluribus tormentis vitam finiret. Et quidem non armigeri, non valetti, non garciones aut inferioris fortunæ viri, sed ducis[4] milites hæc fecerunt; ipsi judices, ipsi ministri, ipsi tortores exstiterunt.

Parliament at Salisbury. The duke of Lancaster accused of treason by a Carmelite. The friar is murdered. The duke's followers are charged with the crime.

In hoc parliamento clerus concessit regi unius decimæ medietatem, et laici medietatem quintædecimæ concesserunt. An aid.

[*Boreales et Scoti se vicissim affligunt.*][5]

Hac æstate,[6] dum Scoti Northamhymbros, Northamhymbri vicissim Scotos[7] affligunt, addiscunt utrique dampnis propriis quanta pariat mala discordia, quanta pericula lis inter regna. Fighting on the Scotch border.

Eodem tempore obiit dominus Johannes Philipot, cives Londoniarum et miles fidelissimus, quamquam mercator fuerit; qui pro regis[8] regnique commodo in f. 191. Death of Sir John Philipot.

[1] *missa*] misso, H. F.
[2] *genitalibus*] genitalia, H. B.
[3] *suffocaretur*] sufforetur, H.
[4] *ducis*] quidem, F. In the chapter in R., where this story is given, a long passage is erased.
[5] Supplied from B. F.
[6] *æstate*] ætate, H.
[7] *Northamhymbros . . Scotos*] et Northamhymbros Northamhimbri vicissim Scoti, H.
[8] *regis*] regno, B. F.

A.D. 1384. affectu et expensis multum laboraverat, et regem regnumque sæpius relevaverat, neminem in hujus zeli[1] affectibus relinquens parem sibi superstitem.

Treugæ inutiles.[2]

The duke of Lancaster concludes a short truce with the French.

Prope mensis Augusti principium dux Lancastriæ in Gallias proficiscitur ad tractandum de pace inter regna. Sed cum diu perendinasset ibidem, ut[3] putaretur nova jocunda afferre patriæ, reversus est cum denunciatione belli anno futuro prima æstate; treugas tantum afferrens usque ad primum diem mensis Maii, citra quod tempus certum fuerat nullum Gallicum moturum pedem versus terram istam. Sicque emercata treuga, qua patria pro tanta anni parte non indiguit,[4] reversus est, postquam quinquaginta millia marcarum expendisset. Wals. Hist. ii. 115.

Processus contra J. Northampton.

John de Cumberton, late mayor of London, imprisoned.

Eodem tempore Johannes de Cumbertone, dictus alias de Northamptona, apud Radingum, in regis præsentia et multorum nobilium convictus est, suo familiari clerico eum accusante, de magnis facinoribus, et perpetuo carceri condempnatus; ejusque bona sunt regiis usibus confiscata. Ferunt multi eum non fuisse reum objectorum criminum, sed per Nicholaum Brambre hæc omnia imaginata fuisse; et clericum inductum esse, ut tales delationes [faceret][5] de magistro suo.

Eclipse of the sun.

Eodem anno, septimo-decimo die mensis Augusti, fuit eclipsis solis post meridiem.

Miraculum de Sancto Oswino.

Miracle at Newcastle.

Vicesimo [die][5] mensis prædicti, id est die Sancti Oswini regis et martyris, cujus corpus inferetratur in castro de Tynemutha, ubi est conventus monachorum

[1] *hujus zeli*] hujuscemodi, B.
[2] *inutiles*] sed inutiles, B.
[3] *ut*] et, B. F.
[4] *citra . . indiguit*] erased in R.
[5] Supplied from B. F.

de Sancto Albano, contigit miraculum valde stupendum, vel potius prodigium, ad terrendum incredulos et duros corde viros ipsius regionis. Siquidem apud villam de Novo Castro super Tynam, dum quidam nauta lignum dolaret, in die prædicti martyris, ad opus suæ naviculæ, vidit repente ubertim de dicto ligno sanguinem emanare. Recordatus autem diei festi[1] continuit manus ab opere; sed ejus socius parvipendens miraculum accedit[2] improbe et lignum ferit.[3] Subsequitur illico sanguis quacumque parte percutitur, tamquam de percusso pecude emanaret. Tandem et ipse tremefactus honorem exhibet diei festo. Res defertur in cœtum tam clericorum, [quam laicorum,][4] qui miraculum approbant una voce. Lignum vero defertur Tynemutham in testimonium præostensi miraculi. A.D. 1384.

Parliamentum.

Circa festum Sancti Martini, factum est parliamentum Londoniis, in quo concessum est regi subsidium a clero et communi populo. Parliament.

Duellum etiam commissum est ibidem inter J[ohannem] Walsche, armigerum, et quendam Navariensem. Navarus vero superatus, judicio regis tractus et suspensus est; defecit[5] namque in probatione suæ accusationis, qui eum J. de proditione accusaverat. Duel between John Walsche and a Navarrese.

Castrum Berwyci capitur.

Per idem tempus Scoti ceperunt castrum de Berwyco, cujus custodiam comes Northumbrorum, dominus Henricus Percy, tunc habebat. Qui in eodem parliamento, instantibus quibusdam de suis adversariis, dampnatus est publice pro amissione dicti castelli, non Berwick captured by the Scots. The earl of Northumberland blamed for its loss.

---

[1] *festi*] festim, H.
[2] *accedit*] B. F.; accedens, H.
[3] *ferit*] B. F.; fert, H.
[4] Supplied from F.
[5] *defecit*] deficit, H.

A.D. 1384. obstante quod idem comes ad idem parliamentum vocatus fuerat per breve regium, qui remansisse ad custodiam suæ patriæ maluisset. Ipso nempe et absente et nesciente, proditum [1] est castellum a quodam ganeone quem posuerat ibidem custodem. Ex post tamen, regis indulgentia, ipse comes restitutus [est] [2] honori et omnibus rebus suis. Qui mox hujus facti infamiam a se repellere satagens, obsedit animose dictum castrum, et illud de manibus Scotorum, pactione duum millium marcarum illis solvendarum, extorsit.

The earl recovers Berwick.

Obitus ducis Andegaviæ.

Death of the duke of Anjou.

Hoc anno dux Andegaviæ, qui regnum Siciliæ conabatur invadere, et Urbanum papam sextum suppeditare, post longinquam peregrinationem, post expensas inæstimabiles, post neces suorum et crebras pestes, concessit in fata, excommunicatus et impœnitens, prout fertur.

Obit Johannes Wyclyffe.

A.D. 1385. Death of Wycliffe.

Die Sancti Thomæ, Cantuariensis archiepiscopi et martyris, organum diabolicum, hostis ecclesiæ, vulgi confusio, hæreticorum idolum, hypocritarum speculum, schismatis instaurator, odii seminator, mendacii promptuarium, adulationis repositorium, Wycliff,[3] divino judicio percussus, horribili tactus est paralysi per omnia membra sua. Protelavit vitam tamen exsecrabilem usque in diem Sancti Silvestri; quo quidem die malitiosum dimisit spiritum, ad sedes descendere meritas atri Ditis. Et quidem satis juste die Sancti Thomæ percussus est, quem multociens lingua blasphemaverat venenata. Æque competens autem fuerat ut die Sancti Silvestri moreretur, quem etiam crebris invectionibus exasperaverat suis dictis. Wals. Hist. ii. 119.

[1] *proditum*] F.; prædictum, H. B.
[2] Supplied from B. F.
[3] J. Wiclyf, B.; Johannes Wyclef, F.

Edwardus le Bourser.

A.D. 1385.

Sir Edward le Bourser commands the people of Ghent.

Eodem anno dominus Edwardus le Bourser[1] factus est capitaneus Gandavensium, ipsis petentibus de rege Angliæ ductorem Anglicanum; qui secum traxit armatam manum validam atque fortem. Cujus prudentiam et circumspectionem in rebus agendis, etiam nobis silentibus, ipsi hostes, hoc est Gallici, sunt confessi.[2]

Degradatio cardinalium.

Degradation of cardinals.

Hoc etiam anno papa Urbanus sextus degradavit sex cardinales, quorum quidem hæc sunt nomina quæ sequuntur: cardinalis de Venisia; cardinalis de Anglia, dominus Adam de Estone, quondam monachus Northwicensis; cardinalis de Janua; et hi omnes valde venerabiles religiosi et sacræ paginæ professores. Reliquorum nomina cardinalium hæc fuere: cardinalis Zangro, cardinalis Corfiensis, et cardinalis Tarrentinus; et hi quidem de magno genere exstiterunt. Septimus cardinalis erat dictus Ratinensis,[3] quem papa dixit fuisse omnium malorum incentorem contra eum, et inceptorem conspirationis ceterorum cardinalium in mortem papæ. Ob quam causam papa diu ante eum excommunicaverat degradatum. Vir tamen sapiens et circumspectus reputabatur, et erat doctor legum apprime[4] eruditus; et quamvis papa privasset eum, erat tamen maximæ æstimationis in consilio, et præcipue inter consiliarios regis Caroli de Pace supradicti; et fuit insuper abbas Montis Cassini.

f. 191 b.

Wals. Hist. ii. 123.

Quarrel of the pope with king Charles of Naples.

Ex his et aliis multis occasionibus, et præcipue pro quibusdam conditionibus, quas papa ipsi regi servasse promiserat sed non servaverat, magna inter ipsum et Karolum dissensio est exorta; et Luceria civitas non ignobilis, in quam papa fugerat, est obsessa, cito postea capta et cremata, præter castellum in quo papa fuit. Compulsus [est] ergo papa, vellet nollet, paci conde-

[1] de Bourser, B. F.
[2] *confessi*] B. F.; confusi, H.
[3] Reatinensis, F.
[4] *apprime*] a primo, H.

A.D. 1385. scendere et pacem petere a Karolo dicto de Pace; quam, licet cum difficultate, consecutus est, et libere permissus abire. Hanc materiam explanatam latius lector apud Sanctum Albanum, in chronicis[1] majoribus, poterit invenire.

Discordia inter regem et ducem.

Discord between the king and the duke of Lancaster.

Eodem anno gravis discordia inter regem et ducem Lancastriæ est exorta, instinctu juvenum, qui cum rege fuere nutriti, conspirantium in mortem suam. Sed dux, præmunitus a quodam de concilio, se subtraxit ad castellum suum de Pontefracto, quod armis et victualibus affatim communiit. Tandem laudabili mediatione dominæ Johannæ, matris regis, discordia est sopita.

An earthquake.

Hoc anno terræ motus factus est ante medium noctis Inventionis Sanctæ Crucis.

Conjunctio Jovis et Saturni.

Conjunction of Jupiter and Saturn.

Eodem tempore facta est conjunctio Jovis et Saturni, duarum scilicet planetarum, mense Maio; quam mox secuta est maxima regnorum commotio, prout inferius apparebit. Wals. Hist. ii. 126.

French forces sent to Scotland.

Eodem anno Gallici, duce Johanne de Vienna milite, venerunt in Scotiam, ut simul juncti Scotis regnum Angliæ infestarent facilius.

Profectio regis in Scotiam.

Preparations of the French to invade England.

Eodem tempore contraxerat apud Sclusam rex Franciæ regalem exercitum, præparatum ad ingrediendum Angliam, dum nostri in Scotia bello contra Gallicos tenerentur. Rex nempe Angliæ, cum trecentis millibus hominum et equorum totidem, Scotiam est ingressus; sed hostibus fugientibus vel non apparentibus, est reversus, concremata patria per quam viam fecit, et illo nobili et famoso monasterio Mailrosensi, quod dolendum fuit.

Richard invades Scotland with a large army.

[1] *chronicis*] cronicis, H.

Dum rex fuisset in procinctu versus Scotiam, Johannes Holande, frater regis, juxta Eboracum occidit filium comitis Staffordiæ et heredem; ob quam causam, regis judicio, idem J[ohannes] perdidit terras suas. Ipse tamen, mortem metuens pro commisso homicidio, fugit Beverlacum, ut ibi immunitate [loci] [1] frueretur. Mater regis et ejusdem J[ohannis], dum preces incastum multiplicat pro dicto J[ohanne], contristata decumbit, et post quatuor aut quinque dies seculo valefacit.

A.D. 1385. Sir John Holland slays the son of the earl of Stafford.

Death of the queen-mother from grief.

Eodem anno, quinto-decimo kalendas Augusti, alius terræ motus [factus est].[1]

An earthquake.

Regis Franciæ adventus in Angliam impeditur.

Eodem tempore, cum [jam] [1] rex Franciæ paratus fuisset ad invadendum regnum Angliæ, Gandavenses ceperunt villam de Ledam, in qua repererunt prædam magnam et diversa victualia, sed præcipue vini magnam abundantiam, dolia videlicet mille et octoginta. Quod audiens rex Franciæ differt adventum suum in Angliam, et cuncta, quæ præparaverat ad tantam profectionem, contraxit ad obsidendum villam de Ledam præfatam. Cum multos insultus fecisset ad dictam villam, cernentes qui intus erant impares se virtuti regiæ, nocte quadam committunt villæ custodiam senibus et mulieribus qui in villa fuere, et illi, confringentes dolia et cetera dissipantes, quæ possent esse regis usui, latenter recesserunt, nescientibus cunctis, ad Gandavum.[2] Et tunc primo senes et feminæ supradictæ cognoverunt se esse deceptos; sed et rex Franciæ, cum villam intrat vacuam, cognovit se esse [3] delusum.

The French invasion of England is prevented by the capture of Ledam by the men of Ghent.

Per idem tempus rex Portingaliæ vincit Hispanos, adjutorio Anglicorum; et mittit regi Angliæ sex galias, ut essent illi solatio contra hostes suos.

The Portuguese defeat the Spaniards.

---

[1] Supplied from B. F.

[2] Gandiavum, H.

[3] *esse*] fore, B. F.

A.D. 1385.

Naves Francorum captæ.

Capture of French ships off Calais.

Circa Exaltationem Sanctæ Crucis, naves regis Franciæ, revertentes de Flandria, dispersæ, allisæ sunt et confractæ per tempestates horridas, et impulsæ in loca regis Angliæ, scilicet Calesiam et partes adjacentes. Nempe Calesienses quingentos ceperunt de Gallicis et Normannis, qui classe demersa venerunt ad portum. Tertio vero die sequente Calesienses pugnaverunt contra septuaginta duas naves Francorum, et lucrati sunt decem et octo naves et[1] quandam grandem barchiam, in qua fuerunt capti vel occisi armati homines sexaginta. Tertio quoque die sequente dictum conflictum, Calesienses pugnaverunt contra quadraginta quinque naves revertentes de Sclusa, et fugaverunt[2] omnes præter duas et unum coggonem, quas ceperunt; in quibus capti sunt duo admiralli Galliæ cum multis bonis. Capti sunt in dictis navibus de nautis et stipendiariis ducenti et viginti sex. Wals. Hist. ii. 135.

Barnabon.

The duke of Milan deposed.

Hoc anno Barnabo, dominus Mediolanensis, a genero suo[3] captus, carceri mancipatur. Qui mox tributa patriæ relevavit,[4] et canum multitudinem, quos divites et pauperes illius patriæ pascendos tenebant ad usum domini, ipse[5] delevit; et propter ea regio illi voluntarie obsecundat.

Events in Portugal.

Eodem tempore rex Portingaliæ, dolo reginæ, haustu letifero in fata concessit; et frater ejusdem regis, magister hospitalis, miles egregius, licet invitus, levatur in regem, et multa cum Anglicis contra Hispanos prospera bella gerit. Sed rex Hispaniæ cognoscens Anglos velle fulvo metallo fascinari, corrumpit quosdam ex Anglicis, ut regem Portingalensem prodant; sed re comperta regi Portingalliæ, Anglici capiuntur et carceri mancipantur.

---

[1] *et*] in, H. B.
[2] *fugaverunt*] B. F.; figuraverunt, H.
[3] *genero suo*] genere sue, H.
[4] *relevavit*] B. F.; revelavit, H.
[5] *ipse*] B. F.; papæ, H.

Wals. Hist. ii. 139.

Eodem anno papa Urbanus sextus, cui nil datum est diu dulce gustare, per Karolum regem Siciliæ obsidetur. Qui tamen Januensium probitate, qui cuncta norunt facere propter quid, ereptus, liberatus, abductus est, et Januam cum honore productus. A qua civitate transmigrare non permittitur, donec inæstimabilem auri summam pro sua ereptione Januensibus persolvisset; qui plus propter nummum quam propter Deum ejus ereptioni vacarunt. A.D. 1385. f. 192. Pope Urban is helped by the Genoese at a heavy price.

Circa festum Sancti Martini, factum est parliamentum Londoniis, in quo regi clerus concessit unam decimam, et quintam-decimam populus laicalis. Parliament. An aid.

Nova dignitas. Novi duces.

In hoc parliamento, Robertus Veer, comes Oxoniæ, factus est marchio Dubliniæ in Hibernia; et Thomas de Wodestok, comes Bokynghamiæ, creatus est dux Claudiocestræ, et ejus frater Edmundus, comes Cantabrigiæ,[1] constitutus est dux Eboraci. Promotions of peers.

Novus comes.

Ibid. ii. 141.

Michael atte Poole, vir plus aptus mercimoniis quam militiæ, pro tunc regni cancellarius, factus est comes Southfolchiæ, concessis ei annuatim de regis marsupio mille marcis.[2] Hic plus trapezitis[3] in pace consenuerat quam armatis in bello. Michael de la Pole made earl of Suffolk.

In eodem parliamento rex restituit temporalia sua episcopo Northwycensi. The temporalities of the bishop of Norwich restored.

Adventus regis Armeniæ.

Rex Armeniæ venit in Angliam, tractaturus de pace inter regna Angliæ et Franciæ, sed sine commodo utriusque. Attamen, præter mille libras quibus honoratus fuit a rege in navi aurea, literas patentes accepit a rege de mille libris annuatim sibi persolvendis. A.D. 1386. The king of Armenia visits England, and obtains help.

[1] Cantibrigiæ, H.

[2] *marcis*] marcas, H.

[3] *trapezitis*] tapazetis, H.

A.D. 1386. Fuerat nempe, ut asseruit, fugatus a regno suo per Tartaros; et hac occasione multa a regibus Christianis extorsit munera, in tantum ut felicior foret illi fuga sua in alienas patrias, quam pacificum dominium regni sui cum gente sua. Wals. Hist. ii. 142.

Mors Karoli de Pace.

Death of Charles, king of Sicily.

Circa tempus istud Karolus de Pace, rex Siciliæ, qui plura dampna sæpius papæ irrogaverat, si tamen injuste definire nolumus,[1] diem clausit extremum, excommunicatus a papa; quo vindicandi genere papa pro tunc usus est, quia aliud ulciscendi genus non occurrit. Nec est in ambiguo papam voluisse semet severius vindicasse, si sibi potestas brachii secularis minime defuisset. Ferunt tamen quidam ipsum Karolum proditiose fuisse peremptum a quodam milite, dum sederet ad mensam, die et hora quibus papam proposuerat occidisse.

Rumours of assassination.

Levitas Gandavensium.

The people of Ghent make terms with the king of France.

Gandavenses leves atque varii, non exspectato suffragio quod rex Angliæ non sine magnis sumptibus illis præparaverat, regi Franciæ manus dederunt, manifeste monstrantes se non posse uni amico vel domino diu fidem servare.

Profectio ducis Lancastriæ in Hispaniam.

The duke of Lancaster sets out to prosecute his claim to the Spanish throne.

Eodem anno dominus J[ohannes], dux Lancastriæ, volens accipere regnum Hispaniæ sibi debitum, vel jure suæ conjugis Constanciæ, videlicet senioris filiæ Petri quondam regis Hispaniæ, vel jure quod [rex][2] Angliæ habuit in regnum illud propter quædam pacta, proficiscitur in regionem longinquam. Cujus profectioni, quia scismatici fuerunt Hispani, favor papalis accessit, tribuens peccatorum veniam secum proficiscentibus, et huic profectioni conferentibus de bonis suis. In navigando versus regnum prædictum, cum vidisset castellum de Brest in Britannia velut obsessum duobus castellis Ibid. ii. 143.

He destroys the enemy's works at Brest.

[1] *nolumus*] volumus, H. B. | [2] Supplied from B. F.

ligneis, quæ Galli cum Britonibus erexerant contra illud, jussit suos egredi et debellare batillas[1] illas. Quas, prosperitate præcipue domini filii Walteri, ceperunt,[2] confregerunt, et diruerunt; et magnam prædam cum captivis obtinuerunt [ibidem],[3] non sine suorum dispendio deplorando, quia perdiderunt illic viros quosdam validos atque fortes. Quibus patratis, surgente vento secundo, appulsi sunt in Hispaniam, in portum videlicet de Le Groyn, in vigilia Sancti Laurentii, cum integra classe. Immo nihil ibidem dignum relatu[4] actum fuit, nisi quod ibi pene cuncti domini regno Angliæ sempiternum valefecerunt, ulterius non reversuri, et nonaginta milites fluxu ventris et diversis incommodis perierunt. Dux autem reversus est cum plebe quæ remanserat in Aquitanniam,[5] et in Baynensi provincia moram traxit, exspectans pacis conditiones aliquas firmandas inter ipsum et regem Hispaniæ, quarum prolocutor et promotor erat dominus Thomas Percy.

A.D. 1386.

He lands in Spain, but retires after great losses.

Casus in Austria.

Wals. Hist. ii. 144.

Eodem anno, in ducatu Austriæ, sub brevi tempore fortuna varia vultus suos in diversa mutavit, modo se favorabilem præbens illius regionis proceribus, modo semet ostendens adjutricem vulgaribus, versa vice. Nempe dux Austriæ, vir vafer et cupidus et Urbano papæ contrarius, invidens peregrinis ad papam confluentibus, imposuit tributum importabile omnibus per terram suam transituris, ut vel sic saltem arceret catholicos a visitatione papali. Unde factum est ut per illam [viam][6] peregrini transire[7] [cessarent],[3] præeligentes longiorem in circuitu peregrinationem suscipere, quam tot ducis exactionibus, contumeliis, et injuriis lacessiri. Vulgares autem illius patriæ, cernentes vias desolatas, et librantes dampna quæ jam dudum perceperant, cum peregrini cessassent transire per ipsos, orant una voce ducem, ut, more solito, permittat peregrinos transire per illos; per quorum affluentiam non mediocre emolumentum perceperat tota terra. Qui spreti et superciliose a duce repulsi, ad propria discesse-

The duke of Austria imposes a toll on travellers passing through his territories.

Travellers use other routes.

Rising of the people against the duke.

[1] *batillas*] bastillas, B. F.
[2] *ceperunt*] ceperant, H. B.
[3] Supplied from B. F. W.
[4] *relatu*] relatum, H.
[5] Aquitannia, H.
[6] Supplied from F. W.
[7] *transire*] transirent, H.

A.D. 1386. runt, et mox reversi cum exercitu magno vulgarium, cum duce confligunt. Sed commune vulgus non habens usum armorum mox cæditur, prosternitur, et captivatur. Sed tamen hoc flagellum nequaquam eos compescuit, quin iterum congregati convenirent ad pugnam. Quibus illico dux superbus et elatus occurrit, fidens in priori victoria et perempturus[1] omnes, si fortuna faveret. Sed longe aliter accidit quam sperabat,[2] qui ipse, cum tota nobilitate et generosa gente ducatus sui, coram eis interfectus corruit, fabula factus toti mundo.

The duke is finally defeated and slain. f. 192 b.

Probitas Henrici Percy.

Sir Henry Percy (Hotspur) sent to defend Calais.

Hac æstate increbuere rumores in Anglia de proposito regis Franciæ volentis obsidionem ponere circa Calesiam. Quapropter missi sunt ad loci tutelam, cum domino Henrico Percy juniore, quem Scoti Henri Haatspore vocaverunt propter innatam sibi probitatem, multi de valentioribus Angliæ regionis. Qui mox super Morinos et Picardos facit expeditiones, prædas abducit, et actus exercet laudabiliter militares. Cum autem cognovisset veraciter, quod rex Franciæ propositum dimisisset obsidendi Calesiam, sed proposuisset Angliæ regnum invadere, revertitur in hanc terram, ut hic ei occurreret quod[3] volebat, bellum scilicet Gallicorum. Wals. Hist. ii. 144.

Cowardice of the Londoners on the threatened French invasion.

Eo tempore Londonienses, comperto pro vero quod rex Franciæ conduxisset navigium, comparasset exercitum, fixisset propositum Angliam invadendi, mox meticulosi[4] ut mures, timidi sicut lepores, requirunt divortia, scrutantur latebras, et, velut mox foret capienda civitas, necessitates ultimas perfecere. Currunt nempe velut amentes ad muros, contiguas domos dilacerant, deponunt, et destruunt, et cuncta formidolose faciunt, quæ in extremis necessitatibus [constituti][5] facere consueverunt. Nondum ullus Gallicus in navi pedem posuerat, Neptunum nullus hostis ascenderat, et Londonienses, acsi tota terra in circuitu victa et conquisita fuisset, sic metuunt, ita sollicitantur, velut ipsos hostes aspicerent ante fores. Sic [sicut][5] viri in quiete[6] fortes, in Ibid. ii. 145.

[1] *perempturus*] perempturos, H. B. F. W.
[2] *sperabat*] prosperabat, H.
[3] *quod*] et quod, H.
[4] *meticulosi*] metriculosi, H. B.
[5] Supplied from B. F.
[6] *in quiete*] inquieti, H.

Wals. Hist. ii. 146.

pace feroces, in[1] semet ipsis pulchrum præbent spectaculum, proferunt non sequendum[2] exemplum quod[3] acturi forent, si sciren[4] instare prœlium, imminere periculum. A.D. 1386.

Carricæ captæ.

Some foreign ships captured and plundered.

Interea familiares regis Angliæ, qui maris conservavere semitas juxta Sandwicum, quinque magnas naves et sex carricas ceperunt, fertas hostium multis bonis. Attractas autem ad terram cœperunt eas exonerare victores; sed Januenses non ignorantes ubi succurri deberet eisdem, Michaelis at Poole cancellarii mox suffragia postularunt. Fuerat nempe a pueritia magis mercimoniis, utpote mercatoris filius, quam militia occupatus. Qui statim jussit de thesauro regio eorum dampna resarciri; et ita[5] rex circumquaque delusus, seductus, et supplantatus [est],[6] et regnum de thesauro debito vacuatum, et hostes sævissimi, infestissimi, et crudelissimi sunt cum pace pecuniaque dimissi. Ipsi vero mox ut solverunt a litore, cursus versus Flandriam direxerunt, et portum de Sclus subintraverunt; ubi mox peremerunt quosdam ex Anglicis peregrinos, qui versus curiam properabant, qui in illorum vasa pacto justo naulo concesserant, sperantes in eorum amicitia qui tam amicabiliter tractati fuerant in hac terra.

The Genoese appeal to the chancellor, and obtain compensation.

They murder some English pilgrims.

Capture of French ships, and part of a wooden wall prepared by the French.

Ibid. ii. 147.

Sub eisdem diebus nostrates ceperunt duas magnas naves regis Franciæ, in quibus et pars muri lignei quem idem rex parari fecerat ad erigendum in Anglia, et magister totius fabricæ, qui erat Anglicus, interceptus est, cum machinis ad petras jaciendas, et gunnis, ac multo pulvere pro eisdem. Erecta est proinde illa pars muri lignei apud Sandwicum; et factum est ut quem contra nos hostes præparaverant nos ereximus contra hostes.

Parliamentum Londoniarum.

Parliament.

Circa festum Sancti Michaelis archangeli, factum est parliamentum Londoniis; ad quod convenerunt armati et

[1] *in*] de, B. F. W.
[2] *sequendum*] se quem, H. B. F.
[3] *quod*] quid, H.
[4] *scirent*] sentirent, B. F. W.
[5] *ita*] ita quod, H.
[6] Supplied from B. F. W.

A.D. 1386. Preparations to oppose the French invasion.

arcitenentes de tota Anglia, ut parati forent ad resistendum regi Franciæ, qui jam paratus erat cum duodecim ducibus, viginti sex comitibus, et aliis multis dominis, necnon cum infinitis vulgaribus, et tribus millibus navium, ad Angliam confundendam. Sed obsistente vento nimio, Deo conatus suos frustrante, [totus][1] ille apparatus confusus, turbatus, et cassatus fuit.

Dux Hiberniæ.

Robert de Veer made duke of Ireland.

In hoc parliamento dominus rex Robertum de Veer, comitem Oxoniæ, sed [nuper][2] in postremo parliamento creatum marchionem Dubliniæ, ducem fecit Hiberniæ, facturus ex post de duce regem, si fortuna faveret; submurmurantibus ceteris nobilibus et baronibus ac indigne ferentibus tantæ promotionis appetitum in viro dudum tam mediocri, quem non plus ceteris commendabant vel generis sui sublimitas vel reliquarum virtutum dotes. Wals. Hist. ii. 148.

M[ichael] atte Pool convicitur.

M. de la Pole accused in parliament, and disgraced.

Cancellarius regni, Michael atte Pool, per milites de parliamento eo tempore convictus est de quibusdam proditionis in regem articulis, et multis fraudibus et facinoribus, factis tam contra regem quam contra regnum. Ob quas causas, licet regi multum displiceret, ab officio cancellariæ dejicitur, multandus in viginti millibus marcarum argenti solvendis ipsi regi, et insuper dignus morte parliamenti judicio definitur. Ibid. ii. 149.

He is restored to the king's favour; and plots to destroy his enemies.

Hæc autem omnia, quamquam summe regi placuisse debuerant, maxime, ut præfertur, displicebant, tantum rex innocens fidebat in infideli, tantum coluit nebulonem. Factumque est ut, ejus amoris intuitu, non multo post rex infirmaret quicquid in parliamento contra [ipsum][3] statutum [fuit].[3] Insuper et suos accusatores ipse Michael (ne dicam hoc regis esse commentum) statuit, invitatos ad cœnam Londoniis, una cum duce Gloverniæ repente trucidasse.

[1] Supplied from B. F.
[2] Supplied from B. F. W.
[3] Supplied from F. W.

Cui consilio magnus auctor fuit[1] Nicholaus Brambure miles, qui fuerat major Londoniarum anno transacto; A.D. 1383.

Wals. Hist. ii. 150. sed laudabili constantia Ricardi Exstone, majoris anni præsentis, qui fatebatur se minime consensurum tanto facinori, scelus est omissum.

Ibid. ii. 151. Eodem tempore rex Armeniæ, qui dudum expertus[2] fuerat regis liberalitatem et procerum, mittit pro conductu, velut adventus ejus causa foret amor pacis reformandæ inter regna Angliæ et Franciæ; quorum unum jam paratum erat ad aliud invadendum. Sed revera plus desideravit pecuniam quam pacem, plus dilexit dona quam plebem, plus aurum regni quam regem. Cujus adventui[3] licet rex consentiret, proceres tamen, librantes quod esset illusor, responderunt regi se nolle tractare cum illo; sicque impeditus est ejus adventus, qui, sicut nec primo, nec quidem secundo Angliæ profuisset. The king of Armenia's offer to mediate between England and France refused. f. 193.

Regis Franciæ adventus miraculose impeditur.

Rex Franciæ, cum a kalendis Augusti usque ad vigiliam Omnium Sanctorum ventum exspectasset prosperum in portu[4] de Sclusa, ipsa vigilia surgente vento, prout putabat, sibi prospero, disposuit[5] naves et portum cum impetu dereliquit. Cumque cunctæ rates fuissent egressæ, et jam profunda tenerent, essentque a portu semotæ quasi per viginti milliaria, ecce ventus contrarius, obvius eis factus, omnes retrocedere compulit; et non tantum compulit, sed et impulit naves et allisit, ut multæ de illis [in][6] introitu illius portus de Sclus confringerentur. Hac occasione et Anglia metu liberata, et rex Franciæ tristis est regressus ad sua, [ut][7] ferunt blasphemus in Deum et omnes sanctos, qui non sinebant eum prosequi vota sua. The French fleet, setting sail to invade England, is dispersed by a storm.

Acta parliamenti.

Ibid. ii. 150. Hucusque parliamento continuato, propter improbitatem exigentium, concessa[8] est media pars unius decimæ per clerum regi, et media pars quintæ-decimæ per communes. An aid granted.

[1] *fuit*] erat, B. F.
[2] *expertus*] expertum, H.
[3] *adventui*] adventum, H.
[4] *portu*] portum, H.
[5] *disposuit*] dissolvit, B. F. W.
[6] Supplied from F. W.
[7] Supplied from F.
[8] *concessa*] concessum, H.

A.D. 1386. Quæ pecunia assignata [fuit][1] comiti Arundelliæ, apud mare profecturo.

The duke of Ireland is allowed the ransom of the heirs of Charles de Blois.

Ad regis etiam petitionem et instantiam, permissum est duci Hiberniæ, ut heredes Karoli de Blois, qui ducatum olim Britanniæ vendicavit Armoricæ, Francis venderet pro triginta millibus marcarum, ut, hac adjutus pecunia, dominium quod sibi donaverat rex in Hibernia viriliter recuperaret; ea duntaxat conditione, ut citra[2] proximum Pascha in Hiberniam transfretaret.

Appointments of a new chancellor and treasurer.

Dejecto, ut retulimus, de officio cancellariæ Michaele atte Pool, et morti digno judicio parliamenti judicato, subrogatus est dominus Thomas [Arundel][3] episcopus Eliensis, vir qui justitiam præferret auro et æquitatem mundo obrizo.[4] Depositus est insuper eo tempore de officio thesaurarii dominus [Johannes] Fordham, episcopus Dunelmensis, et pro eo constitutus est frater J[ohannes] Gilbert, de ordine Prædicatorum, episcopus Herfordensis, vir qui plus lingua quam fide vigebat. Wals. Hist. ii. 152.

Rex a seductoribus circumvenitur.

Influence of the king's favourites over him.

Interea manucapto dicto Michaele atte Pool, rex, contra vota procerum, fecit eum cohabitare sibi, una cum duce Hiberniæ et archiepiscopo Eboracensi, domino Alexandro Nevyle; qui extunc commoverunt regem contra dominos, susurrantes regem non in effectu[5] esse regem, sed nomine tenus, futurumque,[6] ut nihil sui juris exsisteret, si domini tanta potestate gauderent. Credebat itaque illis rex, et iccirco de cetero proceres omnes suspectos habebat. Ab illo ergo tempore abalienavit se rex a cœtu procerum, et cum istis jugiter gradiebatur, jocabatur, et consilia exercebat.

[*Profectio gratiosa*].[3]

A.D. 1387. The earls of Arundel and

Circa initium mensis Martii, Ricardus comes Arundelliæ, et Thomas comes Notinghamiæ, cum electissima

[1] Supplied from F.
[2] *citra*] citram, H.
[3] Supplied from B. F.
[4] *obrizo*] obriso, H.
[5] *in effectu*] ineffectuose, H. B.
[6] *futurumque*] futurum quia, H.

manu armatorum, profecti sunt ad mare. In vigilia autem Annunciationis Dominicæ, commiserunt bellum cum classe magna navium Flandriæ, Franciæ, Normanniæ, et Hispaniæ, cessitque nostris victoria, captis octoginta navibus, et multis diversæ conditionis armatis, quampluribus[que][1] peremptis. Fugerunt tamen de conflictu quædam, quas biduo comes Arundelliæ persequens postremo cepit et ad classem nostram traxit. Captæ sunt autem numero majores et minores naves[2] centum et eo amplius, quæ omnes vinis et præcipue vino albo refertæ fuerunt. Numerus vero doleorum ad decem et novem millia aut plus excrevit. Vina autem diversis regni provinciis destinata inæstimabile solatium causavere.

A.D. 1387. Nottingham defeat the French at sea.

Wals. Hist. ii. 154.

Capture of ships laden with wine.

Post hæc comes, recollecto resarcitoque navigio, et conductis recentibus pro his, qui læsi vel sauciati [fuerant][3] sive perempti, iterum mare temptans, reflexit vela versus castellum de Brest, quod est clavis Britanniæ; contra quod Gallici cum Britonibus[4] jam duas munitiones erexerant [vel erecturi fuerant][3] majores et fortiores quam fuerunt illæ quas dux Lancastriæ per suos debellaverat et destruxerat, anno præterito, versus Hispaniam proficiscens. Harum unam comes, debellatis[5] qui intus erant, cepit; et, quia videbatur necessaria castellanis[6] de Brest, posuit quosdam ex nostris in ea. Alteram vero sumptuose paratam [sed nondum erectam][3] injecto igne cremavit. Et sic hostes in eodem loco sub brevi tempore geminata dampna cepere. Instauravit insuper admirallius castellum de Brest cunctis victualibus quæ sufficerent ad unum annum, compositisque per omnia bene rebus, redivit in Angliam cum benedictione omnium plebanorum.

The earl of Arundel destroys French forts at Brest.

Sed tamen invidebant tantæ probitati qui cum rege erant, dux Hiberniæ, et comes Southfolchiæ, M[ichael] atte Pool, et Symon de Burleya, depravantes acta sua, et dicentes eum nullum opus egregium perpetrasse; quippe qui non nisi mercatores invaserit, quorum fructuosius exstitisset amorem servasse patriæ, quam odium inexorabile concitasse. Et hi nimirum milites plus erant Veneris quam Bellonæ, plus potentes in thalamo quam in campo, plus lingua quam lancea vigue-

Envy of the king's favourites.

[1] Supplied from B. F.

[2] *naves*] rates, W.

[3] Supplied from B. F. W.

[4] *cum Britonibus*] sive Britones, W.

[5] *debellatis*] debellatus, H. B. F.

[6] *castellanis*] castello, W.

A.D. 1387. runt, ad dicendum vigiles, ad faciendum acta martia[1] somnolenti. Wals. Hist. ii. 156.

H[enricus] Percy destinatur ad mare.

Sir Henry Percy sent against the enemy without proper support.

Interjecto parvo tempore, qui de concilio regis erant procurarunt ut Henricus Percy, filius comitis Northumbrorum, mitteretur in mare ad repellendum irruptiones hostium, qui dicebantur [prompti,][2] propter plagam quam dudum ceperant, ad irruptiones in Angliam faciendum. Cui nec sufficientem manum delegaverunt, nec favorem debitum impenderunt; sed hoc fecerunt invidentes, ut dicebatur,[3] ejus indoli, eo quod
f. 193 b. jam nomen magnum tam inter Scotos quam inter Gallicos esset adeptus. Ipse vero, quod ipsi dolose machinati fuerant vel nesciens [vel][2] parvipendens, intrepidus suscepit injunctum negotium, et[4] animose strenueque peregit; et, expleto termino suæ militiæ, incolumis remeavit.

Treasonable designs attributed to Sir James Berners.

Ferunt multi Jacobum Berners militem et quosdam alios voluisse nunciasse regi Franciæ, per suas literas, de profectione dicti H[enrici] ad mare, quem facile cum suis omnibus intercepisse potuisset, eo quod quasi sine potentia, ut asserebant, militari processit. Literæ vero captæ domino J[ohanni] Beuchaumpe de Holt, tunc senescallo regis, delatæ sunt; qui nihil[5] pro his omnibus contra eos egit.

Potestas concessa fratri Waltero Disse.

Ibid. ii. 157.

Walter de Disse, a Carmelite friar, empowered to dispense privileges;

Per idem tempus[6] quidam frater in Anglia de Carmelitarum secta, vocatus Walterus de Disse, qui dudum fuerat confessor ducis Lancastriæ, accepit a papa privilegia inaudita, impartienda cunctis qui ducis profectioni[7] de bonis [suis][8] quicquam conferrent. Inter quæ accepit potestatem creandi capellanos papæ, secundum formam et consuetudinem in Romana curia usitatam; et inter multos,

appoints Peter Pates-

qui eam care satis emerunt, concessit hanc libertatem

[1] *martia*] marti, H. B.
[2] Supplied from B. F. W.
[3] *dicebatur*] dicebantur, H.
[4] *et*] ut, H. B.
[5] *qui nihil*] quibus, H.
[6] *Per idem tempus*] Per id temporis, H.
[7] *profectioni*] profectionis, H.
[8] Supplied from B. F.

Wals. Hist. ii. 157.

cuidam fratri[1] de secta Augustinensium, dicto Petrus Pateshull, qui exinde, putans se omni libertate donatum, cœpit [adhærere][2] Wycliffensibus, quos Lollardos vulgus vocat; quorum hortatu prædicavit publice contra fratres suos. Et chartam conscripsit insuper quam poni fecit super ostium Sancti Pauli, in qua eos accusavit de diversorum confratrum suorum homicidio. Et ut major fides daretur dictis suis, edicit occisorum nomina et tortorum vocabula; locaque designat in quibus occisi vel sepulti fuerant tali modo perempti. Dixit insuper eos sodomitas exsistere, regisque et regni traditores; et multa plura quæ dinumerare longum foret.

A.D. 1387. Pateshull to be a papal chaplain. Pateshull preaches against the friars of his order. He accuses them of various crimes.

Hanc chartam multi de capuciatis militibus, quasi divinum munus acceptantes, pro firmo asseruerunt cuncta fore veridica, quæ scribebantur ibidem. Capuciati vocabantur quia nec ad sacramentum altaris capucia deponebant. Fecerunt igitur transcripta sibi de his omnibus, ut valerent per hæc suæ malitiæ satisfacere in futurum.

He is supported by certain Lollard knights.

Nomina militum Lollardorum.

Milites autem, qui hanc sectam coluerunt et sustentaverunt efficacius, fuerunt, Willelmus Nevyle,[3] Lodowycus Clyfforde, Johannes Clenbowe, Ricardus Stury, Thomas Latimer; et inter omnes major fatuus, Johannes Mountagu, qui in tantam lapsus est vesaniam, ut cunctas imagines, quas apud manerium de Shenlee antecessores sui erexerant in capella sua, deponi faceret et in locis abditis collocari. Unum solummodo [privilegium adepta est][4] imago Sanctæ Katerinæ, quam in pistrinum[5] suum deferri permisit, quia plures afficiebantur[6] eidem.

Names of the chief Lollards.

Factum exsecrabile.[7]

Fuerunt et alii multi milites male scientes de fide catholica, inter quos præcipuus et infamia majori famosus quidam miles, Laurencius de Sancto Martino dictus, de comitatu Sarum; qui in vigilia Paschæ Cor-

Desecration of the Sacrament by a Lollard.

[1] *cuidam fratri*] inferri, H.; cui fratri, B.

[2] Supplied from B. F.

[3] The names are erased in B.

[4] Supplied from B. F. W.

[5] *pistrinum*] pristinum, H. B.

[6] *afficiebantur*] efficiebantur, H.

[7] This story has already been given in different words above, p. 282.

A.D. 1387. pus Dominicum in ore acceptum evomit,[1] et, manu tenens illud, domum properavit, subsequente sacerdote et obsecrante ne tantam injuriam faciat sacramento, sed illud restituat, vel Christianorum more tractet et sumat. Sed miles, excluso presbytero, adhibitis ostreis, divisit hostiam, cujus partem cum ostreis, partem cum cæpis, partem cum vino deglutivit, dicens quemlibet panem domus suæ tanti fore valoris, quanti fuit ille quem sumpsisset. Famuli vero sui, qui de tam horrendi facti novitate stupuerunt, hæc omnia exteris retulerunt. Wals. Hist. i. 450.

Causa commotionis magnæ. Ibid. ii. 160.

The duke of Ireland repudiates his wife, and marries an attendant of the queen.

Sub eisdem diebus, Robertus de Veer, elatus de honoribus quos dominus rex impendebat eidem, jugiter suam repudiavit uxorem, juvenculam nobilem atque pulchram, genitam de illustris Edwardi regis filia Isabella; et aliam superduxit, quæ cum regina de Boemia venerat, ut fertur, cujusdam cellarii filiam ignobilem prorsus atque fœdam, cujus nomen erat in suo idiomate Launcrona.[2] Ob quam causam magna surrepsit scandalorum occasio. Favebat sibi in his omnibus ipse rex, nolens ipsum in aliquo contristari. Indignabantur proinde proceres, sed præcipue dux Gloverniæ, præfatæ mulieris avunculus, qui quandoque ulcisci statuit injurias illatas nepti suæ; quod ducem Hiberniæ non latebat. Quamobrem et sibi cavere statuit, et ducem Gloverniæ, cum universis qui sibi favebant, de medio tollere meditatur.

Anger of the duke of Gloucester thereat; and consequent designs against him.

The duke of Ireland still lingers in England.

Jam Pascha transierat, jam tempus præterierat, quo dux Hiberniæ transfretaturus fuerat in Hiberniam, et adhuc eum, velut nihil de profectione cogitaret, Anglia detinebat.

Conspiratio.

The king retires with him into Wales, where they plot against the duke of Gloucester's party.

Sed ne, propter hanc causam, tumultus foret inter proceres, rex, velut deducturus eum ad naves, in Walliam proficiscitur cum eodem, non tamen dimissurus eum, sed detenturus ibidem, ut illic semoti quietius deliberare possint, qualiter ducem Gloverniæ, comites Arundelliæ, Warwici, Derby, et Notinghamiæ, cum aliis regno fidelibus, dolo tenerent et occiderent. Instigabant ad hoc [regem][3] jugiter M[ichael] atte Pool, Robertus Tresylian, justiciarius, Alex-

---

[1] *evomit*] evomuit, B. F.

[2] Launcecrona, B. F. W.

[3] Supplied from F.

Wals. Hist. ii. 161.

ander Neveyle, Eboracensis archiepiscopus, et plures alii, qui, suæ pelli timentes, non minus quam dux Hiberniæ, in necem dictorum procerum conspirabant. A.D. 1387.

Igitur in Wallia emenso temporis longo spatio, rex, velut profectio ducis in Hiberniam oblivioni data fuisset cunctis qui remanserant in Anglia, redit cum duce et suis traditoribus ad castellum de Notingham, tractaturus ibi finaliter de morte procerum prædictorum. Illic igitur advocari fecit multos de Londoniensibus,[1] quos novit contingentes ad utrumlibet, et regni vicecomites et justiciarios universos. Londonienses accersivit, qui mobiles erant ut arundo, et nunc [cum][2] dominis, nunc cum rege, sentiebant, nusquam stabiles, quorum multi nuper de proditione in regem convicti et confessi fuerant, sed tamen ejus gratiam consecuti, ut ipsi gratiam regi pro gratia gratis rependerent et dominos indictarent de quibus[dam] criminibus, quæ contra eos dicti proditores imaginati fuerant, dum cum rege agerent in remotis.[3] The king summons the sheriffs, justices, and certain Londoners, to assist him, at Nottingham. f. 194.

Vicecomites convenire fecit, ut sciret quantam potentiam possent contrahere contra barones, et ut ipsi nullum militem de pago vel schira permitterent eligi ad parliamentum, nisi quem rex vel ejus concilium elegisset. Ad quæ vicecomites dixerunt quod communes favere[4] dominis, nec esse in potestate illorum ad hanc causam exercitum contrahendi.[5] De militibus ad parliamentum eligendis[6] dixerunt, communes velle tenere usitatas consuetudines, quæ[7] volunt ut a communibus milites eligantur. Igitur vicecomites, datis his responsis, dimissi sunt. Questions put to the sheriffs, as to raising forces and regulating elections.

Justiciarii [sunt][8] vocati, ut ipsi decernerent indictamenta fore legalia, et eisdem apponerent sigilla sua. Quod et tunc completum est, Roberto Tresilian et Johanne Blake, juris apprenticio, facinus introducentibus perpetrandum. The judges summoned to seal the indictments.

Vicesimo quinto die mensis Augusti, convenientibus apud castrum de Notingham Roberto, capitali justiciario, et Roberto Belknappe, capitali justiciario de communi banco, Johanne Holt, Rogero Fulthorp, et Willelmo Burgh, militibus, justiciariis et sociis Roberti Belknappe supradicti, rex quæsivit ab eis in fide et Questions put to the judges on constitutional points, and their answers.

[1] Londoniis, W.

[2] Supplied from B. F. W.

[3] *dicti . . remotis*] rex, dum in remotis ageret, imaginatus fuerat cautelose, W.

[4] *favere*] faverunt, B. F.

[5] *contrahendi*] contrahendum, W.

[6] *eligendis*] eligendum, H.

[7] *quæ*] quem, H.

[8] Supplied from F. W.

A.D. 1387. ligeancia quibus eidem astringebantur, quod ad certas [quæstiones][1] fideliter responderent, et super eis secundum suam discretionem legem darent.

Inquisitiones factæ contra proceres.

Primo, an illa nova statutum, et ordinatio, atque commissio, facta et edita in ultimo parliamento apud Westmonasterium, derogant regaliæ et dicti regis prerogativæ. Dederat nempe rex duci Gloverniæ, et comiti Arundelliæ, et quibusdam aliis, commissionem, licet invitus, ad inquirendum, audiendum, et judicandum de certis defectibus, et præcipue Michaelis atte Pool. Ad quam responderunt, quod derogant, præsertim eo quod fuerant contra voluntatem regis.

Secundo, qualiter [illi,][1] qui statutum,[2] ordinationem, et commissionem [prædictorum][1] fieri procurarunt, sunt puniendi. Ad quam responderunt quod pœna capitali, nisi rex eis voluerit indulgere.

Tertio, qualiter sunt puniendi, qui regem excitaverunt ad consentiendum præmissis. Ad quam responderunt, quod, nisi rex eis fecerit gratiam, sunt pœna capitali merito puniendi.

Quarto, qualem pœnam merentur illi, qui compulerunt regem ad consentiendum confectioni dictorum statuti ordinationis et commissionis. Ad quam responderunt, quod sunt ut proditores merito puniendi.

Quinto, quomodo sunt illi etiam puniendi, qui impediverunt regem, quo minus poterat exercere quæ ad regaliam suam pertinuerunt, remittendo pœnas sive debita quævis. Ad quam responderunt, quod sunt ut proditores etiam puniendi.

Sexto quæsitum fuit, an postquam, parliamento congregato, negotia regni et causa congregationis parliamenti de mandato regis exposita et declarata, et com-

[1] Supplied from B. F.

[2] *statutum*] F.; statum, H. B.

munes articuli limitati per regem, super quibus domini et communes regni in eodem parliamento procedere debeant, si domini et communes super aliis articulis velint omnino procedere, et nullatenus super articulis limitatis per regem, donec super articulis, per eosdem expressatis, fuerit per ipsum regem primo responsum, [non] [1] obstante quod eis fuerat per regem injunctum in contrarium; numquid rex in ea parte debeat habere regimen parliamenti, et de facto regere effectum, quod super limitatis articulis per regem primo debeant procedere, vel an domini et communes primo debeant habere [responsum] [1] a rege super articulis per eosdem expressis, antequam ulterius procedatur. Ad quam responderunt, quod rex in ea parte haberet regimen, et sic seriatim in omnibus aliis articulis tangentibus parliamentum, usque ad finem [ejusdem] [1] parliamenti. Et si quis hujusmodi [regimen] [2] regis fecerit, tamquam proditor est puniendus. A.D. 1387.

Septimo, numquid rex, quandocumque sibi placuerit, potest dissolvere parliamentum, et suis dominis et communibus præcipere quod abinde recedant, an non. Ad quam responderunt, quod potest; et si quis extunc contra voluntatem regis procedat, ut in parliamento tamquam proditor puniendus exsistit.

Octavo, ex quo rex potest, quandocumque [sibi] [2] placuerit, removere quoscumque officiarios et justiciarios suos, et ipsos pro delictis justiciare et punire, numquid [3] domini et communes possunt, absque voluntate regis, officiarios et justiciarios ipsos impetere, super delictis eorum, in parliamento, an non. Ad quam responderunt, quod non possunt; et si quis contrarium fecerit, est ut proditor merito puniendus.

Nono, qualiter ille est puniendus, qui in parliamento movebat quod mitteretur pro statuto per quod rex

[1] Supplied from B. F.
[2] Supplied from F.
[3] *numquid*] inquit, H.

A.D. 1387. Edwardus Kanervian erat adjudicatus in parliamento; per cujus statuti[1] conspectionem nova statutum et ordinatio ac commissio supradicta fuerunt in parliamento concepta. Ad quam responderunt, quod tam ille qui sic movebat, quam alius qui prætextu hujus monitionis statutum illud portavit ad parliamentum, sunt ut proditores criminosi merito puniendi.

Decimo, an judicium, in ultimo parliamento apud Westmonasterium celebrato, redditum contra comitem Southfolchiæ, scilicet M[ichaelem] atte Pool, fuit erroneum et revocabile, an non. Ad quam unanimiter responderunt, quod, si illud judicium fuisset modo reddendum, illi justiciarii modo reddere nollent; quia videtur eis, quod judicium illud revocabile [est][2] tamquam erroneum in omni sui parte.

f. 194 b. In quorum omnium testimonium justiciarii prædicti, et Johannes Loktone, serviens domini regis ad legem, sigilla sua præsentibus apposuerunt; his testibus, Alexandro Eboracensi et Roberto Dublinensi archiepiscopis, Johanne Dunelmensi et Thoma Cestrensi episcopis, Roberto duce Hiberniæ, M[ichaele] comite de Southfolch, Johanne Ripoun clerico, Johanne Blake scutifero, etc.

Proceres conturbantur.

The king assembles forces. Expeditis ad vota indictamentis in dictos proceres et plures alios nobiles et barones, rex et dux Hiberniæ, missis mox nunciis, conduci fecerunt multos, ut cum illis starent contra dominos, si oporteret, in die belli. Interea rumor hujus facti pervenit ad proceres, et eos magna[3] replevit tristitia, eo quod, nullius culpæ conscii, tanto regis odio stringerentur. Unde in primis regis patruus, dux Gloverniæ, ut regis animum mitigaret, coram episcopo Londoniensi et multis aliis regni nobilibus, edidit juramentum, tactis sacrosanctis, se nunquam aliquid in regis læsionem machinatum fuisse, excepto quod

Wals. Hist. ii. 162.

Alarm of the lords.

The duke of Gloucester declares his innocence on oath.

[1] *statuti*] instanti, H.

[2] Supplied from F.

[3] *magna*] F.; in grava, H. B.

Wals. Hist. ii. 162.

ducem Hiberniæ, quem rex dilexit, lætis oculis non respexit, nec [quidem][1] aspicere voluit in futurum; qui non solum suam, sed regis consanguineam dehonestasset. Cum autem episcopus Londoniensis hæc, prout injunctum sibi fuerat, regi retulisset, et rex aliqualiter ad credendum ducis juramento inclinatus fuisset, M[ichael] atte Pool,[2] timens, si rex et dux redirent in concordiam, sua affutura dispendia, verba fecit contra ducem, quibus adversus eum regis animum commoveret. Cui pontifex, "Sileas," ait, "O Michael, non decet qui "dampnatus [es][3] os de cetero aperire. Est enim nisi regia "gratia quod tu vivis." Ad hæc rex mox iratus, episcopo abire præcepit; qui[4] confestim descendens, quæ audierat enarravit.

A.D. 1387.

Michael de la Pole intrigues to prevent a reconciliation.

He is rebuked by the bishop of London.

Hinc[5] excrevit rancor et indignatio ex utraque parte. Quapropter dux enarrat comitibus Arundelliæ, Warwici, et Derbeyæ, quorsum res tenderet, denudatque consilium, edicit periculum, quod omnes in commune tangebat. Qui mox, collectis[6] exercitibus, statuerunt regem convenire super præmissis.

The breach is widened, and the lords determine on action.

Proceres sibi cavent.

E contra rex, ex parte sua, agentibus proditoribus, deliberavit qualiter prædictos[7] dominos tolleret, antequam sibi mutuis viribus subvenirent. Et primo misit ad castellum de Raygate, ad arrestandum comitem Arundelliæ, comitem Northumbriæ, dominum Henricum Percy; qui cum venisset et vidisset militiæ magnam multitudinem congregatam, insuper et comitem Arundelliæ nimis commotum, timuit adimplere commissum mandatum, et negotio recessit infecto. Post cujus recessum [noctanter][3] equitavit in exercitu, donec pervenit ad silvam de Haringey, ubi reperit ducem Gloverniæ [et] comitem Warwici, cum magna vi militiæ congregatos.

The earl of Northumberland fails to arrest the earl of Arundel;

who escapes and joins the other lords.

Eo tempore, ut dicebatur, rex arripuerat iter versus Cantuariam, non tantum ut vota redderet Beato Thomæ, sed ut præmissa pacta firmaret transfretando[8] regi Franciæ, cui vendiderat Calesiam, cum castello de Gynes, consilio proditorum

The king accused of intending to sell Calais and Guines to the French.

[1] Supplied from B. F. W.
[2] Pole, B. W.
[3] Supplied from B. F.
[4] *qui*] quæ, H.
[5] *Hinc*] Hic, H.
[6] *collectis*] collectibus, H.
[7] *prædictos*] præfatos, B. F. W.
[8] *transfretando*] cum transfretando, H.

A.D. 1387. qui circa eum erant. Sed cum cognovisset dominos tam subito congregatos, obstupuit, quærens quid agendum foret in tanta turbatione. Quidam autem censuerunt dominos pulchre reconciliandos, et promittendum eis propositi sui votivam exsecutionem. Wals. Hist. ii. 164.

Uncertainty in the king's party.

Regis consilium.

Alii laudaverunt regis familiam congregandam cum Londoniensibus, ad obviandum proceribus et experiendum Martis fortunam; et horum acerrimus erat archiepiscopus Eboracensis. Sed dissuaserunt hoc prudentiores consiliarii, asserentes regi nullum proventurum commodum, licet vinceret, et magnum affuturum dedecus et dispendium, si vinceretur.

A reconciliation arranged between the king and the lords.

Interea pacis mediatoribus [intercurrentibus,][1] res ad id deducta est, ut domini apud Westmonasterium coram rege venirent, exposituri sua gravamina et justum judicium percepturi. Quo cum venissent, sedente rege in ornamentis regalibus, petierunt ut proditores, quos jugiter secum detinebat, expelleret a comitiva sua, pro suo commodo et totius regni quiete.

Appellatio.

The lords demand the removal of the duke of Ireland and others.

Proditores vero appellabant unanimiter Robertum de Veer, ducem Hiberniæ, Alexandrum Neveyle, archiepiscopum Eboracensem, M[ichaelem] atte Pool, comitem Southfolchiæ, Robertum Tresylian, falsum justiciarium, Nicholaum Brambre, falsum militem Londoniensem. Et ut appellationem fore veram monstrarent, projectis cirotecis, eam se velle duello prosequi juraverunt. Ad hæc rex respondit, hoc modo non debere fieri, sed differri ad proximum parliamentum, quod præfixit in crastino Purificationis proximo sequentis. Post hæc amicabiliter duxit illos in cameram, ubi, post vinum, finale responsum receperunt, quod cuncti, prout dictum est, ad parliamentum convenirent, in quo fieret omnis justitia utrique parti. Et interim rex recepit ducem Hiberniæ et ceteros in suam protectionem, et ducem Gloverniæ cum suis sociis pari modo, ut nulla pars interea noceret [alteri],[1] nec præsumeret congregationem facere, usque ad diem tempusque præfixum. Et sic istud concilium est solutum. Ibid. ii. 166.

The king promises to do justice in the ensuing parliament.

[1] Supplied from B. F. W.

Dux Hiberniæ congregat exercitum.

A.D. 1387.

Wals. Hist ii. 167.

Recedentibus itaque dominis, non [est][1] visum tutum jam tunc disjungi, propter regis mutabilitatem et proditorum notoriam falsitatem; quod ex post eis magnæ sapientiæ loco fuit. Nam de conniventia regis, interim dux Hiberniæ in partibus Cestriæ et Walliæ magnam turbam conflaverat; quorum ductor erat Cestriæ constabularius, dictus Thomas Mulinews, vir utique dives et audax, cujus nutum tota illa provincia exspectabat. De quorum adventu secreto domini præmuniti, exierunt obviam duci Hiberniæ, occulte tamen et in noctibus, dividentes turmas ad obsidendum omnes vias quibus venturus sperabatur.

The lords still keep their forces together.

The duke of Ireland gathers an army in Wales and Cheshire, under Sir T. Mulinews.

Dux Hiberniæ fugit.

Ille vero, cum repente vidisset dominorum exercitum non procul ab eo distantem, licet sui hortarentur ad pugnam, calcaribus urgens equum fugit. Dictus vero Thomas Mulinews, dum dedignatur fugere sed potius pugnare præelegit, interfectus est.

He takes to flight.

f. 195.

Sir T. Mulinews is slain.

Ibid. ii. 168.

Interea dux Hiberniæ fugiendo pervenit ad flumen de Borforde, sed cum transire pontem cuperit, fractum reperit. Ad alium vero pontem [dum][2] pervenisset, arcitenentes invenit, qui ejus transitum prohiberent. Quapropter divertens equum compulit intrare flumen; in quo mox propter rapacitatem gurgitis, ex equite[3] natator factus, ad aliam ripam venit. Et quia nox erat, non sunt secuti longius fugientem. Equus tamen ejus, cum casside, pectorali, et cirothecis, inventa sunt; unde ex post diu submersus fuisse putabatur. Quadrigam ejus etiam cum clitellis proceres interceperunt,[4] in quibus inter multa repererunt regis ad eum directas literas, in quibus continebatur, ut venire festinaret Londoniis, cum magna potestate, et rex cor apponeret ad vivendum et moriendum cum eo. Qui apices fidem fecerunt dominis de regis mutabilitate.

Escape of the duke.

The king's letters to him are found among his baggage.

---

[1] Supplied from B. F.

[2] Supplied from F. W.

[3] *equite*] equo, H.

[4] *interceperunt*] receperunt, H.

A.D. 1387. *Fuga M[ichaelis] at Pool.* Wals. Hist. ii. 169.

Flight of Michael de la Pole to Calais. Loyal conduct of his brother.

Michael atte Pool per idem tempus, mutato habitu et rasa barba, portans altilia, velut ad vendendum, fugit Calesiam ad fratrem suum, capitaneum castelli illius villæ. Sed ille, ut miles fidelissimus, nunciavit domino Willelmo Beuchaumpe, capitaneo, de adventu mirabili fratris [sui],[1] asserens res quidem non stare recte cum eo, qui tali modo se disfigurasset. Oravit tamen, quia frater suus erat, liceret eum recipere et exhibere, donec idem Willelmus eum decerneret remittendum. Quod [ita][1] factum est; nam reductus ad regem fuit, sed permisit illum rex libere ire quocumque vellet, parvipendens verbum quo promiserat eum exhibendum cum ceteris parliamento futuro.

He is sent back to England, and set at liberty.

Flight of the archbishop of York and Robert Tresilian.

Fugerunt eo tempore archiepiscopus Eboracensis et Robertus Tresilian, justiciarius, iram procerum, quam juste meruerant, metuentes.

The lords dismiss their prisoners.

Reversis dominis a[2] conflictu qui fuit juxta Burforde prope Bablakehythe, ubi militibus et armigeris, qui convenerant cum duce Hiberniæ, redonatis equis et armis et secum detentis, sed plebanis equis arcubus et sagittis spoliatis, et domum remissis, magna fiebat in communi vulgo lætitia de hostibus regni stratis vel devictis. Sed hanc lætitiam temperavit evasio ducis Hiberniæ, quia quid de eo fuit actum penitus nesciebatur.

Public joy at their victory.

Captio nuncii regis Franciæ.

Capture of a messenger of the king of France, sent to arrange a meeting with Richard, for surrender of Calais, etc.

Accidit eo tempore ut quidam nuncius regis Franciæ caperetur, Lustratinus[3] nomine, qui regi Angliæ, ex parte regis Franciæ, conductum attulerat una cum duce Hiberniæ et certo numero veniendi Boloniam; ubi ab eo rex Franciæ reciperet seysinam in Calesia et cunctis munitionibus, quas rex Angliæ in illis partibus possidebat; et rex Angliæ per Vasconiam[4] homo regis Franciæ legius devenisset. Proceres autem hæc reticentes, festinanter properavere Londonias,[5] [ubi rex celebraturus fuit in Turri dies Natalicios, quem

The king fortifies the Tower.

---

[1] Supplied from B. F.

[2] *a*] cum, H.

[3] Lustratuus, B.; Histracuus, F.; Lustratus, W.

[4] *per Vasconiam*] pro Vasconia, F. W.

[5] Here ends the Harleian MS.

Wals. Hist. ii. 170.

locum putabat optime se posse tueri, si quid sinistri divergeret[1] ea vice; quem victualibus instauraverat, quasi pro resistentia facienda. Igitur domini, collecto exercitu quasi quadraginta millium bellatorum, eo libentius accurrentium quo sperabant Londonienses spoliandos,[2] et ipsos ditandos de manubiis civium, in crastino Natalis Domini Londonias pervenerunt, et se in campis, ubi a Turri videri poterant, distincti pulchre per bellicas acies monstraverunt. Nos autem quia res digessimus ad hoc tempus, hic erit anni elapsi [finis].[3]

A.D. 1387.

The lords encamp in the suburbs.

Actus dominorum Londoniis.

A.D. 1388. The mayor offers food and quarters to the lords.

Hospitati sunt proceres cum plebe sua in suburbanis Londoniæ; ad quos major Londoniarum, usus consilio sapienti, exiit, et hospitia intra civitatem ac omnia necessaria bona, si acceptare vellent, promisit, et vinum cum cervisia, caseumque cum pane, distribuit in exercitu universis; quod non parvo commodo postea urbi [fuit].

Ibid. ii. 171.

The king affects carelessness.

Rex interea, audiens et cognoscens hæc omnia, dissimulabat, tamquam multitudinem parvipendens. Dixitque archiepiscopo Cantuariensi et aliis, qui intercurrebant pro pace facienda, "Sinantur," inquit, "hic jacere cum turba sua, donec expen- "derint bona sua, et tunc demum vacui revertentur in domos "suas; et tunc loquar cum eis judicium singillatim." Et cum hæc audissent proceres, valde commoti, juraverunt se non recessuros, donec cum eo, ore ad os, colloquium obtinerent.

Tandem post altercationes varias cum eo locuti sunt in Turri, ubi coram eo conspirationem[4] contra eos conquesti sunt.]

---

[1] *divergeret*] emergeret, F. W.

[2] *spoliandos*] spoliando, B. F.

[3] Supplied from F. W.

[4] *conspirationem*] The Bodleian MS. terminates abruptly in the middle of this word. The sentence is completed from F.

APPENDIX.

APPENDIX.

[MS. Reg. 13 D. I., f. 169 *b*., collated with MS. Lambeth, 160, f. 219 *b*.]

In principio mensis Maii, rex Edwardus Londoniis maximum parliamentum incepit tenere, quod usque in finem Julii fere duravit. In quo quidem parliamento rex a communibus Angliæ quoddam subsidium petiit, ad defensionem sui et regni.[1] Sed communes, respondentes cotidie se esse vexatos et attritos[2] exactionibus excessivis, nec posse hujusmodi exactiones ulterius tolerare, præcipue quia sciebant[3] pecunias, quas frequenter solverunt una cum thesauro regio, per illos qui a latere regis steterunt male et[4] inutiliter esse consumptas et in nefarios usus conversas; asserentes regem pro defensione sui et regni sufficienter habere, si ipsum regnum foret bene et fideliter[5] gubernatum: et hoc foret, ut dixerunt, satis manifestum, ipsius officiariorum cognita falsitate; hocque[6] se offerebant certissime probaturos, et si post probationem hujusmodi inventum esset regem ulterius indigere, ipsum libentissime juxta eorum facultates juvarent.

A.D. 1376. Parliament at London. An aid demanded. Remonstrance of the commons.

Postea[7] plura delata erant de duce Lancastriæ et de aliis diversis officiariis regis, et potissime de domino Latemere, ipsius camerario, de pessima gubernatione circa regem et regnum. Quare dux Lancastriæ,

The duke of Lancaster and others removed from office.

---

[1] *sui et regni*] sui regni, MS. Lambeth.
[2] *attritos*] contritos, MS. Lamb.
[3] *sciebant*] sciebat, MS. Reg.
[4] *male et*] om. MS. Lamb.
[5] *fideliter*] utiliter, MS. Lamb.
[6] *hocque*] hoc quoque, MS. Lamb.
[7] *Postea*] Postea vero, MS. Lamb.

A.D. 1376. dominus Latemere, et omnes alii magni officiarii regis erant amoti, et in loco eorum alii subrogati.

Appointment of a council. Ordinatum etiam erat ad petitionem communium quod certi episcopi et comites ac[1] certi alii domini regem et regnum de cetero gubernarent, eo quod rex ad senectutem plurimum urgeretur; sed ista ordinatio vix per tres menses duravit.

Alice Perrers banished from court. Quædam etiam Alicia Peryrs, quam rex per longa tempora tenuerat in concubinam, a societate ipsius, ad petitionem communium, erat amota, quæ de plurimis malis, quæ per eam et ipsius fautores fiebant in regno, fuerat accusata.

Richard Lyons and Adam Bury accused. In isto parliamento multa mala fuerant publicata de quodam Ricardo Lyons, qui domino Latemer erat secretissimus, et de quodam Adam[2] Bury mercatore Londoniensi; quorum primus fuisset mortuus, si eum sua pecunia non juvisset. Tamen[3] perpetuo carceri erat adjudicatus et omnes possessiones suæ ad opus regis seisitæ.[4] Secundus vero, postquam audivit quæ sibi forent futura, diffugit de regno.

Sir Peter de la Mare speaker. Quidam miles de comitatu Herefordiæ,[5] Petrus de la Mare,[6] assensu omnium communium exsistentium in hoc parliamento, omnia quæ erant demandanda pro[7] parte communium Angliæ proponebat; de cujus sapientia et sermonis facundia omnes ipsum audientes ultra modum admirabantur, eo quod, sicut multis apparuit, loquebatur ac si[8] fuisset cœlitus inspiratus. De quo et factis suis habitis, per tempus illud, multa metrice valde subtiliter erant composita. Postea vero, quia iste Petrus veritatem de muliere prædicta et aliis de regis concilio exsistentibus divulgasset, ad instigationem mulieris prædictæ per regem morti fuit

---

[1] *et . . ac*] ac . . et, MS. Lamb.
[2] *Adam*] om. MS. Lamb.
[3] *Tamen*] Tandem, MS. Lamb.
[4] *seisitæ*] sei in MS. Reg.
[5] Herfordiæ, MS. Lamb.
[6] Petrus le Mare, MS. Lamb.
[7] *demandanda pro*] dicenda ex, MS. Lamb.
[8] *si*] om. MS. Reg.

adjudicatus. Sed ne hoc fieret, duce Lancastriæ obsistente, apud Notyngham perpetuo carceri mancipatur. A.D. 1376. He is sent prisoner to Nottingham.

Ad hæc omnia et plura alia, quæ hic propter prolixitatem minime inseruntur, communes Angliæ per dominum principem Walliæ, primogenitum regis, ut dicebatur, erant secretius animati; eo quod vidit et scivit patrem suum et regnum, quasi ad subversionem utriusque, miserabiliter[1] duci et regi. Qui quidem princeps, parliamento adhuc durante, morboque magis ac magis qui eum a diu comitatus est invalescente, sexto idus Junii, videlicet in festo sacratissimæ Trinitatis, ob cujus reverentiam et dilectionem quolibet anno ubicumque foret terrarum maximam solemnitatem consueverat[2] celebrare, ipsi sanctissimæ Trinitati suam animam commendavit. Cujus fortuna militiæ, tamquam alterius Hectoris,[3] dum vixit sanus, non solum Francigenis et aliis quibuscumque[4] regni Angliæ inimicis non modicum incussit terrorem; sed certe Saraceni et gentiles ipsius fortunam plurimum formidarunt. Cujus corpus in ecclesia Christi Cantuariæ in cryptis[5] in quadam capella, ubi injunctione[6] papæ, pro eo quod secum dispensavit ad ducendum in uxorem comitissam Canciæ, quandam perpetuam cantariam fundavit, honorifice sepelitur. f. 170. The commons supported by the Black Prince. His death.

Hoc anno, videlicet circa principium mensis Julii, tenentes comitis de Warewyke,[7] scilicet nativi et alii plures de retenemento ipsius, censuras ecclesiasticas contra malefactores hujusmodi promulgatas et editas non verentes, contra abbatem et conventum de Evesham[8] et eorum tenentes malitiose insurrexerunt, in tantum quod abbathiam et villam de Evisham[9] destruxisse et combussisse solotenus intenderunt. Dehinc The followers of the earl of Warwick attack the property of the abbey of Evesham.

[1] *miserabiliter*] tam miserabiliter, MS. Lamb.

[2] *consueverat*] solebat, MS. Lamb.

[3] Ectoris, MS. Reg.

[4] *quibuscumque*] quocumque, MS. Lamb.

[5] *cryptis*] criptis, both MSS.

[6] *injunctione*] ex injunctione, MS. Lamb.

[7] Warwyk, MS. Lamb.

[8] Evisham, MS. Lamb.

[9] Evysham, MS. Lamb.

A.D. 1376. indies[1] malitia eorum magis et magis contra dictum abbatem crescente, statutæ fuerunt plures turmæ, quæ, per diversa loca et nundinas discurrentes, plures de hominibus prædicti abbatis vulneraverunt et verberaverunt, et quosdam eorum interfecerunt. Deinde ad maneria eorum Offenham et Ambresleye[2] accedentes, clausuras porcorum ibidem in pluribus[3] locis fregerunt et combusserunt, et omnes feras præter paucas ceperunt, occiderunt,[4] et fugaverunt. Capita vivariorum et stagnorum[5] frangentes, aquas fecerunt excurrere; pisces quos capere poterant secum asportarunt; et plura[6] alia dampna in eisdem maneriis perpetrarunt, in maximum ipsius abbatiæ præjudicium atque dampnum; sic quod tunc, ut[7] verisimiliter timebatur, dictam abbathiam finaliter destruxissent, nisi præfatus abbas per suam industriam contra hujusmodi exquisitam malitiam regis protectionem et auxilium quæsivisset. Unde, duce Lancastriæ mediante, rex tunc dictam abbathiam, tamquam fundator et patronus ipsius, sub suam protectionem recepit; mittens literas suas per quendam clavigerum suum ad comitem supradictum, ut hujusmodi malefactores et pacis perturbatores compesceret: et ita tandem, timore regis et amicis mediantibus, pax inter eos fuerat[8] reformata.

The duke of Lancaster restored to power.

Propter istam brigam, ut dicebatur,[9] rex per illos dominos in parliamento superius nominatos noluit gubernari,[10] sed filium suum ducem Lancastriæ ad sui et regni regimen reassumpsit, qui usque ad mortem regis sic stetit.

New chancellor and treasurer.

Hoc anno circa Natale Domini magister Adam Hou-

---

[1] *indies*] om. MS. Lamb.
[2] Hambresleye, MS. Lamb.
[3] *pluribus*] plurimis, MS. Lamb.
[4] *occiderunt*] et occiderunt, MS. Lamb.
[5] *stagnorum*] stagnorum suorum, MS. Lamb.
[6] *plura*] om. MS. Lamb.
[7] *ut*] et, MS. Lamb.
[8] *fuerat*] fuit, MS. Lamb.
[9] *dicebatur*] dicitur, MS. Lamb.
[10] *gubernari*] ulterius gubernari, MS. Lamb.

tone, episcopus Menivensis, cancellarius, et dominus Henricus Wakfeld,[1] episcopus Wygorniensis,[2] thesaurarius Angliæ, erant facti; et laici, qui illa officia prius occupaverunt, amoti.[3] A.D. 1376.

Eodem anno, statim post Purificationem Beatæ Mariæ, erat parliamentum Londoniis congregatum, in quo rex quoddam subsidium a clero et populo postulavit. Unde tunc tale subsidium erat sibi concessum: videlicet quod perciperet[4] a qualibet laica persona utriusque sexus, annos quatuordecim excedente,[5] quatuor denarios, exceptis notorie pauperibus qui publice mendicarent; et de qualibet persona ecclesiastica promota duodecim denarios, et de singulis aliis non promotis quatuor denarios, exceptis fratribus quatuor ordinum mendicantium. A.D. 1377. Parliament. An aid granted.

Circa istud tempus surrexit in universitate Oxoniensi quidam magister Johannes Wyklyf,[6] secularis[7] doctor in theologia, de partibus borealibus, tenens publice in suis determinationibus et disputationibus[8] conclusiones erroneas et hæreticas atque statui universalis ecclesiæ derogantes. Congregavit sibi plures discipulos pravitatis,[9] habitantes simul in Oxonia, indutos longis vestibus de russeto sectæ unius, pedibus incedentes, hujus errores in populo ventilantes et publice in sermonibus prædicantes. Inter alia dicunt et asserunt quod Eukaristia in altari post sacramentum non est verum Corpus Christi, sed ejus figura. Item quod ecclesia Romana non est caput omnium ecclesiarum plus quam una alia ecclesia; nec major potestas per Christum[10] data fuit Petro, quam cuilibet alteri apostolo. Item quod papa Romanus non habet majorem potestatem Rise of Wycliffe. His doctrines.

---

[1] Wakefeld, MS. Lamb.
[2] Wigorn., MS. Lamb.
[3] *amoti*] erant amoti, MS. Lamb.
[4] *perciperet*] reciperet, MS. Lamb.
[5] *persona . . excedente*] perdente, MS. Lamb.
[6] Wyclyf, MS. Lamb.
[7] *secularis*] scolaris, MS. Lamb.
[8] *et disputationibus*] om. MS. Lamb.
[9] *pravitatis*] pravos, MS. Lamb.
[10] *per Christum*] om. MS. Lamb.

A.D. 1377. in clavibus ecclesiæ, quam quicumque[1] alius in ordine sacerdotii constitutus. Item idem J. Wyclef[2] ponit istam conclusionem: quod[3] si dominus temporalis[4] noverit ecclesiam delinquentem, tenetur sub pœna dampnationis ejus temporalia auferre. Item quod Evangelium sufficit ad regulandum in vita ista quemlibet Christianum; et quod quælibet aliæ regulæ sanctorum, sub quarum observantiis degunt diversi religiosi,
f. 170 b. non plus perfectionis addunt Evangelio, quam addit albedo parieti. Item quod nec papa nec aliquis alius prælatus deberet habere carceres ad puniendum delinquentes; sed quilibet delinquens posset libere, quocumque vellet, transire, et[5] facere quod sibi placeret.[6]

His followers gain popularity. Ista et plura alia istius[7] erroris magistri publice, ad subversionem nostræ fidei, asserunt et affirmant in tantum, quod domini et magnates terræ et multi de populo ipsos tamquam sanctos prophetas reputent et honorent, cum revera sint hypocritæ[8] pessimi et injusti; et eo amplius eos fovent et favent in suis erroribus, quia tantam potestatem ad auferendum temporalia a viris ecclesiasticis ipsis attribuunt.

Some of his conclusions condemned by Gregory XI. Hinc circiter quinquaginta de conclusionibus dicti magistri Johannis missæ erant ad curiam Romanam, domino Gregorio papæ undecimo porrigendæ, ex quibus ipse dominus papa tresdecim tamquam hæreticas, frivolas, et vanas dampnavit. Direxitque bullas suas, hoc anno, dominis archiepiscopo Cantuariensi et episcopo Londoniensi, ut ipsarum auctoritate dictum magistrum Johannem facerent arestari et capi ac[9] coram

---

[1] *quicumque*] quiscumque, both MSS.

[2] Johannes Wyclyf, MS. Lamb.

[3] The Lambeth MS. has an additional conclusion: "quod, si Deus "est, domini temporales possunt "legitime et meritorie auferre bona "fortunæ ab ecclesia delinquente. "Item si dominus temporalis," etc.

[4] *temporalis*] temporaliter, MS. Reg.

[5] *et*] nec et, MS. Lamb.

[6] *quod . . placeret*] quæ placerent, MS. Lamb.

[7] *istius*] isti, MS. Lamb.

[8] *hypocritæ*] ypocritæ, both MSS.

[9] *capi ac*] capiant, MS. Reg.

eis adduci, ut ipsum super dictis conclusionibus examinarent. Igitur postquam fuerat examinatus, et super dictis conclusionibus suas declarationes licet fictas dixisset, dominus archiepiscopus super illa materia sibi et omnibus aliis indixit silentium, ut nullo modo ipse nec alii de cetero nec alibi de ipsa tractarent. Tamen modico tempore siluerunt, quia cito post processum temporis videntes quod facta et dicta[1] eorum dominis et magnatibus complacerent, easdem opiniones et pejores foverunt et continuarunt. A.D. 1377. Silence imposed upon him. His doctrines still published.

Eodem die quo, ut præmittitur, silentium dicto Wyclef[2] erat impositum, communes Londoniæ, propter quoddam verbum minatorium, quod, ut dicebatur, dux Lancastriæ debuit episcopo Londoniensi, causa dicti[3] Wyclyf, dixisse, et propter antiquum odium quod erga ipsum ducem gesserunt, multis millibus ex eis unanimiter congregatis, armis assumptis, versus hospitium ipsius, vocatum Savoye, cum magno[4] impetu properantes, illud voluerunt prostrasse et comburasse, ac ipsum ducem interfecisse, ubicumque eum tunc reperissent. Sed ne hæc fierent,[5] episcopus Londoniensis vix eos potuit refrenare ; qui tamen per hoc nullas grates penitus reportavit. Et præfatus dux, his auditis de quodam infra civitatem prædictam, ubi sedit in prandio, ultra Thamisiam ad manerium de Kenyngtone, ubi Ricardus princeps Walliæ tunc fuit, festinanter aufugit. Riot in London on the day of his examination. The people threaten the Savoy. The bishop of London restrains them. The duke of Lancaster escapes to Kennington.

Interim vero quidam, quorum nomina ignorantur, in despectum ipsius ducis, ut asseritur, sumentes quoddam [scutum] in quo arma ipsius, tam de Anglia quam de Hispania fuerunt depicta, quod pendebat pro signo extra schopam cujusdam in Chepe,[6] distraxerunt atque fregerunt. Propter quod factum præfatus dux contra Dishonour done to the duke's arms. The duke effects the

[1] *et dicta*] om. MS. Lamb.
[2] Wyclyf, MS. Lamb.
[3] *dicti*] om. MS. Lamb.
[4] *magno*] maximo, MS. Lamb.
[5] *hæc fierent*] hoc fieret, MS. Lamb.
[6] Cheepe, MS. Lamb.

A.D. 1377. disgrace of the principal citizens.

Londonienses graviter indignatus, marescallum et aldernemen [1] de Londonia fecit deponi et alios in locis eorum creari; et ad instantiam ipsius, illi qui sic scutum prædictum fregerunt, per archiepiscopos Cantuariensem et Eboracensem et alios episcopos et prælatos solemniter et publice, apud crucem in cimiterio Sancti Pauli [2] civitatis ejusdem, in genere excommunicati fuerunt; pluraque dampna voluit fecisse Londoniensibus, si suum potuisset habuisse propositum exsecutum.

The citizens offer a silver shield of his arms in St. Paul's.

Postea ita est eos et persecutus, quod compulsi fuerunt facere unum scutum argenteum de armis suis prædictis et publice illud offerre in ecclesia Sancti Pauli, ad quandam imaginem Beatæ Virginis, in parte australi ecclesiæ antedictæ.

A.D 1376. Prince Richard made prince of Wales.

Hoc anno, statim post festum Michaelis, Ricardus filius principis factus est princeps Walliæ; cui rex contulit ducatum Cornubiæ cum comitatu Cestriæ.

The duke of Lancaster accuses the bishop of Winchester.

Hoc anno, circa idem tempus, dictus dux Lancastriæ, contra episcopum Wintoniensem vehementer commotus, ipsum persequi totis viribus conabatur, eo quod, sicut

The real cause of his enmity.

dicebatur, domino regi, patri illius, suggessit quod regina quondam ipsius dictum ducem in utero suo nunquam portavit, sed supposuit eum pro filio: quod ob timorem regis celavit. Sed ante mortem suam, ut idem episcopus, ut dicitur, debuit asseruisse, sibi fatebatur, et ei injunxit quod hoc domino suo, cum videret opportunum, monstraret. Propter quod idem dux, fingens colorem eum persequendi, imposuit sibi quod fuit falsus patri suo modis diversis, quando ipsius exstitit cancellarius.

The bishop is disgraced.

Unde erat regi in magna summa pecuniæ condempnatus. Pro qua condempnatione in manus regis omnia ejus temporalia erant capta, nec sibi ante mortem regis fuerant restituta; et licet totus clerus et tota

---

[1] *aldernemen*] yeld aldernemen, MS. Lamb.

[2] *crucem . . Pauli*] crucem Sancti Pauli et in cimitorio, MS. Lamb.

communitas preces funderent pro eisdem, non tamen fuerant exauditi. A.D. 1376.

Death of Simon Langham, cardinal of England.

Cardinalis Angliæ, dum [1] sedit in collatione sua post prandium, subito paralysi percussus, loquelam omnino amisit;[1] qui per tres vel quatuor dies supervivens,[2] in festo Sanctæ Mariæ Magdalenæ spiritum suum amisit.[3] Cujus corpus apud[4] Bonpas juxta Avinionem, inter fratres Cartusienses,[5] in ecclesia nova quam ipse a fundamentis fecerat construi, est sepultum; et post processum temporis ossa[6] ejus inde ad Westmonasterium, ubi primitus fuit[7] abbas in Anglia, ordinavit deferri. Cui monasterio multa bona legavit.

f. 171. Gregory XI. removes to Rome.

Primo[8] mensis Octobris, papa Gregorius, Avinionem et regionem Provinciæ deserens, ad magnam Romam cum curia sua se transtulit, et magna ex causa ut potuisset citius recuperare[9] temporalia sua, quæ in diversis partibus Italiæ[10] ab ecclesia injuste fuerunt ablata:

A.D. 1377. Execution of John Menstreworth.

Duodecimo kalendas Aprilis, quidam miles Johannes Munstreworthe, in comitatu Gloucestriæ oriundus, primo Londoniæ fuit tractatus, deinde suspensus, et postea decapitatus, et postremum[11] corpus ejus fuit[12] in quatuor partes divisum; quæ partes ad quatuor civitates Angliæ mittebantur famosas, et caput ejus super pontem Londoniæ erat appositum.

Account of his offences.

Iste Johannes, præter alias malas conditiones quas habuit, cupidissimus homo erat; qui frequenter, ut dicebatur, plures et magnas summas pecuniæ, ab eo receptas pro guerris regis, non ut debuit expendebat, sed[13] pro majori parte in usus proprios convertebat.

---

[1] *dum . . amisit*] om. MS. Lamb.
[2] *supervivens*] superveniens, MS. Lamb.
[3] *amisit*] emisit, MS. Lamb.
[4] *apud*] ad, MS. Lamb.
[5] Cartusiensium, MS. Lamb.
[6] *ossa*] ossaque, MS. Reg.
[7] *fuit*] erat, MS. Lamb.
[8] *Primo*] Principio, MS. Lamb.
[9] *recuperare*] recuperaret, in MSS.
[10] Ytalie, MS. Reg.
[11] *et postremum*] ac demum, MS. Lamb.
[12] *ejus fuit*] om. MS. Lamb.
[13] *sed*] licet, MS. Reg.

A.D. 1377. Propter quod et plura alia, quæ contra eum erant opposita, mortem timens incurrere, circa quatuor annos ante ultimum finem suum recessit latenter de regno, et cum rege Franciæ fuit detentus. Qui, hoc anno, per quendam scutiferum regis Navarræ, qui frequenter cum re[ge] Angliæ in guerris suis stetisset, citra[1] montes Roncevallis, in ingressu Hispaniæ, fuit captus. Proposuit enim, in æstate sequenti, in Angliam cum Hispanica classe applicuisse,[2] et propter hoc literas regis Franciæ et diversorum dominorum ad partes illas secum portavit; sed Deus suum iniquum propositum, quo contra suum proprium dominum machinatus est, malum sibi convertit in dampnum.

Miracles wrought at the tomb of R. Fitz-Ralph, archbishop of Armagh.

Circa ista tempora Deus declarans justitiam, quam magister Fitez Raffe[3] exercuit dum vixit in terris, ut impleretur de eo illud psalmistæ, "In memoria eterna "erit justus,"[4] per merita ipsius Ricardi, ad tumbam ipsius, apud Dundalk in Hybernia,[5] plura et magna cotidie operatur miracula; unde, ut[6] dicitur, fratres se male contentos.[7]

Prince Richard knighted.

In festo Sancti Georgii martyris, dominus rex, apud Wyndeshore, Ricardo de Bordeus,[8] heredi suo, ordinem contulit militarem.

Death of Edward III.

Qui quidem rex, undecimo kalendas Julii, cum quinquaginta annis et amplius regnasset, apud Schene[9] diem inclausit momentaneum,[10] ut transiret per Dei gratiam ad æternum; et juxta sepulcra[11] patrum suorum apud Westmonasterium, in parte[12] australi feretri Sancti

---

[1] *citra*] circa, MS. Reg.

[2] *applicuisse*] applicuisset, MS. Reg.

[3] FitzRayf, MS. Lamb.

[4] Psalm cxi. 6.

[5] Hibernia, MS. Lamb.

[6] *ut*] et, MS. Lamb.

[7] *contentos*] contemptos, MS. Lamb. Both MSS. run this sentence into the next, without any stop. Some words have evidently been omitted.

[8] Bordews, MS. Lamb.

[9] Shene, MS. Lamb.

[10] *inclausit momentaneum*] clausit extremum, MS. Lamb.

[11] *sepulcra*] sepulcrum, MS. Lamb.

[12] *patrum . . . parte*] om. MS. Lamb.

Edwardi, traditur sepulturæ. Nam toto tempore regni sui, præter paucos annos ante mortem, gloriose [1] suum rexit imperium; et plurimos contra reges Franciæ et Scociæ, tam in terra quam in mari, gloriosissime [reportavit] [2] trumphos. Populique in regno Angliæ, [toto] [2] tempore suo, in summa prosperitate et pace vixerunt. Circa quindecim annos ante mortem suam neglexit [3] militiam, et, per diversos male ductus, carnis voluptatibus et ludis inutilibus nimis vacavit, et illam malam mulierem superius nominatam, et alias quam plures, tam [4] ante mortem reginæ quam post, nimium adamavit; et ideo, ad modum Salomonis, per mulieres cor ejus erat infatuatum, et corpus ejus multum attenuatum atque annihilatum; ita quod per annum et ultra ante mortem suam, ut dicebatur, non plus viguit in discretione quam unus puer octo [5] annorum.

A.D. 1377. Remarks on his reign.

[1] *gloriose*] graciose, MS. Lamb.
[2] Supplied from MS. Lamb.
[3] *neglexit*] nec rexit, MS. Reg.
[4] *tam*] om. MS. Lamb.
[5] *octo*] vij., MS. Lamb.

INDEX.

INDEX.

A.

Abbeville, captured by the French, 62.

Aderby, Sir Richard, sent by Richard II. on a message to London, 147.

Agapitus, Cardinal.
See Colonna, Agapitus.

Ageneys, Island of (?), Sir W. Manny gains a victory there, 7.

Agenois, fortresses of, taken by the earl of Derby, 25.

Aids. *See* Taxes.

Aiguillon, taken by the earl of Derby, 25.

Alban, the name of a bell at St. Alban's, 265.

Alençon, [Charles de Valois,] count of.
See Valois, Charles de.

Alexandria, taken by the king of Cyprus, 56.

Algecira, in Spain, captured from the Moors, 16; the county of, promised and then refused to the Black Prince, 60.

Allebroch. *See* Auberoche.

Ambresleye manor, belonging to Evesham abbey, partly destroyed by the followers of the earl of Warwick, 394.

Amiens, Cardinal of.
See De la Grange, John.

Andrinus, abbat of Cluny, comes to England to reduce the French king's ransom, 51.

Angeste, Lord of.
See Hangest, John, lord of.

Angoulême, Sir Guiscard d', fails to arrange a truce with the French, 140; created earl of Huntingdon, 162.

Angus, Earl of.
See Umfrevill, Gilbert de.

Anjou, [Louis,] duke of, son of king John, opposes the duke of Burgundy, regent of France, 272; crowned king of Naples by the antipope, 348; invades Naples, and dies in Italy, 349; his death, 362.

Anne of Bohemia, daughter of the emperor Charles IV., negotiations for her marriage with Richard II., 283; lands at Dover, 331; ominous event on her landing, 331; married to Richard II., and crowned at Westminster, 332.

Annesley, Sir John de, his claim on St. Sauveur through his wife, daughter of Sir John Chandos, 261; accuses Thomas Katrington of treason for surrendering it, 261; account of his duel with Katrington, 262–264.

Antwerp, Lionel, duke of Clarence, born there, 8.

[Appleby, Thomas de,] bishop of Carlisle, appointed one of the committee to confer with the commons, 69.

Aquilon. *See* Aiguillon.

Aquitaine, towns captured by the earl of Derby, 25; the duchy conferred by the French king upon the Dauphin, and by Edward III. upon the Black Prince, 32; the principality conferred on the Black Prince, 51; Sir T. Heltone, governor of the province, taken prisoner, 170; John of Gaunt retires thither out of Spain, 369.

Arch-priest, The, leader of a free company, 39.

Ardres, betrayed to the French, 170; stratagem of the captain of, defeated by Sir Hugh Calverley, 202.
Arecourt, Bois de.
See Harcourt, Louis de.
Armagh, Archbishop of.
See Fitz-Ralph, Richard.
Armagnac, laid waste by the Black Prince, 33.
Armenia, [Leo VI.,] king of, comes to England to arrange peace with France, 367; he obtains grants from the king, 367; his offer to mediate between England and France declined, 373.
Artisans, Foreign, admitted into England, 6.
Artveldt, Philip van, commander of the men of Ghent, 345; his relationship to queen Philippa, 346.
Arundel, Earls of. *See* Fitz-Alan, Richard.
Arundel, John de.
See Fitz-Alan, John de.
Arundel, Sir John, commands in the expedition to aid the duke of Brittany, 247; outrages committed by his men, 247–249; his ships overtaken by a storm, 250; they are wrecked on the coast of Ireland, 251; he is drowned, 252; all his store-ships lost, 253; his body recovered and buried in Ireland, 253.
Arundel, Thomas de, bishop of Ely, officiates at the coronation of Richard II., 160; appointed chancellor, 374.
Ashridge or Ascherugge, in Buckinghamshire: foundation of an order "de secta fratrum de A.," by the bishop of Winchester, 20.
Aston, Sir Robert, the king's chamberlain, addresses the principal citizens of London in the king's presence, 132.
Astone, John, a Lollard: the Londoners interrupt his trial before the bishop of Loudon, 350.
Athens, Duke of.
See Brienne, Walter de.
Athethe, Haymo. *See* Hythe, Haymo de.
Auberoche, in Guienne: the French defeated there by the earl of Derby, 19.
Audley, Hugh de, made earl of Gloucester, 5; serves against the Scots, 13.
Audley, James, lord Audley, distinguishes himself at the battle of Poitiers, 36.
Auray, Charles de Blois slain there, 55.
Austria, Otho III., duke of, proposes a marriage between his son and Edward III.'s daughter, 9; [Leopold III.] duke of, imposes a heavy toll on travellers, 369; losses to the people, and consequent rebellion, 369, 370; he is slain, 370.
Auvergne, [Beraud], dauphin of, a hostage for the treaty of Bretigny, 44.
Aversa, taken by Charles of Durazzo, 334.
Avignon, two Minorites burnt there for heresy, 31; Urban V. departs thence to Rome, 61; he dies there, 66; Gregory XI. departs thence to Rome, 399.
Avignon, Bishop of.
See Grimoard, Anglicus.

B.

Bablakeheath, near Burford, the duke of Gloucester's partisans defeat the duke of Ireland's troops at, 385.
Bacheler, William, canon of Lincoln, destroys the boundaries of Thynghirst park, 14.
Baldach, King, slain in battle, 56.
Baliol, Edward, king of Scotland.
See Scotland.
Balle, John, an insurgent priest, condemned to death, but the execution deferred, 320; account of his teaching, 320, 321; his sermon at Blackheath, 321; his letter to the men of Essex, 322; his execution, 322.
Bamborough castle, besieged by the Scots, 4.
Banastre, Sir Thomas, accompanies an expedition to aid the duke of Brittany, 247; drowned with Sir J. Arundel, 252.

Bangor, Bishops of. *See* Swaffham, John.
Barber, John, an insurgent, brought to trial, 320; executed, 324.
Bari, Bartholomew [Prignano], archbishop of, elected pope as Urban VI., 198.
Barnabo, duke of Milan. *See* Milan.
Barnet, John, made bishop of Worcester, 50; translated to Bath and Wells, 54; translated to Ely, 58.
Basset, [Ralph,] lord Basset, commands in an expedition in aid of the duke of Brittany, 266.
Bateman, William, bishop of Norwich, his accession, 16; sent to Rome to arrange a peace between England and France, 31.
Bath and Wells, Bishops of.
See Barnet, John.
